SC.SUP.21.Pl.3.

43
7 E
13

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

RITUS
DANDI PRESBYTERIUM
PAPÆ, CARDINALIBUS, ET CLERICIS
Nonnullarum eccleſiarum Urbis

NUNC PRIMUM

A PETRO MORETTO
Canonico inſignis baſilicæ S. MARIÆ trans Tyberim

INVESTIGATUS, ET EXPLANATUS.

LUCUBRATIO
Æneis TABULIS, NOTIS, & APPENDICIBUS ornata.

QUIBUS NECTUNTUR

ADDENDA alia, ET CORRIGENDA

In vulgatis ante ejuſdem Authoris Opuſculis.



ROMÆ, Typis Bernabò, & Lazzarini, MDCCXLI.

SUPERIORUM PERMISSU.

Noſtros [Ritus] explanare, divinando quodammodo mentem Inſtitutorum, deſuetoſque uſus ex paucis relictis ſcriptis monumentis, maximi [eſt] laboris ac difficultatis ; contra quàm alii fortaſſe judicent.

Ven. Card. Thomaſius in præfat. ad Officium Dominicæ paſſionis &c. ſecundùm ritum Græcorum latinè editum.



SANCTISSIMO
ET BEATISSIMO PATRI, AC DOMINO NOSTRO
BENEDICTO XIV.
PONTIFICI MAXIMO

PETRUS MORETTUS
FELICITATEM SEMPITERNAM.

QUONIAM id etiam ad cumulum addis beneficiorum, ut LUCUBRATIONEM hanc, plures S. R. E. Ritus una ſub denominatione con-

Digitized by Google

cluſos illuſtrantem, auguſti Nominis Tui præſidio muniri, atque ad celſiſſimum uſque Petri Solium efferri ſinas, eam Tibi ſiſto, BENEDICTE SANCTISSIME; non tamen quaſi munus aliquod oblaturus meum (totum quippe Tuum eſt, quod, authore Te, cœptum perfectumque, Te nunc manum porrigente munificentiſſimam, in apertum educitur diem) ſed quaſi novum, & ſanè perſpicuum de Te vaticinium. Fugit neminem, oblatas a me Tibi jamdudum in alia tractatione initia frugum ingenioli mei, ſeu *primitias* (1) *ſtudiorum meorum*, quo certè, qualis futurus eſſes, tacitò ſignabatur. Quis enim ignorat, ex veteri, probatoque, imò divinitùs (2) inſtituto more talia fuiſſe offerenda SACERDOTI? At nova hæc oblatio cetera, quæ Te ſpectant, eximiè luci-diſſimeque prænunciat. Sepoſitis paulliſper moleſtiſſimis undique erumpentibus curis,

(1) *V. epiſt. præfixam Differt. de Ritu Oſtenſ. Sacrar. Reliquiar.*

(2) *Levit.* xxiii. 10. *Num.* xviii. 13.

ejuſ

ejuſdem perpende ſortem, ac ſummam. Quid eſt, quæſo, quid eſt, quod a ſexdecim annis prælo maturum delituit Opus Romanum Pontificem repræſentans de Catholica unitate, charitateque ſollicitum: præbentem Chriſtianæ humilitatis ideam, formamque grati ac benevoli, præſertim in ſubjectos populos, Principis: necnon commendantem ſupremi faſtigii majeſtatem ſplendoremque? Ad hunc temporis articulum ſervabatur, ut prænoſceret Orbis Terrarum characterem ac ſpiritum Regiminis Tui; hoc eſt, qualem Te geres in altiſſimo Honore Tibi, poſt obita ſanctè prudenterque ferè ſingula eccleſiaſtica munia, poſt ornatam edoctamque Chriſti Rempublicam omnigenæ Sapientiæ refertiſſimis voluminibus, iis potiſſimè, qui *de Canonizatione, & Beatificatione Servorum Dei* inſcribuntur, mirabili Patrum conſenſione, atque inuſitata Bonorum lætitia

con-

conceſſo. Nec equidem fallor. Stas adhuc in limine Dignitatis planè cœleſtis, & antevertere cœpiſti factis vocem meam. Suſceptum per Te magna alacritate conſilium de componendis, ſiquæ ſint, Orthodoxi reliqui Corporis cum Capite vel minimis diſſidiis: caro & ſanguis pauperum commodo poſthabitus: modus impoſitus domeſticis expenſis, publicique comitatus pompæ: Tibi vix de patrimonio Crucifixi reſervatus victus tantùm, & veſtitus: humanitatis plenus affatus omnibus exhibitus, patefactaque pluries grata bene de Te meritorum recordatio: aſylum in Aula Literis, Literatiſque præſtitum: Roma in Academiam converſa: futuro afflictarum rerum ejuſdem, annexæque Ditionis levamini parata multiplici ratione via: Clerus, populuſque ſuaviſſimis edictis, ſacrique Præconis ore ad tramitem cujuſque vocationi congruum revocatus: in-

ſtru-

Digitized by Google

ſtructi graviſſimis literis Antiſtites exteri, inductique perutiles Eccleſiis mores; decreta pro tuendis Apoſtolicæ Sedis juribus, uniendiſque Electorum Principum animis ad idoneum eidem reſtituendum Defenſorem ſplendidiſſima Legatio: repreſſa iterum aliquot inconſutilem JESU tunicam ſcindentium audacia; eliminata ſanctiſſimis legibus *omni* juxta monitum (3) Apoſtoli *ſpecie mala* a ſacroſancto Clericorum ſtatu, & religioſioribus Romanæ Cathedræ actionibus, præter alia, quæ breviſſimo paucorum menſium ſpatio vel concipi potuiſſe, ſtupebit ſera poſteritas, quò tendas, ſatis ſuperque demonſtrant. Sit ergo, PONTIFEX SAPIENTISSIME, nova hæc oblatio verè novum de Te præſagium. Quod ſi ab hujuſmodi imagine abhorreat inſignis, qua polles, Modeſtia; quum in Tui commendationem aliquomodo excogitata videri queat: novum ſit, ac ſollemne monu-

(3) 1. ad Theſſal. v. 22.

monumentum, quo palam fiat, quàm candido, nec ad auram modulumque fortunæ compoſito; ſed ab admiratione ſublimitatis, & amplitudinis Mentis, ac Virtutum Tuarum percito atque enutrito obſequio, Te ſemper veneratus ſim. Cujus profectò veritatis locupletem eſſe teſtem Opus hocce, dubitabit mortalium nullus, qui adverterit, me Tibi in eo conficiendo promptè demiſſeque fuiſſe obſecundatum; dum tempora effluerent ab aſſentationis ſuſpicione remotiſſima. Hujus autem recti conſcientia facti mihi eſt, Beatissime Pater, non minùs jucunditati ſingulari, quàm ingenti qualiſcumque in hac paranda oblatiuncula perpeſſi laboris præmio, quod in immenſum excreſcet, ſi Tu illam clementiſſimè excipies, unàque ſupra caput meum, minimæ ſcilicet atque infirmioris oviculæ Catholici Gregis, pedibus Paſtoris ſui provolutæ, eique fauſta,

robur

Digitized by Google

robur animi invictum, vitæque diuturnitatem difficillimis hiſce temporibus perquàm neceſſariam adprecantis, de rore Pontificiæ benedictionis guttam effundes.

Dabam Kalendis Maii A.D. MDCCXLI.



Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtro.

Philippus Archiepiſcopus Theodoſiæ Vicesgerens.

APPROBATIO.

DEmandante Rm̃o P. Fr. Aloyſio Nicolao Ridolfi Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtro, legi Librum, cui titulus: *Ritus dandi presbyterium Papæ, Cardinalibus, & Clericis nonnullarum eccleſiarum Urbis*, a Cl. Viro Petro Moretto inſignis baſilicæ Sanctæ Mariæ trans Tyberim Canonico nunc primùm inveſtigatus & explanatus, unà cum aliquot appendicibus, ineditis monumentis &c. in quo ſapientiſſimus Author *presbyterii*, quod per eccleſias, præcipuè Vaticanam, ac Lateranenſem, diſtribui ſolet, originem, progreſſum, ſtatumque hodiernum tot ſæculorum ſpiſſâ caligine ferè obvolutum palam Orbi Literario facit. Nihil in eo Catholicæ fidei, aut bonis moribus diſſonum reperi; omnia contrà, quæ ſingularem eruditionem ſapiunt; primævos Eccleſiæ Romanæ Ritus, & munia mirificè illuſtrant; Chriſtianæ pietatis in Principem Apoſtolorum argumentum exhibent; & magnificam Pontificiæ Dignitatis liberalitatem, majeſtatemque repræſentant. Prodeat ergo in publicam lucem, & univerſas percurrat Eccleſias; ut ſciant omnes, Romanos Pontifices, veteris moris ac diſciplinæ tenaces, uſque ad hanc diem antiquiſſimum *presbyterii* Ritum fideliter cuſtodire, in quo unitatis & caritatis, aliarumque virtutum in ſupremo Chriſti Vicario ſuſpiciendarum myſtica ſacramenta continentur. Quantum igitur Catholicus quiſque debet perennem Cathedræ Piſcatoris honorem, atque Apoſtolici Principatus decus exoptare, tantum ego prælo dignum cedroque hoc Opus cenſeo.

Dabam ex Ædibus Vallicellanis Kal. Februarii A. D. MDCCXLI.

Joſeph Blanchinus Veronenſis, Presbyter Congregationis Oratorii Romani.

IMPRIMATUR.

Fr. Aloyſius Nicolaus Ridolfi Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

SUM-

Digitized by Google

S U M M A
LUCUBRATIONIS, EJUSQUE APPENDICUM.

L U C U B R A T I O.
P R O L O G U S

Quo, prænotatis aliquot ſuper neceſſitate, occaſione, & fructu hujus ſcriptionis, proponitur ejuſdem argumentum, ac methodus.

Sectio I. §. I. *Ritus eccleſiaſtici non ſine ratione inſtituti*. II. *Præcipuè in Eccl. Rom.* III. *Ratio rituum aliquorum obſcura. Quare?* IV. *Uſus antiquos ex recentibus metiri, imperitum*. V. *Viri docti illuſtrandis ritib. Rom. Eccl. incubuere*. VI. *Sed nemo illuſtravit ritum dandi* presbyterium. VII. *Licèt id quiſpiam meditatus ſit*. VIII. *Origo, & occaſio hujus tractationis*. IX. *An aliquis ex illa fructus?* X. *Clero Vaticano debetur ſervatus uſus* presbyterii *potior*. XI. *Qui & veteres alios uſus ſervari ſolitus*. XII. *De eodem ob id honorifica opinio ſummorum Pontiff.* XIII. *Et exterorum priſcæ ætatis*. XIV. *De eodem Clero Vaticano non impar opinio recentioris ævi*. XV. *Vox* presbyterium *quot, & quæ ſignificet, inquirendum*. a pagina 1. ad 7.

Sectio II. §. I. Presbyterium *idem ac locus in eccleſiis, qui nunc chorus*. II. *Et illud cognitum olim nominibus ſacrarii, ſeu ſanctuarii, ſecretarii &c.* III. *Chorus antiquus non rectè dicitur* presbyterium. IV. *Opinio Cangii non probanda*. V. *An* presbyterium *idem ac coetus pſallentium?* VI. *Significat collegium Presbyterorum*. VII. *Seu potiùs Clericorum præcipuæ notæ*. VIII. Presbyterium *locus congregationibus Clericor. deputatus*. IX. *Et examinandis Clericis*. X. *Accipitur pro ordine Presbyteratus*. XI. *Ac poteſtate Presbyterorum*. XII. *Quid aliquando juxta Patres S. Mauri?* XIII. *Obventio parochialis appellata* presbyterium. XIV. *Tandem* presbyterium *eſt præſtationis, ſeu dati ſpecies, argumentum hujus Operis*. XV. *Methodus ejuſdem*. a pag. 7. ad 14.

P A R S I.

Diſſeritur de antiqua Eccleſiæ diſciplina circa oblationes, maximè Romam, & ad baſilicam Vaticanam importatas; unde lux explanandæ præcipuæ parti noſtri Ritus.

Sectio I. §. I. *Vetus diſciplina oblationum exponenda; unde pateat origo, & cauſſa inſtituti* presbyterii *Vaticani*. *Antiquioris*

ætatis conſuetudo. II. *Alia eidem proximiorum temporum. Offerebantur in miſſis, & extra illas intra eccleſias*. III. *Oblata ad miſſas alia pro uſu ſacrificii; minimè alia. De prioribus*. IV. *Panis, vinum, & aqua oblata pro uſu ſacrificii*. V. *Omnes tenebantur offerre*. VI. *Exceptis aliquibus, cum cauſſa*. VII. *Quænam illa?* VIII. *An quilibet fidelium ordo ſingulas partes materiæ ſacrificii offerre teneretur?* IX. *Laici utplurimùm ſingulas offerebant*. X. *Panes oblati pro ſacrificio quales*. XI. *Quo tempore miſſæ offerretur pro ſacrificio*. XII. *Utrum & tunc alia offerrentur?* XIII. *Probatur, hunc morem diù viguiſſe, præcipuè apud Latinos*. XIV. *Variavit aliquando inſigniter, uti etiam primò deſcriptus*. XV. *Oblationes illatæ tempore offertorii ordine fiebant*. XVI. *Indigni ab offerendo inhibiti. Quinam tales?* a pag. 15. ad 24.

SECTIO II. §. I. *De oblatis extra miſſas*. II. *Oblationes Epiſcopi cura impenſæ*. III. *In commodum eccleſiarum, pauperum, & Clericorum quorumcumque*. IV. *Ac aliorum eccleſiis miniſtrantium*. V. *Ad Clericos præcipuè pertinebant ſuperflua ex oblatis in uſum ſacrificii*. VI. *Pars tamen in uſum eulogiarum conſummabatur*. VII. *Denarii oblati loco materiæ ſacrificii in quos uſus converſi*. VIII. *Quædam ex oblatis tantùm ad Presbyteros ſpectabant*. IX. *Miniſter peculiaris cuſtodiebat oblata. An aliud ejus munus?* X. *De oblatorum à fidelibus diverſitate*. XI. *Portio oblatorum diviſa inter Clericos certo tempore, ac ſecundùm labores, & gradus*. XII. *Eaque habita pro ſtipendio, quod notum in Eccleſia* presbyterii *nomine*. a pag. 25. ad 32.

SECTIO III. §. I. *Agendum ſpeciatim de uſu offerendi apud Romanam Eccleſiam, maximè temporibus minùs antiquis*. II. *De oblatis tunc Papæ tempore miſſæ, præcipuè in eccleſiis aliquot Patriarchalibus*. III. *Et in aliis eccleſiis*. IV. *Offerebatur Romæ etiam extra tempus miſſarum*. V. *Quæ offerrentur*. VI. *Eorum uſus*. *Varia de oblatis, Papa ſtationes agente, conceſſis Clericis, ac miniſtris pontificiis*. VII. *Oblata impenſa pro ſervicio divinor. officiorum, & aliquandò tradita Clericis eccleſiæ ſtationalis*. VIII. *Pars oblatorum attributa Clericis S. M. majoris*. IX. *Oblata aliquot baſilicæ Lateranen. aſſignata Cardd. hebdomadariis, & Canonicis*. X. *Et aliis eccleſiæ miniſtris, ſcholis, ſacro ſervicio, ac fabricæ*. XI. *Specialis portio oblatorum Lateranenſium erat Cantorum R. E.* XII. *Ex oblatis Romanis pauperes participaſſe*. a pag. 32. ad 41.

SECTIO IV. §. I. *Diſcutiendæ conſuetudines Vaticanæ*. *De muneribus tranſmiſſis ad baſilicam S. Petri*. II. *Oblata S. Petro a Magnatibus Romæ degentibus*. III. *De oblatis aliorum fidelium*. IV. *Quo tempore illa darentur, & quibus*. V. *Indignorum oblata S. Petro non recipiebantur*. VI. *Pars oblatorum ad S. Petrum*

trum uſui fabricæ addicta. VII. *Alia in ſacros uſus. Loci Romani Canonici, & Petri Mallii*. VIII. *De ſtationibus ad S. Petrum*. IX. *Adhibenda in miſſis papalibus parabantur ad S. Petrum ex oblatis*. X. *Conſtitutum Leonis IX. circa oblationes Vaticanas*. XI. *Eadem quibus uſibus addicta ſub Innocentio III.* XII. *De oblatis Vaticanis participabant pauperes*. XIII. *Uti etiam ſententiales Præfecti Urbis*. XIV. *Quæ connexio illorum cum baſilica Vaticana*. XV. *Servientes baſilicæ Clerici aliquid accipiebant ex oblatis*. XVI. *Præcipuè Manſionarii, & Miniſtri altaris*. XVII. *Ceteris largiùs Canonici*. a pag. 41. ad 50.

SECTIO V. §. I. *Quid ex oblatis baſilicæ Vatic. conceſſerit Canonicis Innocentius II.* II. *Et Eugenius III.* III. *Necnon Innocentius III.* IV. *Super expoſitis oblationibus obſervanda quædam*. V. *Oblata tempore miſſar. tamquam hebdomadariis tributa Canonicis. Quinam ejuſmodi hebdomadarii?* VI. *Quænam portio pertinens ad hebdomadarios?* VII. *Ex illa aliquid aliis tradebatur*. VIII. *Portio oblatorum data Canonicis in ſtationibus nocturnis*. IX. *Vocata* presbyterium *in antiquis ſcriptionibus*. X. *Canonicis, quòd reſponſoria, & lectiones cantarent in ſtationibus, data portio oblatorum*. XI. *Alia etiam ob ſuppletum Cantorum Curiæ defectum*. XII. *Canonici vigilantes pallia aliquid ex oblatis lucrabantur*. XIII. *Et in ſtationibus diurnis, quod appellatum* presbyterium *ab antiquis*. XIV. *Ac pro delatione cathedræ S. Petri*. XV. *Necnon quoties Papa coronaretur ad S. Petrum, quod ex parte* presbyterium *nuncupatum*. XVI. *Quando Papa coronari ſoleret*. XVII. *Canonici de oblationibus participes in hebdomada ſanctiore*. a pag. 50. ad 57.

SECTIO VI. §. I. *Scholas, & Officiales Pontificis accepiſſe de oblatis ad S. Petrum. Quid acciperet ſchola Cantorum*. II. *Non omnia, quæ deſcripta, toti ſcholæ Cantorum fuiſſe conceſſa*. III. *Tota quidem extra ordinem aliquando participabat oblata Vaticana*. IV. *De iiſdem ſcholæ Subdiaconorum conceſſis*. V. *Acolythis*. VI. *Cappellanis*. VII. *Scholæ baſilicariæ*. VIII. *Et ſcholæ Crucis*. IX. *De oblatis Vaticanis aliquid percipiebant Oſtiarii palatini*. X. *Ac Vaſtararii*. XI. *Mareſcalli, & Mappularii*. XII. *Denique Magiſter Hoſpitii*. a pag. 57. ad 66.

SECTIO VII. §. I. *S. R. E. Cardinales participabant oblata S. Petro. De Cardinalis Epiſcopi Portuenſis portione juxta literas Johannis XIX.* II. *Alias Benedicti IX.* III. *Et Opus Canonici Romani*. IV. *Epiſcopatus Sylvæ candidæ, & S. Rufinæ idem aliquando ac Portuenſis nunc dictus*. V. *Quæ jura Portuenſis Epiſcopi in eccleſias aliquot Urbis, præſertim Vaticanam*. VI. *De Presbyteris hebdomadariis S. Petri, Cardinalibus potiſſimùm*. VII. *Num Epiſcopi Cardinales celebrarent olim ad altare Vaticanum?* VIII. *Quid acciperent de oblatis S. Petri Cardd. hebdomadarii*.

IX. *Et*

IX. *Et Diaconi Cardd. miniſtrantes ad altare Vaticanum*. X. *Ac alii Regionarii vel Stationarii, aut Baſilicarii*. XI. *Necnon ſimul reliqui Cardd. juxta Romanum Canonicum*. XII. *Juxta Benedictum Canonicum, ejuſque additorem*. XIII. *Juxta Cencium Camerarium*. XIV. *Quid etiam Vicarius, Camerarius, & Cancellarius Cardinales*. a pag. 66. ad 75.

SECTIO VIII. §. I. *Papa oblationum Vaticanar. particeps*. II. *Eidem generatim omnes illæ reſervatæ*. III. *Ex illis ſibi aliquid vindicabat. Quid annuatim acciperet pecuniæ, ſeculo* XII. *deſinente*. IV. *Ac ſeculo ſequente*. V. *Aliæ oblationes quotannis certis diebus, ac menſibus Papæ debitæ*. VI. *Dilucidatio poſtremò dati loci*. VII. *Quid ſingillatim Pontifici daretur in ſtationib. Vaticanis*. VIII. *Quibus in ſtationibus Vatic. accenderentur retia*. IX. *Portio quædam tributorum Papæ in ſtationibus aliquando duplicata*. X. *Portiones aliæ Papæ traditæ in ſtationibus nocturnis*. XI. *Quæ & in diurnis, maximè Dedicationis baſilicæ, & feſti S. Marci*. XII. *Uſus hujus poſtremæ ſeparatim deſcribendi*. a pag. 75. ad 81.

SECTIO IX. §. I. *Clerici Urbis in propriis eccleſiis, aut cappellis die 25. Aprilis collectam agebant*. II. *Illinc procedebant ad Titulum S. Marci*. III. *De Papa illuc procedente a Lateranis cum Curia, & Clericis aliquot Patriarchalium Benedicti Canonici teſtimonium*. IV. *Aliud Cencii Camerarii*. V. *Ritus obſervati, Papa iter agente ad S.Marcum*. VI. *Panvinius notatur*. VII. *Ab eccleſia S. Marci univerſi procedebant ad S.Petrum*. VIII. *Quæ agerentur per viam, & qua methodo juxta Cencium*. IX. *Et Mallium*. X. *Ac Benedictum Canonicum*. XI. *Papa baſilicam adibat ſtationalem miſſam cantaturus*. XII. *An huic miſſæ adſtarent Clerici Urbis?* XIII. *Officiales Papæ deſcribebant collegia Clericorum ad Vaticanum accedentia*. a pag. 81. ad 86.

SECTIO X. §. I. *Pontifex, & ordines Curiæ die S. Marci portione oblatorum donabantur, quæ* presbyterium *appellata ex Cencio*. II. *Benedicti Canonici locus eamdem portionem ſignans*. III. *Alius Canonici Romani*. IV. *Clero ſua portio oblatorum tradebatur. Quæ ejus ſumma*. V. *Diviſio ejuſdem portionis, quæ &* presbyterium *dicta*. VI. *Circa prædeſcriptam ſummam authorum confuſio, aut error*. VII. *Cur aliquos Clericos participaſſe de oblatis ob lectos, & lobia narravit Romanus Canonicus*. VIII. *Quare aliquibus portio daretur pro lancea*. IX. *De portione Clericorum participabant Officiales ad eoſdem deſcribendos deſtinati*. X. *Et alii participabant*. XI. *Super illis, præſertim Guidonibus, obſervanda*. XII. *De diſtributoribus* presbyterii. XIII. *Quicumque ſorent, Curia diſtribuebat*. XIV. *De loco, ac tempore diſtributionis*. a pag. 86. ad 95.

PARS

Digitized by Google

PARS II.

Origo Ritus tradendi *presbyterium* Papæ frequentiùs apud baſilicam S. Petri auguſtè celebranti, necnon Clericis Urbis illuc accedentibus die 25. Aprilis, ejuſque vetus, ac nova forma, & ratio diſquiritur, aſſeritur, explanatur.

SECTIO I. §. I. *Dicta præced. Parte colliguntur. Rememoratur offerendi diſciplina Eccleſiæ adoleſcentis*. II. *Sequentis ætatis.*. III. *Ac minùs antiquæ. Reminiſcimur ſpeciatim oblata Romæ.* IV. *Maximè ad Vaticanum*. V. *Et die S. Marci*. VI. *Rememoratur, quod pars oblatorum ad Eccleſiaſticos præcipuè pertinens* presbyterium *appellaretur*. VII. *Ac pro ſtipendio daretur cuique congruo*. VIII. *Eruitur origo* presbyterii *Papæ concedi ſoliti in Vaticano*. IX. *Et illius, quod Clericis traditur die S. Marci*. X. *Cur utrumque inſtitutum, deducendum a cauſſa inſtitutæ diſciplinæ oblationum. Quænam, & quotuplex iſthæc?* XI. *Charitas & unitas chriſtiana expreſſa in diſciplina oblationum adoleſcentis Eccleſiæ*. XII. *Etiam ſequentis ætatis. Probatur ab uſu offerendi pro ſacrificio*. XIII. *Ex diſciplina reliquorum oblatorum.* XIV. *Atque conditione excluſorum ab offerendo*. XV. *Proprium ſtipendium, & dignitatis Cleri vera idea per diſciplinam oblationum etiam deſignata*. XVI. *Concluditur charitatem, & unitatem chriſtianam, necnon ſtipendii, & dignitatis clericalis conditionem ſignari per* presbyterium *Vaticanum*. a p.96. ad 101.
SECTIO II. §. I. *Quædam dicta confirmantur. Eccleſiæ ſpiritus unitas, & charitas. Liquet ex Evangelio*. II. *Ex epiſtolis S. Paulli*. III. *Et Patribus*. IV. *Idem ſpiritus expreſſus ab Eccleſia in ſuis inſtitutis. Exemplum in inſtituto R. E. tranſmittendi Fermentum.* V. *Quod etiam per eccleſias reliquas frequentatum.* VI. *Ex hoc illatio viri clariſſimi*. VII. *Unitatis ſpecies in exceptoribus, & diſtributoribus oblationum*. VIII. *In eccleſia, ad quam iſtæ conferebantur*. IX. *In altari, quo potiſſimùm collatæ, & unde deſumptæ*. X. *In occaſione, ſeu tempore, quo oblata colligebantur*. XI. *Præcipuè panis, & vinum*. XII. *Clerici præcipua chriſtiani corporis membra, & charitatis exempla*. XIII. *Ex altari ſtipendium, ſeu alimonia Cleri*. XIV. *Clerus militiæ comparatus*. XV. *Chriſtus Dux, & Sacerdos ſupremus*. XVI. *Clerici pauperum conſortes, & humilitatis ſectatores*. a pag. 102. ad 110.
SECTIO III. §. I. *Stabilitur ex aliis aſſerta ratio originis* presbyterii *Vaticani*. II. *Prærogativa, & indoles Romanæ Eccleſiæ*. III. *Baſilicæ Vaticanæ decus ex Petri Reliquiis*. IV. *Petrus quaſi præſens in eadem baſilica ſemper creditus, poteſtatemque exercens*. V. *Litaniæ majoris hiſtoria neceſſariò ſcienda*. VI. *Unde dicta litania major? Super ejus authore, ac origine opinio quorumdam.*
VII.

Digitized by Google

VII. *Opinio Card. Baronii*. VIII. *Opinio Bailleti*. IX. *Quæ valdè probabilis*. *Aliqua de ſeptiformis litaniæ denominatione*. X. *Verè, & propriè dici poſſe S. Gregorium M. inſtitutorem litaniæ majoris diei 25. Aprilis*. XI. *Cur ad eamdem agendam electa ea dies?* XII. *Aliqua dictorum conſectaria*. XIII. *Collectæ locus, immutato proceſſionis litaniæ majoris tempore, idem manſit*. XIV. *Lucinæ Titulus quare pro eodem loco antiquitus aſſignatus*. XV. *Quando, & quare dicta collecta tranſlata ad Titulum S. Marci*. XVI. *Quæ primigenia ſollemnitas diei 25. Aprilis?* XVII. *Inductio ex dictis*. a pag. 110. ad 124.

SECTIO IV. §. I. *Vaticanum* presbyterium *ſic dictum a Chriſto, & Petro*. II. *Fortè & a Clericis*. III. Presbyterium *appellabatur ſalarium*. IV. *Atque emeritum ſtipendium*. V. *Militibus comparati Clerici* presbyterio *donandi*. VI. *S. Petri intereſſe, & ejus baſilicæ honor in* presbyterii *præſtatione*. VII. *Canonicis S. Petri datus locus princeps in Clero procedente die S. Marci*. VIII. *Etiam datum* presbyterium *copioſius*. IX. *Portio* presbyterii, *quæ aliis Clericis dabatur, uniformis non erat*. X. *Clericis Urbis nihil alibi* presbyterio *Vaticano ſimile traditum*. XI. *Non unica diei S. Marci præſtatio Vaticana* presbyterium *nuncupata*. XII. *Papa* presbyterium *unicè accipiebat ad baſilicam Vaticanam*. XIII. *Nec illi indecorum, quòd Romanus Epiſcopus*. XIV. *Aut, quòd Papa*. *Quid iſte reſpectu Chriſti*. XV. *De ſummorum Pontificum humilitate, ac obſequio erga S. Petrum*. a pag. 125. ad 134.

SECTIO V. §. I. *Falli opinantes, quod per acceſſum ad Vaticanum Clerici* presbyterium *accepturi ſubjicerentur Canonicis S. Petri*. II. *Ex hac opinione turbæ ſub Alexandro IV. Ejuſdem pro iis ſedandis literæ*. III. *Reliquiæ turbarum aliis Alexandri literis deletæ*. IV. *Bulla Eugenii IV. pro firmandis conſtitutis ab Alexandro IV*. V. *Alia Nicolai V*. VI. *Ejus conficiendæ occaſionem ex ipſius textu prodi*. VII. *Quæ & ab authoritate Scriptorum confirmatur*. VIII. *Privilegium ſingulare per bullam Nicolai conceſſum Archipresbytero, & Capitulo S. Petri*. IX. *Ab univerſo Clero ſub Alexandro IV. certatum, & de ſumma rerum*. X. *Occaſio hujus concertationis*. XI. *Subjectionis opinionem verè turbaſſe Clerum Urbis, probat ipſum Alexandri decretum*. XII. *Varietas inducta in conſuetudine dandi* presbyterium *eam opinionem genuit*. XIII. *Cauſſæ hujus varietatis veſtigandæ; ſed poſt explanatum recentiorem uſum noſtri Ritus*. a pag. 134. ad 146.

SECTIO VI. §. I. *Quid Papa ageret circa initia ſeculi* XVI. *in feſto S. Marci*. II. *Uſus Vaticanus recens dandi Papæ* presbyterium. *Locus Chiapponi*. III. *Definitio, ſumma, & ſors hujus* presbyterii *juxta eumdem*. IV. *Et Mucantium, ac fratres Macros*. V. *Qui notantur, uti etiam in aliquo Angelus Roccha*. VI. *Vatica-*

ticanum papale presbyterium *componi ex denariis antiquioris ſigni*. VII. *De tradente* presbyterium, *ſi abſit Archipresbyter*. VIII. *An liberum aliquid addere ſolitæ tradendi* presbyterium *formulæ*? IX. *Pontifex tradenti nonnumquam reſpondet*. X. *Accipitur nunc* presbyterium *a Papa etiam Lateranis*. XI. *Apud baſilicam Liberii*. XII. *Dubium ibidem aliquando excitatum*. XIII. *In aliis quoque Urbis eccleſiis Papa* presbyterio *donatur*. XIV. *Num diverſa formula apud eaſdem idem tradendum*? XV. *Utrum* presbyterium *tradi poſſit extra Urbem*. XVI. *Vel in miſſis pro defunctis*. a pag. 146. ad 152.

SECTIO VII. §. I. *Ordines Curiæ numquam nunc* presbyterio *donantur*. II. *Clerici Urbis illud accipiunt die* 25. *Aprilis poſt proceſſionem litaniæ majoris*. III. *Proceſſionis hujuſce quæ methodus, uſuſque ſub initiis ſeculi* XVI. IV. *Non idem penitus uſus ætatis noviſſimæ*. V. *De collecta, & ſupplicatione Cleri S. Petri*. VI. *De collecta univerſi Cleri*. VII. *Et initio ſupplicationis generalis*. VIII. *Rubricæ quorumdam agendorum, necnon canendorum in litaniis majoribus*. IX. *Romanus Clerus propriè nuncupatus deſcribitur*. X. *Quæ univerſi Cleri methodus in canendis per viam litaniis, aliiſque*. XI. *Clerus ingrediens baſilicam Vaticanam qua forma excipiatur*. XII. *Num ea laudabilis*? XIII. *Eadem ex parte per Apoſtolicam Sedem approbata*. XIV. *De aliis, ingrediente Clero, actis per miniſtros S. Petri*. a p. 152. ad 162.

SECTIO VIII. §. I. *Secularis Clerus in ingreſſu baſilicæ Vatic. accipit* presbyterium. *Quale illud*. II. *Clari Scriptoris error circa ſummam hujus præſtationis*. III. *Quomodo tradatur, & excipiatur* presbyterium. IV. *Duo completæ diſtributionis conſectaria notantur*. V. *Utrum Clerus Vaticanus de* presbyterio *participet*. VI. *Antiquioris, recentioriſque ritus noſtri comparatio inſtituitur. Ac primùm obſervatur, an in aliquo omnino conveniant*? VII. *Concordat uterque ritus ex parte circa fontem, rationemque monetarum*. VIII. *Eruditi authoris error circa valorem* presbyterii *quondam Papæ tributi*. IX. *Vetus, novuſque ritus aliquomodo concordat circa munus Camerarii Cleri*. X. *Diſcordat in accomodatione, & idea nuncupationis* presbyterii. XI. *In loco ad diſtributionem deputato*. XII. *In agendis per Papam, & Curiam*. XIII. *In methodo, formaque procedentis Cleri*. XIV. *In* presbyterio *monaſteriorum*. XV. *Et eccleſiarum Cleri ſecularis*. a pag. 162. ad 170.

SECTIO IX. §. I. *De cauſſis generalibus tot diverſitatum*. II. *Una ex peculiaribus cauſſis alteratio diſciplinæ oblationum*. III. *Earum recens infrequentia, præſertim illatarum ad miſſas non in uſum ſacrificii*. IV. *Ac ad ejuſdem uſum*. V. *De oblatis extra tempus miſſarum*. VI. *Veſtigia antiquæ diſciplinæ oblationum in miſſis Rom. Curiæ*. VII. *In eccleſiis Urbis*. VIII. *Et ſpeciatim*

Digitized by Google

Vaticana. IX. Quam do, & quando innovata diſciplina oblationum Romanarum, maximè Vaticanarum. X. Cauſſas alias, quæ alterarunt pleroſque Romanos ritus, alteraſſe noſtrum. XI. Quænam illæ ex Card. Cajetano, aliiſque? XII. Ex Paride Craſſi? XIII. Atque Auguſtino Piccolomineo? XIV. Cauſſarum harumce maxima abſentia Pontificum ab Urbe. XV. Ac potiſſimùm occaſione ſeceſſionis Avenionenſis. XVI. Quæ certè ſpecialis cauſſa diſcordiarum inter antiquam, ac recentiorem conſuetudinem dandi presbyterium. a pag. 170. ad 179.

SECTIO X. §. I. Capitulo S. Petri verè deberi ſervatum veteris presbyterii veſtigium. II. An ullus Pontifex, & quinam ille, veſtigium hocce ſtabiliverit? Conjicitur, fuiſſe Innocentium VIII. III. Idem confirmatur. IV. Quiſquis fuit, juſtè omnia, & prudenter ſtabilivit. V. Probatur exemplo noviſſimæ ideæ presbyterii Papæ tradendi. VI. Et Diſpenſatorum presbyterii Clericis debiti. VII. Et uſus excludendi nunc ab hujus participatione Clerico-monachos, & Monachos. VIII. Quàm ſapienter inſtituta ratio, qua incedit Romanus Clerus, excipiturque a Clero Vaticano. IX. Tum quæ aſſignata eſt Camerario presbyterii portio. X. Vetus oeconomia presbyterii eccleſiis traditi congruebat veteri earumdem ideæ, quæ explicatur. XI. Sequitur idem argumentum. XII. Et illud proſequitur. XIII. Ideam eccleſiar. Urbis valde diverſam fuiſſe ab antiqua, ſeculo xv. cadente. XIV. Hinc novæ oeconomiæ neceſſitas; cujus quæ fuerit regula, declaratur. XV. Ex presbyterio Patriarchalibus, & duobus præcipuis Titulis conceſſo oſtenditur, ad eam regulam rem compoſitam fuiſſe. XVI. Et quidem prævio examine. a pag. 179. ad 192.

PARS III.

Veſtigatur, & aperitur derivatio, fortuna, atque conditio Ritus diſtributionis *presbyterii* a Romanis Pontificibus agi ſolitæ die poſſeſſionis Lateranenſis.

SECTIO I. §. I. Lateranenſis presbyterii notitiam ſine notitia plurium aliarum publicar. veterum largitionum papalium concipi non poſſe. De iis diſſerendum. II. Quàm ampla fuerit olim papalis publica liberalitas. Teſtimonium ex vitis Gelaſii I. & Symmachi Pontificum. III. Ac Vigilii, quod explicatur. IV. Teſtimonia ex vitis Adeodati, Bonifacii V., & Severiani, quæ itidem explicantur. V. Alia e vitis Johannis IV. Eugenii I. & Doni. VI. Ac Benedicti II. Johannis V. necnon Cononis. VII. Morula ſuper voce, honor. VIII. Et, roga. IX. Necnon, benedictio. X. Sequuntur teſtimonia ex vitis Gregorii II. Zachariæ, & Hadriani I. XI. Atque Leonis III. Valentini, & Leonis IV. XII. Teſtimonium ex epiſtolis, & geſtis S. Gregorii Magni.

Digitized by Google

gni. XIII. Ex celebri reſponſo Martini Papæ, & martyris. XIV. Ex antiphonario Gregoriano, ac vulgato Alcuino. XV. Ex nonnullis Ordd. Romanis. XVI. Paucula de triclinio Lateranenſi. a pag. 193. ad 204.

SECTIO II. §. I. Quinam ſentirent priſca ætate publicam Pontificum liberalitatem. II. Quibus occaſionibus ea ſe proderet. III. Occaſio primi acceſſus ad Lateranum ſplendidior inter illas. IV. E largitionibus tali occaſione profuſis, quæ manu Papæ traderetur, illuſtre erat indicium pontificiæ majeſtatis. V. Largitiones veterum Pontiff. publicæ communibus denominationibus indicabantur, presbyterii potiſſimùm. VI. Num datum Presbyteri idem referat, ac presbyterium? VII. Antiquioris ætatis presbyteria ex quibus conflata? Quid ſcutella? VIII. Argentei, & aurei nummi diſtributi in largitionibus inſignioribus. IX. Conjectura de valore argenteorum. X. De valore aureorum. XI. Quæ proportio in diviſione presbyterii, maximè Clericorum. XII. De quantitate portionum cujuſque. Ea pendebat ab arbitrio Pontificum, uti generatim presbyteriorum quantitas. XIII. Largitiones ejuſmodi eruebantur ex cumulo pecuniarum a viris Principibus ad Sedem Apoſtolicam tranſmiſſarum. XIV. Et xeniorum, quæ aliquando a civibus afferebantur. XV. Ac redditibus R. E. & paternis, aliiſque peculiaribus Pontificum. XVI. De veteri curatore, ac diſtributore presbyteriorum, ſeu largitionum papalium. a pag. 204. ad 214.

SECTIO III. §. I. Deſcriptæ largitiones unicè in commodum Cleri, populique conceſſæ. II. De largitionibus ætatis minùs antiquæ. Quæ largitio ſabbathi ante Dominicam gaudete. III. Pervigilii natalis Domini. IV. Diei natalis ejuſdem ex Benedicto Canonico. V. Ex Cencio. VI. Atque etiam aliis. VII. Quæ largitio diei S. Stephani. VIII. Ac Epiphaniæ. IX. Diei Carniſprivii. X. Dominicæ lætare, & ſabbathi Scrutiniorum. XI. Feriæ v. in cœna Domini juxta varios ſcriptores liturgicos, maximè Benedictum Canonicum. XII. Juxta Cencium. XIII. Juxta authorem Ceremonialis Gregorii X., & Ordinarii R. E. XIV. Juxta Amelium, ejuſque additorem. XV. Necnon ms. Ceremoniale Brunonis Trajectenſis. XVI. Sugerius Abbas largitionem feriæ v. atteſtatur. XVII. An Papa aliquid largiretur feria VI. in paraſceve? a pag. 214. ad 228.

SECTIO IV. §. I. Papalis liberalitas in Notarium annunciantem die Paſchatis baptizatos nocte ſancta ad S. Mariæ majoris. II. Et ad S. Petri, ac S. Paulli ſequentibus diebus. III. Liberalitas Papæ ad palatium reverſi die Paſchatis ex Benedicto Canonico. IV. Et feria II. V. Dominicæ paſchalis pontificia liberalitas ex Cencio. VI. Ac ſecundæ feriæ. VII. Quid de largitionibus papalibus Dominicæ paſchalis ſcripſerit Petrus Amelius. VIII. Necnon Bru-

Digitized by Google

Bruno Trajectenſis. IX. *Memorantur largitiones reliquar. ſollemnitatum uſque ad Adventum*. X. *De nonnullis incerti temporis pontificiis largitionibus*. XI. *Occaſione primæ Coronationis liberales erant Romani Pontifices*. XII. *Exemplum in geſtis Innocentii III.* XIII. *Bonifacii VIII.* XIV. *Urbani VI.* XV. *Pii II.* XVI. *Et Innocentii VIII.* a pag. 228. ad 239.

SECTIO V. §. I. *Largitiones pontificiæ diei* 1. *Coronationis cum annexis ritibus deſcribuntur juxta authores rituales. De variis pecuniæ jactibus per Urbem factis, procedente Papa ad Lateranum ex Ordine Cencii*. II. *Ex Ceremoniali Gregorii X., & Ordine Cajetani*. III. *Judæi occurrebant Papæ per viam. Ritus hujus occurſus*. IV. *De arcubus honori Papæ erectis a Romanis, & occurſu Clericorum*. V. *Hujus ritus*. VI. *Judæos, Romanos, & Clericos liberalitatem Papæ fuiſſe expertos*. VII. *Cencius fuſius memorat largitionem Romanis traditam*. VIII. *Necnon Patriarchalium, aliarumque principum eccleſiarum Clericis*. IX. *Sicut etiam reliquarum*. X. *Num codex Cencii mox exſcriptus pro integro habendus ſit?* XI. *De aliis eccleſiis tamquam participibus liberalitatis pontificiæ in eo codice expreſſis*. XII. *Sphalmata nonnullorum Eruditorum circa quantitatem* presbyterii *eccleſiarum*. a pag. 239. ad 249.

SECTIO VI. §. I. *Quædam de ritibus, & jactibus pecuniæ ante baſilicam Lateranenſem actis ex Cajetano*. II. *Et intra eamdem, proximumque palatium, & cappellam*. III. *De alia largitione*. IV. *Cujus ritus deſcribitur ex eodem Cajetano*. V. *Qui & aliam largitionem meminit*. VI. *Aliqua circa participes, & conditionem harum largitionum ex Cencio*. VII. *Elucidantur nonnulla obſcuriuſculè dicta in dato Cencii loco ex aliis locis*. VIII. *Atque hæc ex aliis*. IX. *Quid ſpeciatim tribueretur die Coronationis laicis aliquot nobiliſſimis*. X. *Num pares ritus, & largitiones obſervatæ, Pontificibus conſecratis, & coronatis extra Urbem?* XI. *Iis Romam primò accedentibus, aut repetentibus occurſus fiebat juxta Ceremoniale Gregorii X.* XII. *Quod comprobatur per documenta hiſtoricorum*. XIII. *Et tunc etiam liberalitas Pontificum emicabat ex Cencio*. a pag. 249. ad 257.

SECTIO VII. §. I. *Ejuſdem liberalitatis alia extraordinaria exempla*. II. *Summa notatorum circa largitiones ætatis minùs antiquæ. In quos illæ profuſæ*. III. *Quot earum ſpecies*. IV. *Quorum manu profunderentur*. V. *Et quibus opportunitatibus*. VI. *Inter has illuſtrior dies Coronationis, præſertim prima*. VII. *Largitionum papalium nobiliſſima, quæ ex nummis manu Pontificis, p tiſſimè mox notatis diebus, diſtributa*. VIII. *Eædem deſumptæ ex ærario Apoſtolico, dataquè pro libito Papæ*. IX. *Libiti hujus quæ regula*. X. *Participantes liberalitatem Pontificis aliquo ex titulo participes erant*. XI. *Feſtum Thuribulorum quodnam?*

XII.

XII. *Pauca ſuper arcubus a populo Romano die Coronationis primæ, aliiſque erectis, ac via papali a S. Petro ad Lateranum.* XIII. *Denominatio præſtitorum a Pontifice multiplex; ſed* presbyterii *frequentior.* XIV. *Imo* presbyterii *denominatio genus erat ceterarum.* XV. *Attamen* presbyterium *vocabatur ſpeciatim unum datorum præſertim die Coronationis, eique ſimilibus.* XVI. *Ethymon ejuſcemodi, aliorumque* presbyteriorum *papalium.* a pag. 257. ad 266.

Sectio VIII. §. I. *Ætas minùs antiqua veterem publicæ pontificiæ liberalitatis æconomiam ſervavit. An & noviſſima?* II. *Quid recentius Ceremoniale R. E. in ſollemnitate ineundæ per Pontificem poſſeſſionis agendum præſcripſerit ad Vaticanum, & per viam uſque ad baſilicam Lateranenſem.* III. *Ac prope, & intra eamdem. De largitionibus,* presbyterii *præſertim, ibi faciendis.* IV. *Quæ methodus deſcriptarum actionum, Papa extra Urbem coronato, juxta laudatum Ceremoniale.* V. *De obſequiis a Romano populo Papæ præſtandis.* VI. *Præſcripta in Ceremoniali non integrè obſervata. Quid certò obſervatum ſub Leone X.* VII. *Et ſub Paullo III.* VIII. *Multùm poſtea variatum. Omiſſa maximè non ſemel* presbyterialis *largitio.* IX. *Quæ reſtituta per Clementem VIII. Excerptum hiſtoriæ initæ ab eodem poſſeſſionis.* X. *Reſtitutam largitionem numquam poſtea neglectam, duorum Scriptorum verbis comprobatur.* XI. *Necnon exemplo geſtorum in poſſeſſione inita per varios Pontifices ſeculi* xvii. XII. *Et alios noſtri ſeculi, cujus praxis circa univerſam pontificiarum poſſeſſionum celebritatem deſcribitur.* a pag. 266. ad 279.

Sectio IX. §. I. *In ſollemnitate poſſeſſionis eccleſiæ Lateranenſis ſervata fuit priſca publicæ liberalitatis pontificiæ æconomia.* II. *Ex dictis hactenus pernoſcitur, quid* presbyterium *Lateranenſe, unde ejus nomen, & qualis ejus ritus.* III. *Quanti olim fecerit Romanus populus donari* presbyterio *per Pontifices.* IV. *Largitiones* presbyterii *a Pſeudopontificibus non omiſſæ.* V. *Honor diſpenſandi* presbyterium *a Pontiff. conceſſus Præſulibus exteris illuſtrioribus.* VI. *Honor idem conceſſus laicis Principibus, quod exemplo comprobatur Regis Anglo-ſaxonum.* VII. *Et Cæſarum novi Occidentalis Imperii.* VIII. *Laicis Principibus maximè Impp., ut coronarentur, Romam petentibus, obſequia, & occurſus præſtabantur ab omnibus ordinibus.* IX. *In Coronatione Caroli V. Bononiæ acta largitio propriè dicta* presbyterium *omiſſa fuit.* X. *Permiſſio diſpenſandi* presbyterium *ſeculi Principibus conceſſa, concedendave carpi non poteſt.* XI. *Num aliquod papalis liberalitatis inſtitutum ab imitatione Judaicarum conſuetudinum fluxerit?* XII. *Uſus miſſilium translatus in pontificios ex laicorum, etiam ethnicorum, moribus.* XIII. *Et conſuetudo diſtribuendi* presbyterium *propriè dictum.* XIV. *Atque epulas dandi certis ſol-*

ſollemniis. XV. *Etiam uſus celebrandi natalem aſſumptionis*. XVI. *Necnon ritus Coronationis*. XVII. *Quædam tamen poſtea accepta a ſeculi Principibus chriſtianis Romanæ originis ex inſtitutis eccleſiaſticar. largitionum, occaſiones potiſſimùm*. XVIII. *Et conceſſio munerum clericis, ſeu eccleſiis*. XIX. *An & alii chriſtiani Principes diverſæ a Romana originis ſimile quidpiam deſcriptis egerint?* a pag. 279. ad 289.

SECTIO X. §. I. *Legati a latere imitatores fuere papa is liberalitatis*. II. *Presbyteri Cardd. itidem poſt ordinationes ſuas*. III. *Et Patriarchæ novæ Romæ*. IV. *Quibus occaſionibus, & quibus illorum munera darentur*. V. *Pauca de nummis per eoſdem Patriarchas diſtributis Clero*. VI. *Uſus eccleſiæ Edeſſenæ*. VII. *De erogationibus Antiſtitum Ravennatum*. VIII. *Ac Mediolanenſis eccleſiæ*. IX. *Lucanæ*. X. *Rhemenſis, & Lugdunenſis*. XI. *Laudunenſis*. XII. *An adhuc vigeat apud eamdem uſus erogationis pontificio* presbyterio *perſimilis?* XIII. *Myſticum aliquid ſubintellectum fuiſſe in quibuſdam ex diſtributionibus præfatis. An hoc acceptum ex Romanis moribus?* XIV. *Quid probabiliter ſubintelligi voluerint majores noſtri per inſtitutum* presbyterii *Lateranenſis*. XV. *Quàm rectè ſervatus ritus* presbyterii *Lateranenſis. Num credibile ſit, eum aliquando abolendum fore?* XVI. *De veris cauſſis viciſſitudinum, & abrogationis* presbyteralium *largitionum. Eruditi Scriptoris opinio notata*. a p. 289. ad 298.

COROLLARIUM

Quo pollicita in Prologo exſoluta fuiſſe declaratur, & afferuntur nonnulla in tractatione prætermiſſa.

SECTIO UNICA. §. I. *Complexio breviſſima eorum, quæ aſſerta ſunt* I. & II. *Parte Lucubrationis circa* presbyterium *Vaticanum*. II. *Altera aſſertorum Parte* III. *circa* presbyterium *Lateranenſe*. III. *An per hæc propoſito argumento factum ſatis?* IV. *Mutilæ quædam* presbyterii *definitiones notantur*. V. *Vox*, presbyterium, *perperam accomodata rebus ipſis diſtributis*. VI. *Hallucinatio Scriptoris ſuper antiquo uſu diſtribuendi* presbyterium *more Vaticano*. VII. *Oblationis genus eſſe, non* presbyterii, *quod Papa die poſſeſſionis locat ſuper altare Lateranenſe*. VIII. *Errores circa ethymon vocis*, presbyterium. IX. *Error circa ſignificationem actionis dandi* presbyterium *Lateranis*. X. *Et cauſſam diſtributionis* presbyterii *eccleſiarum*. XI. *Ac originem inſtitutionis* presbyterii, *preſertim populo Romano diſtributi*. a p. 298. ad 304.

AD

AD

LUCUBRATIONEM DE PRESBYTERIO

APPENDIX I.

CONJECTURÆ

De veteri Schola Crucis: Collegio Rectorum Rom. Fraternitatis: & utriuſque veſtigiis.

Num. I. *Scriptiunculæ hujus cauſſa, & argumentum.* II. *Qui componerent veterem* Scholam Crucis, *conjici poſſe ex collatione Ceremonialis Piccolominei cum antiquis Rom. Ordd.* III. *Componebatur* Schola Crucis *e Sacriſta, Subdiaconis, & Magiſtris ceremoniarum.* IV. *Vel e ſolis Subdiaconis, Sacriſtæ tamen, & Magiſtrorum munia olim etiam explentibus.* V. *Saltem Subdiaconi erant pars ejus potior.* VI. *Componebatur e paucis, certè Clericis tantùm.* VII. *Et illi propterea diverſi a ſtauroferis.* VIII. *De* Cruce *ſtationali Vaticana.* IX. *Atque aliis Cleri.* X. *Quædam de* Cruce *papali.* XI. *Munus Subdiaconorum, Magiſtri ceremoniar., ac Sacriſtæ circa Cruces prænotatas.* XII. *Ex dictis conjici, unde ii ſint appellati* Schola Crucis, *& quid hujus ſuperſit antiqui.* XIII. *Romæ in Clero* II. *ordinis quinam* Rectores? XIV. *Iis præerat Collegium* Rectorum Fraternitatis. XV. *De illius authoritate.* XVI. *Cur* Fraternitatis *appellatum.* XVII. *Quæ, & qualia ejus membra.* XVIII. *Quo loco congregari ſoleret.* XIX. *An penitus evanuerit?* XX. *Ejuſdem conſpicuum ſupereſſe veſtigium in* Camerario Cleri. a pag. 304. ad 316.

AD

LUCUBRATIONEM DE PRESBYTERIO

APPENDIX II.

EXCURSUS HISTORICUS

De publicis priſcorum Principum Romanorum largitionibus.

Num. I. *Quid hic tractandum.* II. *Indicia quædam authentica liberalitatis veterum Romanorum Principum.* III. *Eorum munificentia in populum. De* miſſilibus. IV. *Et* congiario. V. *Princi-*

cipum Romanorum liberalitas in milites. De præmiis. VI. *De* donativis, *potiſſimè gravioribus*. VII. *De aliis donativis*. VIII. *Primores reip. donabantur a Principibus Romanis.* IX. *Uti etiam Sacris Præfecti*. X. *Ac Principes hoſpites*. XI. *Ex quibus conſtarent largitiones præmemoratæ*. XII. *Earum uſus cum diſcrimine ordinum, ac perſonarum*. XIII. Convivia *pars erant publicæ liberalitatis Romanorum Principum*. XIV. *Quæ* occaſiones *hujuſce liberalitatis*. *De iis generatim*. XV. *Ordinariæ quædam occaſiones indicantur.* XVI. *De* laudibus *largitiones aliquot concomitantibus*. XVII. *Ex* arbitrio *Principum conditio, ac tempora, moduſque largitionum*. XVIII. *Largitionum exequendarum ratio, ſive* modus *e Scriptoribus*. XIX. *Ex numiſmatis*. XX. *Varia Romanarum largitionum, ad eaſque pertinentium* nomina *&c.* a pag. 317. ad 331.

AD

LUCUBRATIONEM DE PRESBYTERIO

APPENDIX III.

COLLECTIO DOCUMENTORUM

Quæ ad calcem univerſi Operis remiſsa ſunt.

NUM. I. *Literæ Calliſti PP. II. facultatem teſtandi reſtituentis habitatoribus civitatis Leoninæ*. II. *Donatio quorumdam bonorum, & jurium facta per Franconem de Sere*. III. *Ritus benedicendi Pallia*. IV. *Teſtamentum Philippi Cardinalis de Alenconio*. V. *Literæ Eugenii PP. IV. contra expilatores Palatior. S. Chryſogoni, & S. M. trans Tyberim*. VI. *Literæ Martini PP. V. pro ſervando privilegio quodam Tituli S. M. trans Tyb.* VII. *Literæ Nicolai PP. V. ſuper eodem privilegio*. VIII. *Donatio quorumdam jurium in Tyberi*. IX. *Locatio Caſtri Orciani*. X. *Locatio modiorum aliquot terræ*. XI. *Enarratio translationis corporum duorum SS. MM.* XII. *Decretum S.R.C. ſuper exceptione Capitulorum S. M. trans Tyberim, & S. Laurentii in Damaſo agenda ad S. Petrum die S. Marci*. XIII. *Literæ Clementis PP. VIII. uſum cappæ amplæ concedentis Clero S. M. trans Tyb.* XIV. *Aliæ Bonifacii PP. IX. ſibi reſervantis oblationes quarumdam eccleſiarum*. XV. *Laciniæ quarumdam literarum Honorii PP. III.* XVI. *Indultum deferendi cappam amplam a Nicolao PP. V. conceſſum Clero S. Petri*. XVII. *Literæ Eugenii PP. IV. ſuper unione nonnullarum eccleſiarum Urbis*. XVIII. *Literæ Julii PP. II. Soldanum Urbis eligentis*. XIX. *Charta conceſſionis*

nis Hoſpitalis S. Agathæ in monte malo. XX. *Locatio Caſtri Ringiani*. XXI. *Excerptum hiſtoriæ poſtremæ Dedicationis baſilicæ S. Mariæ trans Tyberim*. a pag. 332. ad 382.

TABULA I. *pag.* 147.
TABULA II. *pag.* 163.
TABULA III. *pag.* 278.
TABULA IV. *pag.* 318.



[library stamp]

AD-

ADDENDA.

Pagina 22. *linea* 1. *poſt* prodiit *adde*
(ut nihil dicam de decreto attributo S. Alexandro Papæ)
Pag. 48. *lin*. 7. *poſt* Vaticanis *adde*
par. 1. pag. 104.
Pag. 56. *lin*. 13. *poſt* aliud *adde*
forſan aliquando acceptum ex oblatis ad ipſam Cathedram
Ibid. *lin*. 37. *poſt* Alamannus *adde*
de Lateranenſibus parietinis
Pag. 71. *lin*. 10. *poſt* Stephanus *adde*
aut Stephani biographus,
Pag. 329 *lin*. 30. *poſt* num. 14. *adde*
Quo ritu donandi primæ notæ viri munera acciperent Auguſtorum, paucis, ſed minimè inconditis verſiculis ita exponit allegandus rurſum intra Juſtini II. encomiaſtes:

Inde Senatorum ſacro recitantur ab albo
Nomina, Conſcripti Patres; qua voce citati
Accedunt hilares, ſubeuntque altiſſima ſedis
Culmina: protendunt dextras, & præmia ſumunt
Conſulis, & Mundi Domini, doniſque ſuperbi
Fulvo plena ferunt argentea vaſa metallo.

CORRIGENDA.

Pagina	*linea*	*habetur*	*legatur*
6	34	pag. 895.	pag. 896. & ſeqq.
24	10	Alias	Alias
——	36	cap. 1I.	cap. 11.
43	10	filiis	filis
—— *in margine*		*ſect*. 1. §. 5.	*ſect*. 2. §. 5.
48 *in margine*		& 11. *in not*. h.	& 10. *in not*. h.
72 *in marg. ad* §. IX.		Cardinales ad altare	Cardinales miniſtrantes ad altare
73 *in margine*		(6) §. 13.	(6) §. 12.
115	1	arcam	arca
157	18	Collegiis ſtantibus	Collegia, quæ ſteterant
169	27	obulorum	obolorum
173	30	Ghiſio	Chiſio
199 *in marg. ad* §. X.		Hadriani	Hadriani I.
200	37	habentur	habeantur
213	34	*nonnihil*	nonnihil
267 *in marg. ad* §. 1I.		agenda	agendum
279 *in marg. ad* §. 1I.		Unde	unde
291	15	Balſomon	Balſamon

Menda reliqua expunget Lector benevolus.

Digitized by Google

PRÆMONITIO.

TANDEM aliquando, favente Principe munificentiſſimo, eccleſiaſticorum ſtudiorum cultore maximo, eodemque ſuſcepti per nos hujuſce laboris authore, quam ab anno 1726. abſolutam, præloque paratam annunciavimus * anno 1732., prodit noſtra *de Presbyterio* Lucubratio; non verò omninò qualis tamdiu latuit in muſeolo. Dum iterum in Typographi commodum deſcriberetur (quod actum poſtremis feriis autumnalibus) variationis aliquid paſſa eſt. Videlicet, præter formam tituli, paullulùm in ea immutatum ſyſtema Partis primæ, duabus hujus prioribus ſectionibus a compage reliquarum avulſis, & in Prologum erectis: nonnulla tranſpoſita, decurtata, atque etiam ſublata penitus: additum Appendici tertiæ Documentum unum, & diſperſæ ſub textu univerſi Operis notationes auctæ novis aliis; quas tamen facilè quivis diſcernat a primigeniis; ſunt enim iſtæ, quotquot literulis: illæ, quotquot aſteriſcis, numeris, aut alia ratione ſignatas inveniet. Quæ præmonuiſſe ſummè neceſſarium exiſtimavi, ne umquam vapularem quaſi turpis cujuſpiam anacroniſmi reus: ac inſuper, ut prænoſceretur cauſſa emendationis quarumdam alibi datarum allegationum, ſicuti pandent, quæ nectentur calci Appendicum. Jamque hìc nihil ultra præfandum. Quandoquidem, quidquid circa argumentum, occaſionem, methodum &c. Tractationis præſciri deberet, tradet memoratus Prologus, ad quem provoco eruditum Lectorem.

* *V.* ultimam, paginam *Supplementi* editi poſt diſceptationem *de Ritu variandi chorale indumentum* &c.

Digitized by Google

LUCUBRATIO.

PROLOGUS

Quo, prænotatis aliquot ſuper neceſſitate, occaſione, & fructu hujus ſcriptionis, proponitur ejuſdem argumentum, ac methodus.

SECTIO I.

§. I. Ritus eccleſiaſtici non ſine ratione inſtituti.

VERE' non minùs, quàm ſapienter pronunciabat olim nobilis author libri de divinis officiis Alcuino tributi agens de Quadrageſima, Quinquageſima, & Septuageſima: *Nihil ſine cauſa in eccleſiaſticis conſuetudinibus a Doctoribus conſtitutum præcipuis*: ideſt, ab Apoſtolis, Romanis Pontificibus, & Epiſcopis. Siquidem tanta vel in minimis ſacris ritibus, ſeu eccleſiaſticis conſuetudinibus proprietas, concordia, & majeſtas tanta ſe prodit chriſtiano pioque animo meditantibus pulcherrimam divinorum officiorum, reliquarumque iis annexarum actionum œconomiam, ut ſuſpicandi vix locus pateat, quidpiam in illis irrepſiſſe caſu, ſeu ſine certa per majores noſtros ſanctiſſimè excogitata ratione.

II. Præcipuè in Eccleſia Romana.

Quodſi vulgati Alcuini pronunciatum verum eſt generatim acceptum, quid erit, ſi ſpectentur uſus venerabiles Ro-

Digitized by Google

Romanæ Eccleſiæ? Certè iſtam tantò ceteris credendum ingenioſiorem, prudentioremque fuiſſe ſuorum rituum inſtitutricem, quantò præ cæteris grandius nomen, ampliorem dignitatem, lumen uberius divinitus obtinuiſſe Catholici ſcimus. Quare optimè Onuphrius Panvinius pag. 33. libelli de bapt. paſch. & conſecrat. Agnorum Dei: *Nulla unquam fuit Eccleſia, quæ dignioribus ſignificationibus, ac typis myſteria ſua conſignarit, quàm Romana.*

III. Ratio rituum aliquorum obſcura. Quare?

Nemo id cordatus, puto, inficias iverit, etſi ratio ipſa non unius ex tot egregiis Romanis inſtitutis nunc alta obſcuritatis caligine obvolvatur. Quod potiſſimùm vetuſtati dandum. Remotiora a natali ſuo difficiliùs pandunt originem. Antiquarum hæc eſt inſtitutionum ineluctabilis conditio, cui teſtimonium præbent Patres Concilii VI. Toletani can. 6. dum ajunt loquentes de uſibus eccleſiaſticis, *longinquitate fieri temporis, ut non pateat ratio originis*: & quam experimento a ſe comprobatam doluit doctiſs. Joh. Mabillonius §. 2. diſquiſit. de curſu Gallicano num. 20. pag. 395. Hinc paucos admodum invenire licet, qui priſtinam Romanorum rituum faciem in propatulo nitidam exponere curent. Terret quippe ingreſſus, progreſſuſque in ſylvas, quarum fax nulla ſignat viam.

IV. Uſus antiquos ex recentibus metiri, imperitum.

Sunt equidem ſcioli quidam leviſſimi rem negocii jactitantes, rituum veterum, quorum veſtigia aut obſcura, aut tenuia ſuperſunt, cauſſas, originemque tenere. Sed, qua methodo? Metiamur, inquiunt, priſcorum rituum rationem e recentiorum menſura. Verùm non ita Docti, & inter hos Ven. Card. Joſephus Maria Thomaſius. *Noſtros* (ritus) *explanare divinando quodammodo mentem inſtitutorum, deſuetoſque uſus ex paucis relictis ſcriptis monumentis, maximi* (eſt) *laboris, ac difficultatis: contra quàm alii fortaſse judicent, quibus facile, & pronum eſt ad præſentia, præterita, ad novam, veterem diſciplinam, ad recentes, priſcos ritus dirigere, atque perpendere.* Hæc ille in præfatione ad officium Dominicæ paſſionis latinè redditum ex Græco idiomate, quæ ſimul & ſciolos omnes ſilere cogunt, & pulchrè commonent, in eruenda diſcernendaque nunc veritate originis antiquorum rituum divinatione quadam opus eſſe, nec vulgari judicio, quodque moleſtius, labore maximo.

V. Viri docti illuſtrandis ritibus Rom. Eccleſ. incubuere.

Præſtat nihilominùs verum dicere. Viri graves non defuere aliquando, qui, difficultate, ac labore hujuſmodi contemptis, alacriter in hanc ſylvam intulere pedem, divinationes

Digitized by Google

nes ſuper aliquibus Romanis ritibus, quos calamis, & ſudoribus ſuis dignos exiſtimabant, proferentes, ut plurimùm fauſto ſucceſſu, & Eruditorum plauſu conſequente. Ex quo factum, ut literaria reſpublica opuſculis fruatur pleriſque clariſſimorum Panvinii, Rocchæ, Fivizani, Suareſii, Mazzaronii, Phœbæi, Valentini, Cartharii, Raynaudi, Stevani, Cappelli, Orlendi &c. per quæ lux ingens romanis conſuetudinibus, ipſique univerſæ eccleſiaſticæ diſciplinæ acceſſit.

VI. Sed nemo illuſtravit ritũ dandi *presbyterium*.

Sed quot adhuc, & quàm digna Doctorum vigiliis ſuperſunt tenebris circumfuſa denſiſſimis! Hoc herclè fatum perantiquæ conſuetudinis, ſive ritus, qui præſentis tractationis argumentum eſt. Neminem latet, ſummum Pontificem, dum extra palatina ſacella auguſta pompa ſacrum peragit (quod frequentiùs fit in baſilica Vaticana) ſpecie quadam præſtationis donari, quam PRESBYTERIUM vocamus ex placito majorum. Latet etiam neminem, denominationem hanc affigi publicæ largitioni per Capitulum S. Petri fieri ſolitæ ſeculari Urbis Clero die S. Marci, ſeu litaniæ majoris, ad tumbam ejuſdem Piſcatoris accedenti. Neminem quoque latet, dici *presbyterium* numiſmaton donarium, quod Papa ritu maximo poſſeſſionem iniens Romani Patriarchatus tradit Cardinalibus apud eccleſiam Lateranenſem. Verùm, quid hæc ſibi velint, obſcurum penitus, aut, quod minus, ambiguum adeo, & incompertum, ut Philippus Bonannus de *presbyterio* Lateranenſi, aliis ceterùm notiore, verba faciens tom. 2. operis de numiſmatis pontificiis num. 4. pag. 709. exclamare cogatur: PRESBYTERIUM, *cujus ſicut nomen, ita & uſus ab ineruditorum cognitione eſt valde remotus*. Addi etiam poterat, non paucos Eruditorum ſolida de illo notitia caruiſſe.

VII. Licet id quiſpiam meditatus ſit.

Quæ quum ipſe aliquando conſiderarem, noſceremque non modicas hiſce uſibus contineri pulcherrimas ſcituque digniſſimas notiones, pluries queſtus ſum, viros doctos, præcipuè ſupra laudatos, ignorationem ab ineruditis minimè avertiſſe, quam Bonannus deplorat, majoremque Eruditis non contuliſſe lucem commentariorum genus illud ſuper *presbyterio* ſcribentes, quod aliis enodandis vel minoris ponderis ritibus feliciter exhibuerunt. Haud equidem ſum inſcius, meditatum tale quidpiam ab aliquo, imò cœptum, ac ferme ad umbilicum perductum. Jacobus Laderchius Congregatio-

nis Oratorii Romani Presbyter par. 3. diſſert. hiſtoricæ de baſilicis SS. Marcellini, & Petri cap. 12. pag. 326. *Quidnam*, inquit, PRESBYTERII *nomine ſignificaretur, noſtrum non eſt explanare; rem enim diſertiſſimè enucleandam ſuſcepit vir doctiſſimus (a) Abbas Battellus opuſculo, quod propediem publicam lucem aſpiciet*. De hac a Joh. Chriſtophoro Battellio ſuſcepta provincia teſtis eſt pariter Philippus Rondoninus ad pag. 257. libri 2. de S. Clemente Papa, ejuſque baſilica cap. 7. §. 4. Johannes Marius Creſcimbenius ſe peramplè de *presbyterio* diſceptaturum in hiſtoria Diaconiæ S. Nicolai in carcere diſertè pollicetur capite 16. pag. 118. hiſtoriæ Tituli S. Anaſtaſiæ. Sed aut horum nullus perfecit opus, quòd morte, vel aliis humanæ vitæ curis præpediti ſint, aut ſi perfecit quiſpiam, occulunt adhuc illud latebræ privatarum ædium blattis daturum eſcam, fruſtraque ab Eruditis aliquando expetendum.

VIII. Origo, & occaſio hujus tractationis.

Interea, dum tacitè de aliorum ſive mora, ſive negligentia conqueror, reique infortunio: dum ritus præſtantiam per lectionem priſcorum monumentorum penitius inſpicio, ſenſim irrepſit libido aliquam pro eo elucidando lucubrationem contexendi, quæ, ſi votum non adimpleret, ſaltem propter voluntatem bene de Romanis rebus merendi, iiſque juvandi, qui minùs periti uſuum noſtrorum eſſent, non diſpliceret. Nihiloſecius opus aggredi vetabat virium infirmitas; novimus enim plenè,

Quid noſtri valeant humeri, quid ferre recuſent.

Propterea diu hæſi anceps, quin hærerem adhuc, niſi ad audendum authoritas perpuliſſet Viri magni nominis, PROSPERI videlicet DE LAMBERTINIS unius ex primariis Romanæ Curiæ Præſulibus †. Ille quum benigniſſimè exciperet anno 1721. oblatam ſibi diſſertationem de ritu oſtenſionis ſacrarum Reliquiarum, ſponte ſua ad alios pari ratione illuſtrandos urbanos ritus offerentem me vehementer excitavit. Sed potiſſimùm Vir ſummus urgebat præſtationis *presbyterii* elucidationem. Quod ut alacriùs aggrederer, meminiſſe ſe ajebat, Clementem PP. XI. ſibi pluries affirmaſſe, cogitatum a ſe crebrò, dum Vicarius, & Canonicus diceretur S. Petri, de peculiari conficiendo libello ſuper eximia illa Romana conſuetudine, quam

† Deinde S. R. E. Cardinalis, & ex Epiſcopo Anconitano Archiepiſcopi Bononienſis, ac tandem ſummi Pontificis Benedicti XIV. creati die 17. Auguſti an. 1740.

(a) Poſtea Prælatus in Romana Curia, de quo inferiùs.

quam non ſine myſterio, graviſſimave cauſſa inductam crederet.

IX. An aliquis ex illa fructus?

Rem itaque a ſapientiſſimo Pontifice literaria meditatione dignam reputatam, & a Præſule doctiſſimo tantopere commendatam, pro modulo ingenii inpræſentiarum explanare contendam. Num pro dignitate argumenti aptè, ac feliciter, judicabunt Docti. Audens ego prænuncio, futurum fuiſſe, ut abſolutius aliquid calamo excideret, ſi patefacta mihi fuiſſent arcana codicum ceremonialium Sedis Apoſtolicæ, &, quod gravius, tabularii Vaticanæ baſilicæ ſcrinia. Horum certè ſubſidio plura dicenda vel confidentiùs aſſeri potuiſſent, vel conjecturis probabilioribus explicari. Quicquid tamen fuerit, hauſtum hìc tantum videbit lector ex divulgatis, & latitantibus adhuc, quæ excutere datum eſt, monumentis, quantum ſatis ſit ad amovendam craſſiorem illam, ſpiſſioremve obſcuritatem, qua elucidandum ritum obvolvi notavimus. Hoc ſanè commodum perceptum iri confidimus ab Eruditis ex præſenti tractatione; ut taceam, quod ipſa quoquomodo Religio capere poterit, de quo extremis paginis (1).

(1) *V. Corollar.* §. 3.

X. Clero Vaticano debetur ſervatus uſus *presbyteris* potior.

Ceterùm nullus non ſentit, cur Vaticanæ eccleſiæ chartas pro eadem efformanda maximè concupierim. Cenſui, & adhuc cenſeo, pleraque ad argumentum illuſtrandum apprime idonea, quin etiam neceſſaria, apud eum ſervari Clerum, cui potiſſimè tribuendum, ſi utcumque pervenit ad nos pars magna nobiliſſimi ritus, quod manifeſtabit Operis ſeries.

XI. Qui & veteres alios uſus ſervare ſolitus.

Bonum hocce fluxit a familiari tam illuſtri Clero inſtituto cuſtodiendi tenaciſſimè quotquot a majoribus accepit commendabiles ceremonias, & conſuetudines. Eximium planè inſtitutum! Quod ad ſeculum noſtrum, licèt nonnunquam nutare * viſum, ſtetit inconcuſſum. Profectò ſervatur hactenus ad Vaticanam eccleſiam ritus abluendi altaria feria quinta ſanctioris hebdomadis, de quo præter Suareſium Franciſcus Orlendus par. 2. diſſertationis de duplici lavacro &c. & ſingulari libello Abbas Battellius. Ibi memoratus & in hoc libello ad pag. 200. cap. 9. n. 6. & ſeqq. uſus paſchalis ſupplicationis, communis quondam toti Eccleſiæ (uti oſtendunt rela-

* Sic loquimur, quòd viderimus noviſſimis annis aliquantiſper a priſtina cura remiſſum. Exemplo ſit ritus variandi chorale indumentum &c. in Vaticano nuperrimè primùm protritus. V. noſtram diſceptationem editam anno 1732.

relata ab Antonio Bellotte in volumine de ritibus eccl. Laudunenſis, a Petro Le-brun tom. 1. explicationis Miſſæ, aliiſque) aut numquam intermiſſus eſt, aut ſapienter reſtitutus. Ibi (mitto cetera) intactè cuſtoditur vetus pſalterii lectio, ſacrorumque hymnorum antiquum melos. Vide circa hæc impreſſam Joſephi Mariæ Suareſii tractatiunculam, ſeu breve corollarium in calce cit. ſuperiùs Panvinianæ opellæ.

XII. De eodem ob id honorifica opinio ſummorum Pontificum.

Vetus iſta laudabilis tenacitas antiquarum inſtitutionum effecit olim, ut baſilica S. Petri a ſummis Pontificibus proponeretur, & prædicaretur veluti ceterarum in iis, quæ eccleſiaſticam diſciplinam ſpectant, norma, & exemplar. Apud vitam S. Gregorii III. Anaſtaſianam n.197. legimus, Monachos Laterani conſtitutos; at illis officiorum celebrationem injunctam *ad inſtar eccleſiæ B. Petri Apoſtoli*. Hujus exemplar propoſitum pariter Monachis ab eodem Pontifice locatis ad Titulum S. Chryſogoni, eadem narrat vita. Alexander III. ſcribens ad Albertum, & Theodebertum Cardinales Legatos in Angliam miſſos, quærenteſque per epiſtolam, quo ritu reconciliari, ſeu expiari deberet templum S. Thomæ Cantuarienſis cœde pollutum, Vaticanas in hoc conſuetudines ſequi juſſit. *Mandamus* (hæc Alexander epiſt. 95. lib. 5. tom. 3. epiſtolar. laudati Martyris) *quatenus eccleſiam Cantuariæ faciatis reconciliari, ita tamen, ut ſacramentum priſtinæ dedicationis non debeat reiterari; ſed, ſicut ſolet fieri in eccleſia B. Petri, tantùm aqua benedicta aſpergatur*. Johannes XX. ſeu XIX. in diplomate infra (2) latiùs allegando, quo aſſignat, ſive numerat dies ad celebrandas miſſas Epiſcopo Sylvæ candidæ Petro, de illa ait: *a qua penè omnes eccleſiæ doctrinam acceperunt, ſicut a magiſtra, & domina*. Nicolaus III. hæc de baſilica eadem magnificè præfatur in bulla conſtitutionum Cleri S. Petri: *Decet baſilicam Principis Apoſtolorum, quæ cunctarum eccleſiarum ſpeculum eſt, & exemplar, in qua ſanctitatis Eccleſiæ requieſcit Principatus, ordine debito dirigi*. V. bullam apud Abrahamum Bzovium pag. 895. tom. 13. annalium.

(2) Par. 1. Sect. 7. §. 1.

XIII. Et exterorum priſcæ ætatis.

Cauſſa etiam fuit commendata Cleri vaticani tenacitas antiquæ opinionis exterorum de conſulenda potiùs in dubiis baſilicæ S. Petri, quàm ceterarum Urbis eccleſiarum conſuetudine. Quod probat Amalarii factum deſcriptum ejus libro 4. de eccleſiaſticis officiis. Quum ille Romam veniſſet, ac ſcire vellet, quotuplex dicenda foret oratio, quando duplex

plex feſtivitas ageretur, in miſſis ante epiſtolam, non ad Lateranenſes, non ad reliquos principum eccleſiarum, ad miniſtros S. Petri aptiùs inſtruendus acceſſit.

XIV. De eodem Clero Vaticano non impar opinio recentioris ævi.

Quid autem majores ſollicito? Noſtra, ac proximiore ætate paria elogia, par opinio templi, Clerique Vaticani. Sacrum Rotæ Romanæ ſynedrion aliquot ante annos in deciſione coram Merlino 647. n. 20. perſpicuis verbis definit eccleſiam S. Petri *in ſacris ceremoniis, & chori diſciplina omnium exemplar, & magiſtram eccleſiarum*. Inter chartas ego archivi S. Mariæ trans Tyberim inveni nonnulla circa ritus habita reformationis capita in Clero antiquiſſimi Tituli, librata tamen ad lancem Vaticanarum conſuetudinum, de quo latiùs, clariùſque in promiſſa alibi ejuſdem hiſtoria.

XV. Vox *presbyterium* quot, & quæ ſignificet, inquirendum.

Paucis hiſce obiter commemoratis in gratiam ſervatæ *presbyterii* praxeos, ad argumentum deſcendimus, explicata priùs amplitudine notionis vocabuli. Neque enim ejus una eſt ſignificatio. Sic fiet, ut, ſemotis (ſi ita loqui liceat) eterogeneis, ſive a propoſito alienis, noſtra liberiùs & ſecuriùs, minùs ſaltem impeditè, aut perturbatè tractari poſſint.

SECTIO II.

§. I. *Presbyterium* idē ac locus in eccleſiis, qui nunc *chorus*.

PRESBYTERIUM, vox e Græcia in Latium devecta. Πρεσβυτέριον, aut πρεσβυτερεῖον paſſim offendes in ſcriptionibus Græcorum non ignotis. Uſurpatur autem ejuſmodi verbulum pro loco in eccleſiis, quem accuratè deſcribit Pompejus Sarnellius cap. 47. baſilicographiæ ſub titulo *chori*. Et rectè locus iſte *presbyterium* dicebatur, quum ibi ſolis Presbyteris conceſſum per exedras diſpoſitis ſedere, atteſtantibus id inter plurima notiſſimis verſiculis S. Gregorii Nazianzeni in ſomnio latinè reddito:

Presbyterique graves ſellis hinc inde ſedebant
Demiſſis . . . .
Veſtibus in niveis adſtabat turba miniſtra.

epiſtola S. Gregorii Magni 85. quæ eſt ad Evagrium, ejuſque decretis inter epiſtolas jam annotatis lib. 4. ep. 44. nunc reperiendis in appendice editionis Sammaurinæ. Mentio *presbyterii* ſecundùm propoſitam ſignificationem frequens eſt in Ordinibus Romanis tam a Melchiorre Hittorpio, quàm a Mabillonio publicatis. Excurrendus locus Ordinis I. Hittorpiani

agens

agens de proceſſione ad eccleſiam, & numerus 13. Ordinis II. inter vulgatos tom.2. muſei Italici pag. 51. Neque infrequens apud Scriptorem libri pontificalis. Porrò Gregorius IV. ibi num. 474. dicitur conſtruxiſſe præter alia in baſilica S. Mariæ trans Tyberim *amplum presbyterium* ante baſin altaris. In vita Leonis III. num. 356. *presbyterium* vocatur *camera decorata*. Paucula hæc ſtatim innuunt, locum hujuſmodi non diverſum fuiſſe quondam ab eo, qui etiamnum penès nos appellatur *il presbiterio* utplurimum more veteri concameratus, ac pictùris, muſivove opificio decorus, aliàs inſuper communiori nomine nuncupatus *il coro*; quòd non ſolos nunc Presbyteros ſedentes excipiat, ſed turmam Clericorum, Monachorumve alternatim canentium.

II. Et illud cognitum olim nominibus *ſacrarii*, ſeu *ſanctuarii*, *ſecretarii* &c.

Forſitan & antiquitus locus ille *presbyterium* vocatus, quia intra ſuum ambitum Presbyter ſupremus, ſeu Epiſcopus cum reliquis Presbyteris ſanctiora, & ſecretiora Religionis exequebatur. Quocirca meruit aliquando deſignari per dictiones *ſacrarii*, *ſanctuarii*, ac *ſecretarii*, & inacceſſus erat cujuſcunque gradus laicis. Certè, quod a ceteris documentis frequentiùs *presbyterium*, vocatur *ſacrarium* a canone 93. Conc. IV. Carthaginenſis infra (1) exſcribendo, parique illud denominatione exornant ab antiquis edocti nonnulli Eruditi, præſertim Cardinalis Johannes Bona lib. 1. rer. liturgic. cap. 20. pag. 155. edit. Rom. *Sanctuarium* dicitur apud Euſebium lib. 10. cap. 4. n. 5. hiſt. eccl. ex verſione Valeſii, *ſecretarium* ab aliis, uti notat Macrus cum reliquis eccleſiaſticis lexicographis, quos ſuper his vocibus conſulendos moneo, & Mabillonius §. ſeu tit. 3. pag. 22. commentar. prævii ad Ordines Rom. Laicos verò ab ingreſſu quondam in *presbyterium* prohibitos fuiſſe quis ignorat? Legenda (ſi teſtimonia requirantur) theoria rerum eccleſiaſtic. Germani CPolitani, Leonis IV. vita Anaſtaſiana, acta Synodi Romanæ ſub Eugenio II. c. 33. &c. Sanctam hanc conſuetudinem renovari pro temporum modulo curavit per Concilii Romani Patres, dum hæc ſcriberemus, congregatos (*a*) SS. D. N. Benedictus XIII. ſicuti produnt (*b*) decreta.

(1) Par. 1. ſect. 1. § ult.

III. *Chorus* antiquus non rectè dicitur *presbyterium*.

Putat Hoffmannus in ſuo lexico *presbyterium* eſſe partem eccleſiæ, quæ & chorus. Quod verum, ut ſupra notata com-

(*a*) An. 1725. intra quinquageſimam paſchalem.
(*b*) Vide ad tit. 28. cap. 4. pag. 129. edit. in 4.

comprobat, ſecundùm recentiorum intellectum cum choro *presbyterium* confundentium: falſum, ſi *presbyterium* antiquis notum accipiatur pro illorum *choro*. Chorus olim pſallentium Clericorum receptaculum erat ſitum ſubtus gradus altaris *prope altare juxta ſanctuarium, & reliquam eccleſiæ aulam*, quemadmodum Cardinalis Tomaſius ait ad pag. 14. diſquiſitionis rituum miſſæ præfixæ antiquis libris miſſarum S. R. E. Quàm verò ſcitè, vel unicus teſtari valet Gervaſii Dorobornenſis textus. *Continebat* (ſic in hiſtoria combuſtionis eccl.) *hic murus Monachorum chorum, presbyterium, altare majus .... de choro ad presbyterium tres erant gradus: de pavimento presbyterii uſque ad altare gradus tres* &c. Ergo a *presbyterio* differebat chorus. Aliàs id vel ex eo colligi poteſt, quod, nedum Diaconis, ipſis Presbyteris, nomen *presbyterio* præciſiùs communicantibus, olim inhibitum foret pſalmodiæ exercitium, deputatis ad hoc notæ inferioris Clericis. Adeas baſilicographiæ Sarnellii caput 22. num. 2.

IV. Opinio Cangii non probanda.

Scio, eruditiſſimum Carolum Du-cange aſſertis hactenus adverſari. Arbitratur enim in gloſſario latino ad voc. *presbyterium*, denominationem hanc, & chori promiſcuam fuiſſe. Quod ut firmet, plura congerit Scriptorum non recentis ætatis teſtimonia. At illa, ſi excutientur, parum ejus propoſito congruere videbuntur, loco excepto vitæ S. Johannis Archiepiſcopi Eboracenſis, in qua habetur: *Presbyterium, hoc eſt, chorum eccleſiæ de novo conſtruxit*. Sed, quo vixit ævo biographus, immutari jam cœperat ferè ubique quum ſtructura templorum, tum diſciplina pſalmodiæ. Locus Ordorici Vitalis deſumptus ab ejus operis libro 7. pag. 662. potiùs ingerit oppoſitum: *Ipſum* (en verba) *in presbyterio inter chorum, & altare ſepelierunt*. Niſi fortè hìc Vitalis diſtinctum voluerit *presbyterii* planum ab exedris choralibus per ejuſdem circuitum diſpoſitis, quæ omnia nunc ſub *presbyterii* nomine venire ſolent.

V. An *presbyterium* idem ac *cœtus pſallentium*?

Utut eſt, conſtat ſatis, chorum ex inſtitutione ſua diverſum omnino fuiſſe a *presbyterio*. Non ita conſtat, verumne ſit, an falſum, quod memoratus Hoffmannus addit, nempe præter chorum pſallentium ſedem ſignificari *presbyterii* vocabulo ipſam *pſallentium congregationem*. Quandoquidem nulla ab eo producitur priſcorum, recentiorumve authoritas, neque ulla ſe mihi umquam obtulit talia perſcrutanti.

VI. Signific. t collegium Presbyterorum.

Utique per *presbyterium* congregatio ſignificatur, ſed quæ *cœtus* ſit, ſeu *collegium Presbyterorum*, explicante Martinio in lexico philologico. Sanè apud Græcos idem *presbyterium*, ac ἱερατικὴ γερουσία, ſicut habetur lib. 2. cap. 27. vitæ S. Theclæ Baſilii Seleucienſis. Par hujuſce dictionis idea ſuggeritur per canonem 7. Concilii Ancyrani, epiſtolam 63. & 319. S. Baſilii, vitam S. Johannis Chryſoſtomi, ſciptore Palladio ad pag. 142. novellam Alexii Comneni de elect. ſ. 22. &c. Idem quoque erat *presbyterium* Græcis, ac τῶν ἱερέων συνέδριον, quod fert epiſtola Xiſti Papæ ad S. Cyrillum tom. 1. miſcellaneorum Stephani Baluzii. Nec Latini diſcrepabant. Qui nunc (fatente Baronio tom. 2. annal. ad an. 259. num. 99., & Chriſtiano Lupo tractatus de appellationibus ad Petri Cathedram diſſertatione 2. cap. 14. pag. 527. edit. an. 1681.) *conſiſtorium* vocatur, auguſtior S. R. E. Senatus *presbyterium* dicitur in epiſtola S. Cornelii de Confeſſoribus ad unitatem reverſis. *Omni actu ad me perlato, placuit contrahi presbyterium*, verba ſunt epiſtolæ inter Cyprianicas ſextæ ſupra quadrageſimam ex edit. Pamelii. Liberius Papa in epiſtola de exilio ſuo, dum teſtimonium inducit Cleri Romani, *ſicut*, inquit, *teſte eſt omne presbyterium Romanæ Eccleſiæ*. Siricius itidem Papa in epiſtola 2. ad Epiſcopos apud to. 1. pag. 857. collect. Concilior. Harduini, *facto*, ait, *presbyterio*, *conſtitit doctrinæ noſtræ*, *ideſt*, *chriſtianæ legi eſſe contraria*. Agebatur de dogmatis Joviniani. Verùm de *presbyterio* ita concepto videatur Emmanuelis Schelestrati tomus 2. pag. 53. notitiæ eccleſiaſticæ ex edit. an. 1690. Joannis Gaſparis Suiceri theſaurus e Patribus Græcis conformatus to. 2. col. 824. & ſeqq. &c.

VII. Seu potiùs Clericorum præcipuæ notæ.

Sacerdotium aliquando uſurpatum reperio ejuſcemodi *presbyterii* vice ex conſuetudine, arbitror, populari vocandi promiſcuè Sacerdotes, quos Presbyteros appellabant communiùs. *Pro Papa N. & Pontifice N. & ſacerdotio eorum Kyrie eleiſon* lego pag. 331. to. 1. liturgic. Pamelii ad ritum miſſæ Ambroſianæ. Lego etiam in codice Thomaſiano de antiquis libris miſſar. ad appendicem pag. 244. & 245. preces *pro Archiepiſcopo*, *pro Epiſcopo noſtro*, *& ſacerdotio ejus* &c. Ceterùm congregatio *presbyterium* nuncupata non e ſolis Presbyteris conſlabatur. Quotquot vocarentur ad agendas conſultationes ſuper eccleſiaſticis negociis aut Epiſcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi, ideſt amplioris dignitatis Clerici

pre-

presbyterium conſtituebant. Et quidem epiſtolæ S. Cornelii mox allegatæ verbis ſubditur ſtatim: *Adfuerunt etiam Epiſcopi quinque, qui & hodie præſentes fuerant*; ut ſciatur, ex Epiſcopis quoque conſtaſſe contractum *presbyterium*. Clariora, quæ addit Siricius in allegata ſimiliter epiſtola: *Omnium noſtrum tam Presbyterorum, quàm Diaconorum, quàm totius etiam Cleri una fuit lata ſententia*.

VIII. Presbyterium locus congregationibus clericorum deputatus.

Citatus Martinius & ipſum locum, quo *congregari ſoleant Presbyteri ad conſultationes ſuas, presbyterium* vult appellatum. Mos enim diu perſeveravit inter primi non minùs, quàm ſecundi ordinis Clericos, ut in *presbyterio*, quod nunc chorum, olim ſacrarium, ſeu ſanctuarium, & ſecretarium dictum vidimus, congregarentur ad diſcutiendas ſuarum eccleſiarum neceſſitates. Alius deinde peculiaris locus ad hæc conſtitutus, translata veroſimiliter priſtini loci nuncupatione. Quare laudabiliter aſſeruit Joſephus Maria Perrimezzius * Epiſcopus Oppidenſis, quondam Scalenſis, & Ravellenſis, parte 2. diſſertationum eccleſiaſticar. diſſert. 2. ſuper Concilio Rhemenſi pag. 26. *presbyterii*, *chori*, *ſanctuarii*, ſeu ſacrarii, & *capituli* diſſimilia vocabula plerumque non diſſimilia ſignificare. Circa antiquum uſum Clericorum ſecundi ordinis plura exhibentur exempla per inſtrumenta archivi S. M. trans Tyberim, quæ firmata notantur in *choro*, ſeu *presbyterio* baſilicæ tamquam conſueto his agendis negociis loco. Ea referet hiſtoria. Circa verò uſum Epiſcoporum, quos potiſſimùm primi ordinis Clericos appellari ſcimus, videndum Heriberti Roſweydi onomaſticum ſubnexum vitis Sanctorum pag. 140. col. 2. ad verbum *ſecretum*, ſeu *ſecretarium*; neque lectio negligenda præfatæ diſſertationis Antiſtitis Oppidenſis a pagina tamen 25. Siquidem in iis memoratur conſuetudo majorum publicas habendi conciliares ſeſſiones intra *presbyteria*, ubi utique minimè obſtaret locorum anguſtia. Qua obſtante, notum eſt, eaſdem agi alibi conſueviſſe, præſertim in gremio baſilicarum, planè uti noviſſimè factum in Concilio Romano commendato paullò ſuperiùs.

IX. Et examinandis Clericis.

Erat quoque *presbyterium* antiquitus locus unicè deſtinatus ad *examinandam Presbyterorum*, ſeu Clericorum vitam, aliorumve, variis e Clero munus hocce obeuntibus ſub regi-

* Poſtea Archiepiſcopus Boſtrenſis, & Sac. Congregationis examinis Epiſcoporum a ſecretis. Obiit anno 1740. die 9. Febr.

Digitized by Google

mine Primicerii. Extabat locus iſte, talique ſub nomine Mediolani, quod patebit percurrentibus chronicon Mediolanenſe Landulphi Senioris lib. 1. cap. 3. de *Primicerio*, & Puricelli diſſertationem Nazarianam cap. 41. pag. 283. §. 1. lit. C.

X. *Accipitur pro ordine presbyteratus.*

Sed exploratius & communius, per vocem *presbyterii* indicari *officium*, *& dignitatem Presbyterorum*, *qua & presbyteratus* juxta laudatum Martinium. Eo ſenſu accipitur in codice Sacramentorum R. E. Gelaſiano per Ven. Card. Thomaſium publicato: *Oremus* (verba reperienda lib. 1. n. 20. pag. 30. ad ordinem; *qualiter in Rom. Eccl. Presbyteri eligendi ſunt*), *dilectiſſimi*, *Deum patrem omnipotentem*, *ut ſuper hos famulos ſuos*, *quos ad presbyterii munus elegit*, *cœleſtia dona multiplicet*, & in epiſtola Concilii Sardicenſis apud S. Hilarium, quæ meminit Diaconi *in presbyterium*, *de presbyterio in epiſcopatum* &c. provecti, & in libro pontificali ad num. 25. de S. Felice I. narrante, quod *baſilicam* conſtruxerit *via Aurelia*, *quum presbyterii honore fungeretur*; ut loca prætercam vitæ Cononis, Benedicti II. Leonis III. &c. & tandem in vetuſtiore his omnibus, atque etiam teſtimonio vitæ S. Barbatiani apud paginam 40. pontificalis Ravennatenſis Agnelli editi per Benedictum Bacchinum, ſcriptione Pontii Diaconi de geſtis, ſeu paſſione S. Cypriani, de quo notatur: *presbyterium*, *& ſacerdotium ſtatim accepit*.

XI. *Ac pro poteſtate Presbyterorum.*

Videtur etiam uſurpatum aliquando fuiſſe vocabulum *presbyterii* pro ipſa *poteſtate* ordinis prænominati, ſeu illius exercitio. Id manifeſtè, meo judicio, elicitur ex libri pontificalis num. 616. quo narratur, Hadrianum II. communionem reddidiſſe nonnullis, præſertim Presbytero Anaſtaſio. Ait autem biographus Hadriani, *ſimul Anaſtaſium* communicaſſe ad ſollemnem miſſam per Pontificem pompa maxima celebratam, *qui dudum a Leone*, *Benedictoque Pontificibus presbyterio denudatus inter laicos communicare* ſolitus erat. Certè Anaſtaſius non presbyteratu, ſed ejuſdem exercendi poteſtate privari potuerat. *De presbyterio excitari* habet epiſtola S. Cypriani ad Cornelium inter Pamelianas 49. quod de ſuſpenſione ab officio Presbyteri explicari poſſe docet clariſſ. editor in notis. V. not. 18.

XII. *Quid aliquando juxta Patres S. Mauri?*

Eruditiſſimi Patres S. Mauri in adnotationibus ad epiſtolas S. Gregorii magni, quas producunt to. 2. ejus operum, verba epiſtolæ 32. (al. 3.) ad Petrum Siciliæ Subdiaconum ex-

exprimentis honores Sicilienſi alteri Subdiacono Cyriaco, dum Romæ degeret, impertitos (*coram populo, & Clero eum perduxi, presbyterium ei auxi, in loco ſuperiore inter Defenſores poſui collaudans coram omnibus fidem ejus*) illuſtraturi ſcribunt: *Presbyterium, ideſt, novum munus clericale contuli, novam Eccleſiæ adminiſtrationem credidi*. Quodnam verò clericale hocce unus, latè ſubinde nituntur explicare. Poſtquam enim probarunt, principem ſignificationem vocis *presbyterii* eſſe cœtus Presbyterorum ex canone 3. Antiocheno: ſecundam dignitatis, quod non una ſtabiliunt authoritate, addunt: *Tertiam ſecundæ affinem profert* (cit. epiſt.) *S. Gregorius presbyterium non de presbyteratu, non de cœtu ſtrictè intelligens; ſed de parte quadam regiminis, de honore, de officio, de cura, ſeu de gubernatione Eccleſiæ, ut loquitur Paulus* 1. *ad Corinthios* 12. *v.* 28. *Canon* 2. *Chalcedonenſis concedit Defenſoribus* χειροτονίαν, ϗ ἀξίαν, *atque adeo dignitatem in presbyterio. Lege Sidonii Appollinaris epiſtolam ultimam lib.* 4. *ubi de Diacono ſecundi ordinis Sacerdote, quem auxerant dignitate. Ipſius autem regiminis ratio noſtris temporibus obſcurior eſt, novo jure introducto. Eſſet notior, ſi canonem* 8. *Ephesinum retinuiſſemus, & unaquæque provincia ſervaſſet jus vetus purum, & nullam vim paſſum ſecundùm conſuetudinem veterem*. Hæc illi, qui poſtea allegant epiſtolam 77. lib. 1. ex recenſione Guſſanuillæi. Quapropter ſecundùm Patres S. Mauri ſignificavit olim *presbyterium* partem quamdam eccleſiaſtici honoris, regiminis, ſeu gubernationis Eccleſiæ, quod fortaſſis abſolutè ſumptum verum eſt. Nullatenus tamen verum exiſtimo per verba laudatæ epiſtolæ: *Presbyterium ei auxi*: hujuſmodi partem honoris,ac regiminis ſignari. Talis honoris pars ſummùm per alia verba exprimitur: *in loco ſuperiore inter Defenſores poſui*. Priora aliud ſignificant, de quo (2) infra.

(2) *Par.* 3. *ſect.* 1. §. 12.

XIII.
Obventio parochialis appellata *presbyterium*.

Du-cangius aliam prodidit in cit. gloſs. latino *presbyterii* ſignificationem, ſcilicet *obventionis parochialis*. Ordoricus Vitalis teſtimonium præbet, dum ait lib. 5. pag. 587. *Conceſſit eccleſiam ... & ſepulturas, atrium, & omnia, quæ ad presbyterium pertinent*. Mitto alterum depromptum ex libro 8. pag. 669. Patentius, quod eruitur ex tabulario apud Paredo fol. 70. & 71. *Offerens* (ſic ibi) *Deo, ad integrum videlicet presbyterium, offertas, cimiterium, decimas*. Etiamnum obventio quædam parochialis vocatur *il pretatico*. Quæ vox in antiquam hanc *presbyterii* notionem collineat. Tot

XIV.
Tandem *preſbyterium* eſt *præſtationis*, ſeu *dati* ſpecies, argumentum hujus Operis.

Tot hucuſque expoſitis *preſbyteriis* nihil commune eſt præter nudam denominationem cum eo, cujus elucidationem aggreſſuri ſumus. Ut prænotatum (3), ſpeciem *præſtationis*, ſeu meliùs forſan *dati* illud nunc ſonat Romæ; nec alia ſub idea innoteſcebat priſca ætate, tum quod *Lateranis* conceditur, tum quod *Vaticanum* appellavimus. At, Deus bone! quàm levia ſunt, & quàm generalia, in quibus utrumque convenit, quàm utrumque reapſe diſſonat, quantum utriuſque exequendi formulæ, rituſque diſcordant (Vaticani potiſſimùm) ab inſtitutis majorum!

(3) *Sect.* 1. §. 6.

XV.
Methodus ejuſdem.

Horum, iiſque affinium, & conſectariorum extricatio (ut ità dicam) atque expoſitio erit Lucubrationis, ſive argumenti noſtri materies. In eo autem expediendo procedemus hac methodo. Trifariam diſtribuetur labor. *Vaticani preſbyterii* notitia primò dabitur, ejuſdem explanationi aſſignata duplici Parte. Notitia *Lateranenſis* tertiam occupabit, quam excipiet *Corollarium*, ſiquid inanimadverſum, præteritumve fuerit, exhibiturum præter compendioſiſſimam dictorum recapitulationem. Conſequentur *Appendices* duæ, ubi quædam prodemus, quæ nec interſerere placuit ipſi tractationis corpori, quòd digreſſiones creatura forent valde legentium animos a propoſito avertentes, nec ſupponere paginarum oris, notationum inſtar quamplurium, quibus Opus totum ad ejuſdem ornamentum, aut faciliorem plerorumque locorum intellectum oneravimus, quia in orationem ſuccretura viſa ſunt, quam talibus anguſtiis contineri ratio nulla pateretur. Hujus verò generis Appendix prima ſic inſcribetur: CONJECTURÆ *de veteri ſchola Crucis: collegio Rectorum Romanæ Fraternitatis: & utriuſque veſtigiis*: altera: EXCURSUS HISTORICUS *de publicis priſcorum Principum Romanorum largitionibus*. Sed neque hìc finis. Quum & in textu Lucubrationis, & in Notationibus, & Appendicibus documenta nonnulla indicaturi ſimus aut inviſa uſquehuc Eruditis, aut paucis cognita, in unum jungemus ſingula: ex iiſque ita conjunctis novum exurget Appendicis genus, quam appellabimus tertiam, cui titulus ſit: COLLECTIO DOCUMENTORUM, *quæ ad calcem univerſi Operis remiſſa ſunt*.

PARS

PARS I.

Diſſeritur de antiqua Eccleſiæ diſciplina circa oblationes, maximè Romam, & ad baſilicam Vaticanam importatas; unde lux explanandæ præcipuæ parti noſtri Ritus.

SECTIO I.

ERgo quænam *presbyterii Vaticani* origo, hujuſque ratio? Id oppidò explicandum, quærendumque ſtatim. At non video, quî fieri res iſthæc rectè, & inconfuſè poſſit, niſi præmittatur, ſeu potiùs ad memoriam revocetur Lectorum, hiſtoria diſciplinæ oblationum uſque ad tempora noſtris proxima uſitatæ per Eccleſiam, Latinam præſertim, Romæ maximè, & ad baſilicam Vaticanam. Quamobrem meminiſſe incipiam, uſum deferendi oblationes (juxta ſententiam S. Gregorii VII. apud Synodum Rom. IV. cap. ult. præfiguratum in lege Moſis) ſub ipſis Eccleſiæ primordiis fuiſſe inductum. Primis temporibus, potiſſimùm apoſtolicis, fideles integra patrimonia vendebant, eorumque pretia ad pedes eccleſiaſticorum Præſidum publicis in conventibus deponebant. Videantur actus Apoſtolorum ad cap. IV. & v. Seculo III. (a) Præfectus Urbis hunc morem rememoraſſe perhibetur S. Laurentio apud Prudentium lib. περὶ ϛ. hymno 5. ſeqq. verbis:

§. I. Vetus diſciplina oblationum exponenda; unde pateat origo, & cauſſa inſtituti *presbyterii Vaticani*. Antiquioris ætatis conſuetudo.

.... ſumma cura eſt fratribus,
Ut ſermo teſtatur loquax,
Offerre, fundis venditis,
Seſtertiorum millia.

Hæc

(a) In Africa per eam tempeſtatem non frequentatam hanc conſuetudinem dolet ampliſſimis verbis S. Cyprianus lib. de unit. Eccl. to. 2. oper. edit. Pamel. pag. 237. col. 1.

Hæc occulantur abditis
Eccleſiarum in angulis
. . . .
. . . .
Deprome theſauros, malis
Suadendo quos præſtigiis
Exaggeratos obtines.

Ex his verò oblationibus, nedum neceſſaria ad ſacrificium, omnimodumque divinum cultum, victus, ac tegumentum præbebatur omnibus pauperum ſpeciem induentibus, atque ita omnia poſſidentibus. *Neque quiſquam egens* (verba Actuum cit. cap. IV. 34. 35.) *erat inter illos; quotquot enim poſſeſſores agrorum, & domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, ante pedes Apoſtolorum. Dividebatur autem ſingulis, prout cuique opus erat.*

II. Alia eidem proximiorum temporum Offerebatur in miſſis, & extra illas intra eccleſias.

Adulta Eccleſia, & peculiaribus locupletata fundis, fervor ille intepuit, qui communes efficiebat cujuſque opes. Quare paullatim deſitum offerre univerſa, fruſtra Patribus morem eximium revocare aliquando conantibus, quod videre eſt homil. 11. S. Joannis Chryſoſtomi in Actus. Quamplurimæ nihilominus oblationes fiebant ad Clericorum (*b*) ædes, ſeu potiùs ſacra templa, quas ſub duplici (*c*) ſpecie, vel, ut aptiùs loquar, ſub duplici claſſe conſiderari poſſe certum eſt. Nam oblationes, ſeu oblata, aut etiam munera, dicta ſunt quæcumque fideles illuc apportabant, dum ſollemnia miſſarum celebrarentur. Nec diverſimodè appellabantur, ſiquæ extra illud momentum inferrentur ad eccleſiam, tamquam ad publicum ſacrorum miniſtrorum gazophylacium.

III. Oblata ad miſſas alia pro uſu ſacrificii; minimè alia. De prioribus.

Quod oblationes attinet illatas ad miſſas, & illæ duplicis ſpe-

(*b*) Ludov. Thomaſſinus verè ad ædes Presbyterorum, & Epiſcoporum collatas oblationes antiquitus, maximè in uſum pauperum traditas, colligit ex can. 48. Concil. Francofurd. quem afferemus ſeq. ſect. §. 2. Id quod mirabile. Tale enim nihil illinc erui poſſe puto. Imò ex alio canone Concilii Aurelianen. III. colligo, & illas oblationes fuiſſe importatas ad baſilicas. V. hunc canonem ibi, verba autem Thomaſſini P. 2. ſect. 2. §. 16. infra.

(*c*) De oblationibus ordinariis hìc loquimur; non de iis, quæ extra ordinem fieri debebant ad ſubveniendum præſertim ſparſim per Orbem conſtitutis fratribus, pauperibus &c. *collectarum* nomine ſpeciatim cognitæ. De illis non pauca videri queunt in annalibus Baronii, aliiſque doctorum virorum operibus &c. Nos advertemus, ſupra ceteras eccleſias Romanam in hoc genere beneficentiæ vel ſub ipſis Chriſtianiſmi primordiis excelluiſſe. V. epiſt. S. Dionyſii Corinthiorum Epiſcopi ad Soterem PP. libro 4. hiſtor. Euſebii Cæſarienſis cap. 23.

Digitized by Google

ſpeciei. Tempore celebrationis offerebant fideles, tum quæ applicarentur ad uſum ſacrificii, tum quæ ad alios. Nihil hac re modò apud Eruditos certius. Habuit jam circa primam partem contradictores viros doctiſſimos, qualis utique Gabriel Albaſpinæus, qui *egregiè hallucinari* ait (lib. 1. obſervationum ſuper veterib. Eccl. ritib. obſervat. 5. pag. 45.) ita *ſentientes*. Fruſtra tamen. Scripta antiquorum orientalium, & occidentalium Patrum apertiſſimè loquuntur. Theophilus Alexandrinus can. 7. commonitorii, quod legeſis to. 1. Concilior. edit. Hardovinianæ col. 1199. oblata in *ſacrificii rationem* non ambiguè memorat, ut erit manifeſtius ex loco infra (1) proferendo. Pro ſacrificio magnos Imperatores obtuliſſe narrat Theodoretus lib. 4. hiſtor. cap. 17. & lib. 5. cap. 17. S. Cyprianus (lib. de opere, & eleemoſyna) locupletem objurgat fœminam, quòd *in Dominicum ſine ſacrificio* veniſſet, ſumpſiſſetque *partem de ſacrificio, quod pauper obtulerat*. S. Auguſtinus, ſeu potiùs Cæſarius Arelatenſis (ſerm. 265. in append. edit. operum Auguſtin. Sammaurinæ) *erubeſcere* (inquit) *debet homo idoneus, ſi de aliena oblatione communicaverit*.

(1) *Sect. ſeq. 4. 5.*

IV. Panis, vinum, & aqua oblata pro uſu ſacrificii.

Ex his tamen, quid ſingillatim conferretur pro ſacrificio, nondum patet. Sunt innumera, quæ materiem ipſam conficiendo Sacramento aptam, ideſt, panem, & vinum, quin & aquam oblatam ſignificant. Apologia 2. ſive 1. S. Juſtini Martyris: *Ei, qui fratribus præeſt, offertur panis, & poculum aquæ, & vini*. Aquam meminit Amalarius locis mox (2) allegandis. Circa oblationem vini pluſquam nota extat hiſtoria capite 65. libri de gloria MM. S. Gregorii Turonenſis, ubi Subdiaconus nequam memoratur pro oblato per fœminam optimo vino *acetum vehementiſſimum* ſupponens. Pro oblatione panis (ne multis lectorem diſtineam) videndus locus vitæ S. Gregorii Magni ſcriptæ a Paullo Diacono cap. 45. &c.

(2) *4. 8. & ſeq.*

V. Omnes tenebantur offerre.

Iſtiuſmodi oblata congerebantur (potiſſimè diebus Dominicis) a cunctis, ſive Clericis, ſive laicis, advertente Hugone Menardo in notis ad lib. 1. Sacramentarii Gregoriani pag. 371. Liquet id aliàs, evoluto can. 2. Concilii Matiſconenſis, quo decernitur ſub pœna anathematis, *ut omnes fideles diebus Dominicis, viri, ac mulieres, altaris oblationem faciant in pane, & vino*. Ab utriuſque itidem ſexus fidelibus oblatum tradunt orationes aliquot occurrentes in miſſali Francorum pag. 422. codicis Sacramentor. Thomaſiani. Perlege il-

 las,

las, & quicquid ibidem notatur pag. 189. lib. 3. Sacramentor. S. Gelaſii PP. Addas authoritatem antiquæ miſſæ per Menardum editæ in appendice ad librum 1. cit. Sacramentarii Gregoriani pag. 263. quo habetur: *omnis proceſſio offerat ſibi oblationem*.

VI. Exceptis aliquibus, cum cauſſa.

Cauſſa quidem interveniente, ne offerrent, impediebantur fideles. *Qui dedignantur oblationes offerre, dedignantur, quamvis non viva voce, confiteri ſe Chriſti paſſione eſſe redemptos, & eamdem paſſionem memoriæ maudare, ita tamen, ſi non ſit aliqua cauſa, quæ fortè ad tempus impediat*, inquit Amalarius in ecloga cap. 19.

VII. Quænam illa?

Impeditos autem intellige, quotquot vel nimium pauperes eſſent, vel non communicaturi, vel nondum Euchariſticæ communionis capaces. Concilium Moguntinum (ut fert opus Burchardi lib. 19. cap. 40. can. 6.) ab offerendo pro uſu ſacrificii mulieres ſubmovet menſtruo laborantes. Multo magis per ſacros canones eo cenſebantur honore dejecti, quos generatim indignos reputabat Eccleſia ad importandas cujuſcumque generis oblationes. De iis, & ejuſmodi generali inhibitione fuſiùs (3) infra.

(3) § ult.

VIII. An quilibet fidelium ordo ſingulas partes materiæ ſacrificii offerre teneretur?

(4) §. 10.

Offerentes verò non compellebantur ad ſingulas omnino partes materiæ ſacrificandæ porrigendas, etſi plerumque, plebs ſaltem, ſive laicorum ordo, eaſdem importarent. Satis erat, ſi Clerici, potiſſimùm digniores, offerrent panes, Cantores aquam, vinum populus. Panem a Sacerdotibus oblatum inſinuat canon Toletanus inferiùs (4) allegandus. Nitidiùs loquitur Ordo Romanus, qui ſub tit. *de ordine proceſſionis ad eccleſiam, ſeu miſſam*, primus eſt in collectione Hittorpii: *noviſſimè Sacerdotes, & Diaconi offerunt, ſed ſolum panem; & hoc ante altare*. De Cantoribus, & populo hæc Amalarius lib. 3. de eccl. off. cap. 9. *Statutum eſt* (Cantoribus) *eis, ne penitus ſint exturres* (ab offerendo ſcilicet; nam præ cantu impediebantur) *cuſtodire aquam, & hanc unum offerre præ ceteris. Populus offert vinum, Cantores aquam. Sicut vinum, & aqua unum fiunt in calice, ſic populus, & Cantores in corpore Chriſti.*

IX. Laici utplurimum ſingulas offerebant.

Quod ajebam, plerumque ab ordine laicorum porrectas ſingulas partes adhibendorum in uſum ſacrificii, certiſſimum judica. Amalarius modò laudatus in excerptis, quæ divulgavit Mabillonius tom. 1. muſei pag. 554. etiam aquam innuit fuiſſe a populo importatam. Pro collatis ab eodem panibus,

bus, quos ſpecialiùs majores noſtri *oblatarum*, aut *oblationum* (*d*) nomine indigitarunt, teſtes ſunt inter plures Ordines duo Romani præmemoratæ collectionis Hittorpianæ. Primus ſupra allegatus habet: *Poſt evangelium . . . canitur offertorium . . . Tunc venit Subdiaconus tenens in brachio dextero patenam, & ſinu calicem, in quo ſuſcipiuntur amulæ * populorum, & ſuper calicem corporale, ideſt ſindonem, quod excipiens Diaconus ponit ſuper altare a dextris. Deinde tranſit Sacerdos ad ſuſcipiendas oblationes. Interim Cantores cantant offertorium cum verſibus, & populus dat oblationem, ideſt panem, & vinum, & offerunt cum fanonibus candidis primò maſculi, deinde fœminæ*. Sequuntur verba præcedenti §. data; deinde. *Subdiaconus verò cum calice vacuo ſequitur Archidiaconum, & Pontifice oblationes ſuſcipiente, Archidiaconus ſuſcipit poſt eum amulas, & refundit in calicem majorem, tenente eum Subdiacono, quem ſequitur cum ſcypho ſuper planetam Acolythus, in quem calix impletus refunditur. Oblationes autem ſuſcipit a Pontifice Subdiaconus, & ponit in ſindonem, quæ eum ſequitur, quam tenent duo Acolythi*. Inferiùs. *Tunc Subdiaconi levantes oblata de manu Subdiaconi ſequentis porrigunt Archidiacono, & ille componit altare*. Poſt alia. *Tunc ſurgens Pontifex a ſede, & cantantibus adhuc Cantoribus, aſcendit ad altare*. Tertius ordo Hittorpianus titulum præſeferens: *Qualiter miſſa celebretur in Eccleſia Romana*, ubi de offertorio: *Pontifex deſcendit ad ſenatorium . . . & ſuſcipit oblationes Principum per ordinem arcuum. Archidiaconus poſt eum ſuſcipit amulas, & refundit in calicem majorem, tenente eum Subdiacono* (e) *regionario, quem ſequitur cum ſcypho ſuper planetam Acolythus . . . Oblationes a populo ſuſcipit Subdiaconus regionarius, & porrigit Subdiacono ſequenti, & Subdiaconus ſequens ponit in ſindone, quam tenent duo Acolythi. Reliquas oblationes poſt Pontificem ſu-*

(*d*) In allatis hìc Ordinum locis habes exemplum.

* Eruditis notum, quidnam *amulæ*, *ſenatorium*, *fanones*, *ſcyphi &c.* aliaque his in textibus parum nunc uſitata. Si quem ea lateant, perlegat (præter lexica Macri, & Cangii) baſilicographiam, & epiſtolas Sarnellii, acta canoniz. 4. SS. Chiapponi, prolegomena ad to. 1. liturgiæ Rom. Pontif. clariſs. Dominici Georgii, Franciſci Berlendi diſſertationem, cui tit. *Delle oblazioni all' altare antiche, e moderne, o ſia la Storia dello ſtipendio della meſſa &c.* edit. an. 1736. Cajetani Mariæ Merati prolegomena, notas, & addit. in commmentar. Gavanti to. 1. par. 1. &c.

(*e*) De Subdiaconis, Acolythis, Epiſcopis hebdomadariis &c. hìc, vel ſupra memoratis aliqua opportuniùs infra.

ſuſcipit Epiſcopus hebdomadarius, & ipſe manu ſua refundit in ſcyphum. Pontifex, antequam tranſeat in partem mulierum, deſcendit ante Confeſſionem, & ſuſcipit oblatas (f) *Primicerii Defenſorum, nam & Secundicerii, & Primicerii Defenſores diebus feſtis poſt Diacones ad altare offerunt. Similiter aſcendens Pontifex in partem fœminarum, ordine, quo ſupra, omnia expleт.*

X. Panes oblati pro ſacrificio quales.

Panes, qui offerebantur pro uſu ſacrificii, conformati erant juxta præſcriptam per eccleſiaſticos Præſides normam. Perpetuitas illa azymorum, cui ſubſcribunt modò (poſt Ven. Card. Thomaſium, Ciampinum, alioſque in hujus libello conjecturarum de uſu azymi laudatos) Eruditi ferè omnes, panis offerendi ſingularitatem ſupponit apud ** Latinos. Cæterùm favent plerique canones, & ſcriptores. Notiſſimus eſt canon 6. Toletani XVI. Concilii. Capitulare Theodulphi Aurelianenſis ad Presbyteros c. 5. *Panes, quos Deo, & ſacrificio offertis, a vobis ipſis, aut a veſtris pueris coram vobis nitidè, ac ſtudioſè fiant*. Studium præcipuum, ut eſſent forma *coronæ* inſtar *rotundæ*, *ſolidæ*, & *preſſioris*, quemadmodum probat memoratus Thomaſius pag. 123. dicti libelli Ciampiniani capite 5. a lectoribus excurrendo unà cum obſervationibus Bacchini ad vitam Georgii Ravennatenſis Antiſtitis par. 2. pag. 486. pontificalis Agnelli. Tœduit quidem aliquando plures ſtudii, curæque hujuſce. Quare alicubi paullatim ſubinducta conſuetudo offerendi farinam, quæ converſa (fortè per Clericos, aut mulieres Deo conſecratas) in materiem *** ſacrificandam aliorum dierum in uſus ſervabatur, ex appoſitis interim per eccleſiaſticos miniſtros panibus reliquis communicantibus.

(5) Sect. ſeq. §. 7. Dandus (5) infra locus capitis 58. Gemmæ Honorii Auguſtodunenſis teſtimonio erit ejuſmodi oblationum. Forma panis apud Græcos non diſſimilis a latina. S. Epiphanius in ancorato oblatum pro Euchariſtia rotundum vocat: τὸ ἐςὶ, inquit, ϛρογγυλόδες.

Tem-

(f) Prior cujuſcumque collegii, ſeu ordinis, præſertim Clericorum, *Primicerius* utplurimum dicebitur. Quod egregiè probat locus Cencii dandus par. 3. ſect. 4. §. 5. Aliàs vide opus Ant. Bellotte de ritib. eccl. Laudunen. obſervat. 101. num. 2. pag. 734.

** Græcis quoque mos erat, ut panis offerendus pro ſacrificio manibus oblaturi conficeretur, a quo nec ipſe Auguſtus diſpenſabatur. V. orationem 20. S. Gregorii Nazianzeni, ubi de donis Valentis Imperatoris &c.

*** Latè de hoc Berlendus cit. diſſert. par. 1. §. 1. num. 6. pag. 8. & 9.

Tempus offerendi pro ſacrificio allegati Ordines Romani poſt lectionem evangelii, alia documenta fuiſſe tradunt poſt ſymbolum, quod habendum veluti evangelii conſectarium, & chriſtiana proteſtatio de ſervanda fide per illud annunciata. Hinc, qui ſequebatur cantus, *offertorium*, ſive *offerenda* appellatus, quod cum vulgato Alcuino nemo ignorat. De his omnibus Hildebertus Cenomanenſis ſcriptor ſeculi XI. in eleganti carmine ſuper *myſterio miſſæ*, edito ab Antonio Baugendre ejus operum erudito collectore. Accipe verſiculos legendos ad tit. *de ſymbolo*, *& offertorio* col. 1138. XI. Quo tempore miſſæ offerretur pro ſacrificio.

Succinit ecce chorus fidei compendia noſtræ,
Aſſenſum verbo ſe tribuiſſe docens.

. . . .

. . . .

Sic confeſſa fidem pia plebs orare monetur,
Ut ſit in hac ſtabilis inſuper aptet opus.
Effectum ſpondet chorus offertoria cantans:
Tamquam ſi dicat, credo, fatebor, agam.
Hinc eſt, quod poſt hæc offert ſacranda miniſter
Dona, dehinc populus, quod ſibi lege licet.
Ordo decens, evangelium præcedere cernis,
Ponè fidem pandi, dona deinde dari.
Audis, ut credas, & credis, ut hoſtia fias;
Taliter incipimus eſſe, ſumuſque Dei.
Præterea donis, quæ plebs devotior offert,
Dona domus Judæ commemorare licet;
Quum Salomon templum, Salomon altare ſacraret,
Oblata a populo victima multa fuit.
Exemplo, Judæa, tuo plebs uſa fidelis
Altari dat ſe, dat ſua, tu neutrum.

[library stamp]

Per hos verſiculos memorantur tum dona *ſacranda* a miniſtris collata, tum cetera, *quæ licitè* offerre poſſet *plebs devotior*. Ex hoc autem patet, & reliqua dona tunc illata ad altare, non ſola adhibenda in uſum ſacrificii; reliqua, inquam, dona, quæ tamen populus minimè crederet materiem, ſeu portionem evaſura ipſius ſacrificii neceſſariam. Nam ſub hac idea vetitum offerri quidpiam. In id intendit canon 3. apoſtolicus, dum permitti ait, *offerre novas fruges*, *& botros*, *non ut ſacrificia*, ſed (ὡς ἀπαρχὰς ὡρίων καρπῶν) *ut primitias tempeſtivorum fructuum &c.* Fortè ob eamdem pravam obre- XII. Utrum & tunc alia offerrentur?

repentem ideam prodiit canon 24. Concilii III. Carthaginenſis, quo prohibentur oblationes, excepta materie ſacrificii. Clarius rem explicat canon 2. Concilii IV. Bracarenſis, quem videas to. 6. collect. Labb. pag. 561. Videndus inſuper eodem volumine canon 57. Synodi Quiniſextæ, ſeu Trullanæ. Videndus etiam Edmundi Martenii tomus 1. de ritib. Eccl. cap. 4. artic. 6. num 3. pag. 378. Jacobi Goari Euchologium ad pag. 656. &c.

XIII. Probatur hunc morem diu viguiſſe, præcipuè apud Latinos.

Goarus tamen, quid Græcis familiare foret, peculiariùs attingit. Et verè pag. 655. cit. egregii operis varias exhibet orationes, quibus perlectis, ſuſpicari poſſis, præter conferenda in uſum ſacrificii, conſueviſſe Græcos apportare ad miſſas aliqua vel voti gratia, vel in gratiarum actionem Deo largitori. Sed Latinorum conſuetudinem atteſtantur innumera. Nonne illam probat uſus recitandi in miſſa offerentium nomina, puto, ad excitamentum eorum, qui præ avaritia offerre refugerent? Codex ſacramentorum Thomaſianus (præſertim in miſſali Gothico) plures adducit preces recitandas, recenſitis nominibus, ſuper munera, quæ potiſſimùm diverſa fuiſſe a materie ſacrificanda ex eo manifeſtè colligitur, quòd abuſus aliquando irrepſerit apud fideles certatim illa manu liberaliori perferendi, ut inanem quamdam gloriolam aucuparentur ex publicatione nominum. Deteſtabilem hunc abuſum carpit S. Hieronymus cap. 3. lib. 2. in Hieremiam, & commentar. in Ezechielem lib. 6. cap. 18. quo loco docemur, nomina offerentium publicata fuiſſe per Diaconum. De uſu recitandi nomina nonnulla fert S. Doctor in epiſtola ad Heliodorum, S. Innocentius in epiſtola ad Decentium Eugubinum Epiſcopum, quæ vigeſimanona &c. Conſuetudinem quoque probat aliena a materie ſacrificii importandi abuſus alter, qui a fonte prænotatæ inanis gloriolæ profluebat, ita expoſitus a Walafrido Strabone rer. eccleſiaſticar. cap. 22. *de ordine miſſæ, & offerendi ratione* pag. 347. collect. Hittorp. *Sciendum, quoſdam inordinatè offerre, qui attendentes numerum oblationum potiùs, quàm virtutem Sacramentorum, ſæpè in illis tranſeunter offerunt miſſis, ad quas perſiſtere nolunt.* Probat ſimiliter, quod profert Rhegino Prumienſis Abbas lib. 1. de eccleſiaſt. diſciplina: *Offerentes inſtruat, ut candelam, vel quidquid aliud ad altare deferre placuerit, ante miſſam, vel antequam evangelium legatur, offerant.* Hæc num. 22. Sed n. 73.

Obla-

Digitized by Google

Oblationem unam tantummodo oblatam ad offertorium pro ſe, ſuiſque omnibus unuſquiſque offerat. Conſentit Rheginoni (ſicut etiam advertit Martenius lib. 1. de ritib. Eccl. cap. 4. artic. 6.) Hincmarus Rhemenſis capitul. 1. artic. 6. Quidquid tamen ſit, verba Rheginonis, dum habendam ætate ſua diſtinctionem commonent, affatim inſinuant, antequam offertorium caneretur, multa collata, quæ aliena forent ab uſu ſacrificii. Ceterùm de his pariter alienis oblationibus interpretari juverit canonem Concilii Carthaginenſis habiti an. 397. qui eſt 37. in codice eccleſiæ Africanæ, canonem 15. Concilii 1. Aurelianenſis anni 511. canonem 27. Synodi Romanæ an. 853. & primum Valentinæ Synodi Hiſpanienſis. Neque aliter accipiendum capitulum, quod extat libro 6. capitularium tom. 1. edit. Baluz. num. 170. pag. 951. *Placuit, ut fideles oblationes Sacerdotibus quotidie offerant . . . ſaltem die Dominico*.

XIV. Variavit aliquando inſigniter, uti etiã primò deſcriptus.

Emerſit poſtmodum tempus, quo deſcripta hucuſque inſigniter variarunt fermè in ſingulis. Pro pane, & vino ſacrificii materie, ſeu pro farina, cæptum offerri denarios, uti edocebimur ex indicato ſupra loco Gemmæ Honorii. Cœptum curari modicum, quo tempore miſſæ munera traderentur. Sanè Gregorius VII. ſeculo XI. poſtulabat cit. can. ult. ſive 12. Synodi Romanæ IV. generatim, *ut omnis chriſtianus procuret ad miſſarum ſollemnia aliquid Deo offerre &c.* Quæ planè verba uſum primigenium offerendi ad miſſam ea ætate ſignificant ſervatum, non verò inſtitutum de eodem adimplendo, nondum cantato offertorio.

XV. Oblationes illatæ tempore offertorii ordine ſiebant.

Quum autem illud vigeret, mirum! quàm ordinatè, quàm graviter exerceretur. Fidelium quiſque ſuo ſtabat loco, huc & illuc diſcurrentibus ſacris miniſtris ad colligendas oblationes deputatis. Quod Romæ factum, tradunt citati Ordines Romani, ſaltem reſpectu plebis. Ad altare ſoli Presbyteri, & ſanctiores adminiſtri offerre conſueverant. Alicubi permiſſum, imò juſſum, ut populus oblaturus accederet ad Sacerdotes, extra tamen cancellos, ſive ſepta altaris. In capitularibus Caroli Magni (lib. 5. cap. 219.) conſtitutum legimus, *per omnes dies Dominicos offerendum . . . & ut ipſa oblatio foris ſepta altaris recipiatur*. Heraldus Turonenſis ſanxit cap. 3. capitularis, *ut populi oblatio extra cancellos* reciperetur. Ab hac verò lege primis temporibus nec ipſi ſupremi

Prin-

Principes ſoluti cenſebantur. Apud Græcos cœptum maturiùs Imperatoribus indulgere, ut ad altare cum oblationibus appropinquarent. *Nulli liceat* (ſic canon 69. inter Trullanos) *qui ſit in laicorum numero, intra ſacrum altare ingredi, ab eo tamen prohibita poteſtate Imperatoris; quandoquidem voluerit dona Creatori* (*δῶρα τῷ πλάσαντι*) *offerre*. Ex quo vides, jam ſeculo VII. apud Græcos hanc indulgentiam vel in canonem tranſiiſſe. Latini ſeriùs quidem, nihilominus tandem admiſerunt Principes, ſolis excluſis fœminis, quod probari valet per caput 6. capitularis Theodulphi. Alias fœminarum oblationes ſuſceptas extra cancellos affirmat Hayto Baſileenſis Epiſcopus cap. 16. capitularis extantis tom. 4. ſpicilegii Lucæ Dacherii.

XVI. Indigni ab offerendo inhibiti. Quinam tales? Tum verò fœminæ, tum Principes, ceterique ſive tempore offertorii, ſive extra illud, vel pro materia ſacrificii, vel ſecus quidpiam offerre volentes, ex indignorum numero cenſeri minimè debebant. Semper Eccleſia ab offerendo ſubmovit publicè reputatos indignos. At quinam tales? Gallicani Patres anno 1286. in Synodum adunati oblationes non recipi decernunt *ante reconciliationem a notoriè in odio, raptore obſtinato & inobediente, uſurario manifeſto, a publicè excommunicato, publica meretrice, ab eo & ſua familia, qui fugientem ad eccleſiam ab ea violenter extraxit, a ſacrilego, qui invaſit eccleſiam & deprædavit, ab hæretico, hæreſive fautore*. Hæc in conſtitutionibus editis to. 4. anecdoton Martenii pag. 738. Si vetuſtiora velis, habes ibidem pag. 11. canonem Synodi Ferventis addendum canonibus Hybernenſibus promulgatis tom. 9. laudati ſpicilegii Dacheriani, qui *dona iniquorum*, & eorum, *qui pauperes premunt, refutanda* jubet *a Sacerdote*. Per canones Elliberitanos indignis annumerabantur neutiquam communicantes. Concilium Ilerdenſe (can. 13.) munera Catholicorum reſpuit, *qui filios ſuos in hæreſi baptizandos obtulerint*. Synodus Carthaginenſis IV. canone 93. vult *oblationes diſſidentium fratrum neque in ſacrario, neque in gazophylacio* recipi. Eadem fermè verba tranſcripſit in capitulare ſuum S. Gregorius II. cap. II. col. 1863. tom. 1. Concilior. Hardovini. Omitto ceteros indignos. Conſuli poteſt interea cit. ſuperiùs Sarnellii baſilicographia cap. 27. a num. 5. ad 13. &c.

SE-

SECTIO II.

§. I. De oblatis extra miſſas.

MOdò productus canon Carthaginenſis genus aliud ſubindicat oblationum uſitatum in Eccleſia; earum nempe, quæ importarentur extra ſollemnia miſſarum. Quæ enim importabantur ad *ſacrarium*, ideſt, ad *presbyterium* juxta (1) dicta, commodè intelliguntur de collatis ad miſſas; cetera ſub velamine illatorum ad *gazophylacium* non impropriè explicantur pro illatis ad eccleſias, tamquam ad publicum pietatis ærarium. Utcumque judices, fideles antiquitus munera extra miſſas, & quidem non una ratione, conferebant ad ſacras ædes. Scilicet aliqua manibus Sacerdotum, ſive aliorum miniſtrorum porrigebant: aliqua, puta denarios, projiciebant intra capſas ad hoc deſtinatas, vel ante Confeſſiones, ſeu Martyria Sanctorum: aliqua deportabant ad altaria. Complectuntur hæc omnia verba illa Romanæ Synodi apud Gratianum (10. 4. 1. c. *hunc*) *quæ intra ſanctam eccleſiam offeruntur*. Græcorum conſuetudinem offerendi extra tempus celebrationis miſſæ multa poſſent atteſtari. Tu conſule nunc Goari euchologium ad cit. pag. *656.* Diſces per authoritatem Balſamonis, quid offerrent aliquando Patriarchæ. *Uvas* (ſic ibi) *Patriarchæ offerunt* (σαφυλὰς προσφέρυσιν) *in ſacro altari ſacræ ædis Blacheruarum*, *peracto ſacro feſto Dormitionis SS. Deiparæ*. Latinorum uſum innumera comprobant. Oblationes maximè ad altaria ita erant in more apud Latinas eccleſias, ut, præter ſpecies rerum, ipſæ chartæ donationum prædiorum &c. illuc a fidelibus conferrentur. Antiquæ ſcriptiones exemplis abundant. Percurrantur collecta per Martenium lib. 1. de ritib. Eccl. cap. 4. artic. *6.* num. 11. pag. *378.* haud præteritis per eum traditis to. 1. anecdot. pag. *162.* ex ms. Fiſcanenſi. Quàm copioſa offerrentur apud Gallos (ſeculo præſertim IX.) ad ſepulchrum S. Martini, perſpicuum evadit lectione narrationis Odonis Cluniacenſis ſuper translatione corporis B. Epiſcopi. Silemus alia, quum hæc ex infra producendis Romanorum moribus conſtitura ſint.

(1) Proleg. ſect. 2. §. 2.

II. Oblationes Epiſcopi cura impenſæ.

Quotquot verò offerebantur olim non ad uſum ſacrificii tam in miſſis, quàm extra, in poteſtate præcipuè majorum eccleſiæ cujuſque Præſidum erant, eorumque cura diſpenſabantur. *Ad pontificium miniſterium pertinet* (inquit Jonas

D Au-

Digitized by Google

Aurelianenſis lib. 2. inſtitutionum cap. 19.) *qualiter oblationes . . . diſpenſentur ordinare*. Canon 5. Concilii Aurelianenſis III. legendus to. 2. collect. Hardovin. pag. 1424. *Siqua oblationes . . . illatæ fuerint baſilicis, in poteſtatem Epiſcopi redigantur, & in ejus ſit arbitrio, quid ad reparationem baſilicæ, aut obſervantum ibi ſubſtantiam deputetur*. Canon 48. Concilii Francofordienſis pag. 909. to. 4. ejuſdem collectionis: *De oblationibus, quæ in eccleſia, vel in uſu pauperum proferuntur, canonica obſervetur norma, & non ab aliis diſpenſentur, niſi cui Epiſcopus ordinaverit*.

III. In commodum eccleſiarũ, pauperum, & Clericorum quorũcumque.

Allati duo canones præmonſtrant, quos in uſus per Epiſcoporum curam oblata illa impenderentur: nimirum in reparationem, nitoremve ſacrarum ædium: in alimoniam, commodumve neceſſarium miniſtrorum eccleſiarum, ſeu Clericorum: in utilitatem pauperum; quamquam Patres noſtri ſub iſtorum nomine comprehenderint aliquando Clericos, uti (2) ex dicendis colligi poterit, aliiſque, præcipuè reſponſis Creſcentiani Subdiaconi apud Geſta purgationis Cæciliani Epiſcopi Carthaginenſis pag. 105. to. 2. miſcellan. Baluzii. Præmonſtrant, repeto; ſiquidem alia documenta ſuper hujuſcemodi partitione nos diſtinctiùs inſtruunt. Romani Pontifices primùm audiantur ſequentia præſcribentes Epiſcopis ſuburbicariis: *De reditu eccl. vel oblatione fidelium* (Epiſcopus) *quatuor faciat portiones, quarum unam ſibi ipſe retineat; alteram Clericis pro officiorum ſuorum ſedulitate diſtribuat; alteram pauperibus, & peregrinis; quartam eccleſiaſticis fabricis noverit reſervandam*. Sic cap. 3. Diurni Romanorum Pontiff. tit. 9. num. 5. pag. 73. edit. Joh. Garnerii. Eadem præſcripſerat S. Simplicius PP. in epiſt. 3. ad Florentium, Equitium, & Severum: *De redditibus eccleſiæ, vel oblatione fidelium . . . ſola* (Epiſcopo) *ex his quarta portio remittatur: duæ eccleſiaſticis fabricis, & erogationi peregrinorum . . . ultima inter ſe Clericis pro ſingulorum meritis dividatur*: & S. Gelaſius I. in epiſt. 5. ad Epiſcopos Lucaniæ: *Quatuor tam de reditu, quàm de oblatione fidelium . . . convenit fieri portiones, quarum una ſit Pontificis, altera Clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis applicanda*: & S. Gregorius M. in reſponſ. ad Auguſtinum Angliæ Epiſcopum: *Mos eſt Apoſtolicæ Sedis ordinatis Epiſcopis præceptum tradere, ut de omni ſtipendio, quod accedit, quatuor fieri debeant portiones, una videlicet Epiſcopo, & fa-*

(2) *Vide Par.* 2. *ſect.* 2. §. 16. *Par.* 3. *ſect.* 2. §. 16.

Digitized by Google

familiæ ejus propter hoſpitalitatem, & ſuſceptionem, alia Clero, tertia pauperibus, quarta eccleſiis reparandis: & S. Gregorius II. in epiſt. ad Clerum, & populum Thuringiæ, quarta (niſi fallor) inter epiſtolas S. Bonifacii M. ac Germanorum Apoſtoli, qui poſtea in Concilio Coloniæ habito canonem edidit extantem apud Decretum Yvonis (lib.3.c.201.) ſub his verbis: *Nos tantùm ſingulis annis quartam partem juxta uſum Romanorum Pontificum, & obſervantiam S. R. E. de eadem* (tertia parte oblationum per alios canones Epiſcopis permiſſa) *habere volumus*. Capitulare Francorum Baluzianum additionis 4. ad num. 58. pag. 1205. mandat: *quod in unaquaque eccleſia, cui Epiſcopus præſit, quatuor tam de redditibus, quàm de oblationibus fidelium fieri debeant portiones, ut una ſit Epiſcopi: alia Clericorum: tertia pauperum: & quarta fabricis eccleſiaſticis applicetur*. Concilium Aurelianenſe 1. c. 16. habet: *ut de his, quæ in altario oblatione fidelium conferuntur, medietatem Epiſcopus ſibi vendicet*; dividendam, opinor, cum reliquis Clericis, quorum etiam nomine procul mihi dubio eſt veniſſe Epiſcopos in aliis canonibus, authenticiſque documentis indiſtinctè loquentibus de oblationibus ad Cleri commodum aſſignandis. Aliàs canon quintus inter apoſtolicos tamquam inter ſe dividentes partem oblationum repræſentat Epiſcopum, alioſque Clericos, dum ait: *Certum eſt, quod Epiſcopus, & presbyteri dividunt etiam Diaconis, & reliquis Clericis*.

IV. Ac aliorum eccleſiis miniſtrantium.

Viden', in quos uſus impendenda ſanxerint Majores fidelium oblata? Viden' ſimul, quanta pars cederet in utilitatem Clericorum? Sed obſerva, quod, ubi Monachi degerent, ſeu diverſi a Clericis ſimpliciter dictis eccleſiarum miniſtri, ad eoſdem pertinebant oblata. Allegatus liber diurnus ad tit. 8. in reſponſione de oratorio dedicando an. 714. intra monaſterium, atteſtatur, quod *Monachis in eodem loco deſervientibus* deberet *proficere quicquid offerre* conſtitiſſet. Monachis baſilicæ S. Paulli de Urbe miniſtrantibus S. Gregorius III. aſſignavit oblationes majoris altaris cum onere perpetuo *oblatas* quotidiè importandi ad nonnullas miſſas in aliquibus baſilicæ altaribus celebrandas. Legatur apud bullarium Caſſinenſe D. Cornelii Margarini to. 1. Conſtitutio 6.

V. Ad Clericos præcipuè pertinebant ſuperflua ex oblatis in uſum ſacrificii.

Præter partem, de qua generatim ſupra, in ſuos uſus ſpeciatim vindicabant Clerici quicquid ex oblatis pro ſacrificio panibus, vinoque ſupererat. Hujus moris teſtis eſt illu-

Digitized by Google

ſtris Theophilus Alexandrinus (quod Orientales tangit) inquiens can. 7. ſui commonitorii: *Quæ in ſacrificii rationem offeruntur, poſt ea, quæ in myſteriorum uſum conſumentur οἱ κληρικοὶ διανεμάτωσαν (Clerici dividant) & nec Catechumenus ex eis manducet, vel bibat; ſed Clerici ſolùm, &, qui cum eis ſunt, fideles fratres.* Latinos non diſpar obſtringebat uſus, ad quem præciſiùs alluſiſſe puto decretum Concilii Romani al. memorato Gratiani opere (10. 4. 1. C. *hunc*) relatum, ac tomo 1. liturgic. Latinor. Pamelii pag. 261. repetitum, hæc dicens, poſtquam intra ſanctam eccleſiam oblata a Sacerdotibus tantùm, nullatenus a laicis detinenda conſtituit: *Illis ſolis liceat comedere, & bibere, quia in veteri teſtamento prohibuit Dominus panes ſanctos comedere filiis Iſrael* &c. Superfuiſſe autem ne ambigas apud Latinos multa ex oblatis pro ſacrificio, nedum ex canone 44. Concilii Moguntini, & capitularium libro 5. cap. 94. nedum ex obſervationibus Thomaſſini datis par. 3. lib. 1. cap. 3. num. 4. pag. 375. cit. operis de diſciplina &c., deprehenditur manifeſtè ex Ordinibus Romanis. Hittorpianus ſecundus *Proceſſionis*, tit. *Si quando Epiſcopus celebrare voluerit*, pag. 6. col. 1. ad offertorii deſcriptionem addit: *Apportante ſibi Subdiacono oblatas in patena a nullo immolatas, accipiat* (Epiſcopus) *ex illis quantum ſufficere videatur, & alias Archidiacono reſtituat, quas ille Cuſtodi eccleſiæ ad obſervandum committit.* Apertiùs loquitur Ordo 4. *Tunc accipiens per Subdiaconum oblatas hinc inde porrigentes ponit tantas ſuper altare, quantæ poſſint populo ſufficere.* Idipſum ferme notat Ordo, ſeu ceremoniale pro *ſacris ordinibus* compoſitum pag. 63. *Ceteras oblationes, quas ſuperfluas habuerit, ponit Epiſcopus, ſeu Archidiaconus, vel qui fuerit ex Diaconibus, in ſacculis, quos tenent Acolythi*, inquit Ordo Mabillonianus 1. tit. 8. num. 50. pag. 30. tom. 2. Muſei Italici edit. an. 1689.

VI. Pars tamen in uſum eulogiarum conſummabatur.

Theophili teſtimonium meminit *fideles fratres* participantes de ſuperfluis ſacrificii. Quid hoc? Eulogias ex illis conficiebant Patres noſtri (de quibus ampliſſimè * Eruditi, præſertim Albaſpinæus in citatis obſervationibus) ſeu panis particulas, quas chriſtianis laicis ** adſtantibus, neque communi-

* Noviſſimè de his Berlendus cit. diſſert. P. 1. §. 1. num. 13. pag. 22. & ſeqq.

** Ab horum numero idem Berlendus excludere non videtur Catechumenos; quod pugnat (niſi aliquo congruo interpretamento concilietur) cum litera Theophili Ale-

municaturis, communionis tamen perfectæ minimè indignis, adeoque veris *fratribus*, ſollemnitate miſſarum exacta, diſtribuerent. *Omni die dominico* diſtributas ait vetus decretum attributum S. Pio I. cap. 4. eulogias, *& in diebus feſtis iis, qui communicare non fuiſſent parati, ex oblationibus, quæ offerrentur a populo, & conſecrationi ſupereſſent, vel de panibus, quos deferrent fideles ad eccleſiam.* Ad hanc oblationum diviſionem probabiliter reſpexit Auguſtinus celebri loco capitis 2. lib. 2. retractationum, quem lector adeat.

VII. Denarii oblati loco materiæ ſacrificii in quos uſus converſi.

Honorius Auguſtodunenſis cap. 58. Gemmæ, ubi de *pane Dominico*, ad pag. 695. ſyllogis Hittorpianæ: *Statutum eſt, ut populus pro oblatione farinæ denarios offerret, quibus Dominum traditum recognoſcerent: qui tamen denarii in uſum pauperum, qui membra ſunt Chriſti, cederent, vel in aliquid, quod ad uſum ſacrificii pertinet.* En aliam præciſè ad uſum ſacrificii oblatorum applicationem. Nempe emebantur ex denariis illis, præter materiem ſacrificandam, vel oleum, vel cereæ faces, vel ſacræ veſtes, vel thymiama &c. denique quicquid uſui eſſe poterat miſſarum. Quod verò habetur ibi de pauperibus, quum agat eo loco Honorius de denariis dandis panum loco, quos, ut vidimus, inter Clericos præcipuè diviſos volebant Majores, explicarem ego de iiſdem altaris, eccleſiæque miniſtris inter pauperes computari conſuetis juxta monita (3) paullò ante.

(3) §. 3.

VIII. Quædam ex oblatis tantùm ad Presbyteros ſpectabant.

Canon 13. Synodi Bituricenſis celebratæ anno 1103. legendus pag. 850. tom. 6. cit. collect. Hardovini quidpiam unicè pertinuiſſe ad Presbyteros, puto, ſacris operantes, ſive operaturos, ita expreſsè tradit. *Statuerunt Epiſcopi, ut Presbyteri oblationes, & luminaria, tamquam propria ſua habeant* &c. Hæc

---

Alexandrini, quodque ego valde diſſimile vero exiſtimo. Qui enim nondum in Chriſti corpus adſciti, ideſt, nondum *numero* Eccleſiæ membra, ſed *merito* ſolùm, ut ſapienter S. Thomas in 4. diſtinct. 4. qu. 2. art. 2. ad 5. qu. allegatus a Cl. P. Fulgentio Bellello P. 2. operis de mente S. Auguſtini &c. adversùs Bajum, Queſnellium &c. Prop. 74. §. 1. pag. 306. & qui non offerebant, ſeu admiſſi erant ad importandas oblationes, difficile creditu eſt participaſſe de oblatis debitis *Fratribus*, & ad communicandum non paratis. Sal Catechumenis dari ſolebat, &, ſi vis, aliquando panis benedictus, non tamen uti eulogia, & teſſera communionis ſimilis iis, de quibus nos hìc cum Theophilo, & Pii decreto. Super eulogiis Catechumenorum canon 5. Concilii III. Carthaginenſis, S. Auguſtinus lib. de merit. remiſs. Fr. Pitœus in gloſſar. ad ea verba Capitularium Francicor. *Sal Catechumenis*, Hieronymus Bignonius in notis ad lib. 2. cap. 42. Formulas. Marculphi.

IX.
Miniſter peculiaris cuſtodiebat oblata. An aliud ejus munus?

Hæc verò, ceteraque dividenda oblata, quouſque diſtributio fieret, apud Cuſtodem eccleſiæ, ſive Clericum ad ea ſervanda peculiariter deputatum, collocabantur. Teſtes Patres Concilii Bracarenſis anni 561. *Placuit* (verba Concil. to.3. d.collect. pag.352.) *ut quod ex collatione fidelium, aut per feſtivitates Martyrum, aut per commemorationem defunctorum offertur, apud unum Clericum colligatur*. Teſtes Romanorum Ordinum jam (4) notatæ particulæ diſertè commemorantes ejuſmodi miniſtrum, cujus etiam muneris pars erat, meo judicio, ſpecies diverſarum rerum, quæ fuiſſent importatæ, ſecretis quotquot per ſe ſe uſui eſſe poſſent, divendere, pecuniaque comparata, neceſſitatibus per canones indicatis applicare.

(4) §. 5.

X.
De oblatorum a fidelibus diverſitate.

Planè a fidelibus diverſiſſima offerebantur. Id, præter hucuſque dicta, probant omiſſa permulta, ex quibus paucula delibanda ſunt. Canon 4. apoſtolicus permiſit offerri ad altare *novas ſpicas, & oleum ad luminaria, & thymiama tempore, quo ſacra* celebraretur *oblatio*. De his, ſimilibuſque Zonaras: *Fructus, legumina, & alia ejuſmodi offeruntur altari, non ut ſacrificium, ſed ut primitiæ: oleum permittitur offerri, ut per hoc lumen vero Lumini accendatur, & incenſum tempore oblationis*. Linteamina pro uſibus altarium frequenter collata demonſtrant videndæ in annalibus Baronii ad an. 329. num. 1. & ſeqq. authoritates, præſertim SS. Athanaſii, ac Paulini. Cereos candidos obtulerunt CPolitani in translatione corporis S. Johannis Chryſoſtomi, uti fert Coſmas Veſtiarius apud eumdem Cardinalem to. 4. ad an. 438. Canon 3. apoſtolicus ſtatuit: *Siquis Epiſcopus, aut Presbyter, præter ordinationem Domini, alia quædam in ſacrificio offerat ſuper altare: ideſt, aut mel, aut lac, aut pro vino ſiceram, aut confecta quædam, aut volatilia, aut legumina ... deponatur*. Ex quibus deducitur, præter legumina, fructus, oleum &c. oblata fuiſſe, maximè ab Orientalibus, alia pleraque. Neque enim canon offerre vetat quotquot annotavit, ſed *ſuper altare* in uſum ſacrificii, qua de re ſect. præcedente (5). Aliqua de lactis, melliſque muneribus diſſerit Albaſpinæus libro 2. laudati operis obſervatione poſtrema. Quid afferretur ſeculo XIII. Turonis intra baſilicam S. Martini, enarrat Anonymus relatus a Martenio ad fidem mss. codicum: *Sciendum, quia quatuor ſunt, quæ in miſſa offerre conſuevimus, panis, vinum, denarius, & candeR-*

(5) §. 12.

Digitized by Google

dela. Pallia quoque altarium, candelabra, ſacra inſtrumenta, indumenta &c. tantùm negaverit oblationum ſpecies fuiſſe, qui nunquam revolverit vel ſolius libri pontificalis paginas.

XI. Portio oblatorum diviſa inter Clericos certo tempore, ac ſecundùm labores & gradus.

(6) *V. hic* §. 3.

Collecta pecunia, quæ Clericorum, aliorumque eccleſiis famulantium portio foret, temporibus præſtitutis, ac etiam attenta cujuſque conditione laborum, & dignitate, quod eſt, ut ajebat (6) Simplicius Papa, *pro ſingulorum meritis*, dividebatur. *Conſtituto tempore, aut ſemel, aut bis in anno inter omnes Clericos dividatur*, inquit poſt verba deſcripta ſuperiori §. Concilium Bracarenſe, ubi de oblatione fidelium. Synodus Emeritenſis anni *666.* (ut eſt cit. to. 3. Concilior. Hardovin. col. 1003.) *In ſancta Dei Eccleſia diebus feſtis pro conſuetudine, & mercede communicationis tempore a fidelibus pecuniam novimus poni. Propter hoc placuit ſancto Concilio hanc rectitudinis ponere regulam; ut, quia omni Clero communis labor manet in officio ſancto, omni juxta meritum ex hoc rependatur viciſſitudo. Statuimus in noſtris eccleſiis, vel civitatibus hoc eſſe ſervandum: ut, quicquid pecuniæ a fidelibus in eccleſia fuerit oblatum, fideliter Epiſcopo præſentetur; qualiter exindè tres partes fiant* (demptis veroſimiliter applicandis ad alios uſus, de quibus ſupra) *æquales: unam Epiſcopus habeat: alteram Presbyteri, & Diacones inibi deſervientes conſequantur, & inter ſe, ut dignitas & ordo poſcunt, dividant: tertiam verò Subdiaconibus, & Clericis tribuatur; ut a* (a) *Primiclero, juxta quod eos in officio præſcit eſſe intentos, ita ſingulis diſpenſetur. Simillima de parochianis Presbyteris in eccleſiis illis a Deo creditis erit ſervandum*. Cap. 14.

XII. Eaque habita pro ſtipendio, quod notum in Eccleſia *presbyterii* nomine.

Tenor hujuſce ſanctionis perſpicuè monet, pro ſtipendio (quod *merces* minùs propriè dicitur) attributas oblationes, quæ (præſertim illatæ ad altare, & tempore ſacræ ſynaxeos) Clericis diſtribuerentur. Sed ejuſmodi ſtipendium perantiqua ætate (quod omittendum nullatenus duco) in Eccleſia, maximè Latini ritus, *presbyterium* appellabatur. Evincitur id per epiſtolam S. Gregorii Magni ad Gaudentium Nolanum Antiſtitem ol. 27. nunc 38. lib. 5. epiſtolarum. *Fraternitatem* (b) *præſentibus hortamur affatibus; ut ex Clericis Capua-*

(a) An idem *Primiclerus*, ac *Primicerius*? De Primiclero Fileſacus lib. 40. de parœciis cap. 4. aliique recentiores. Du-cangius primas tenentem in Clero interpretatur, quod probabilius. V. not. *f.* ſub §. 9. præced. ſectionis.

(b) De vocabulo *fraternitatis*, & *fratris* varia nos in append. 1.

puanæ eccleſiæ, qui in civitate Neapolitana conſiſtunt, quartam in PRESBYTERIUM *eorum de hoc, quod antedictæ eccleſiæ ſingulis annis acceſſerit, juxta antiquam conſuetudinem diſtribuere ſecundùm perſonarum ſtudeant qualitatem: quatenus aliquod ſtipendium habentes ſolatium miniſterium, officiumque ſuum circa eamdem eccleſiam devotiori mente provocentur*. Hæc Beatiſſimus Doctor, nedum diſtributas indicans oblationes juxta gradus laboreſve, ſic ipſam diſtribuendam portionem vocans ſtipendium, quo aliàs nomine eamdem appellabat in epiſtola ad

(7) §.3. S. Auguſtinum ſupra (7) allegata, illudque non dubitans ſub vocabulo *presbyterii* extero Epiſcopo, exteriſque Clericis præſignare.

SECTIO III.

§. I. Agendum ſpeciatim de uſu offerendi apud Romanã Eccleſiam, maximè temporibus minùs antiquis.

PERSTRINXIMUS in deſcriptis hactenus authorum, Patrumve locis generalem, & maximè vetuſtiorem Eccleſiæ diſciplinam circa oblationes, cui elucidandæ (ut claret ex textibus codicum Sacramentorum, Ordinum, ſynodalium pontificiorumque Decretorum, libri diurni, regeſti Gregoriani, Amalarii, aliorumque) Romanæ Sedis tabulæ profuerunt. Placet modò ſuper principis hujus Eccleſiæ uſibus peculiariùs inſiſtere, iiſque minùs quidem antiquis, ſed qui ad notionem præfatæ diſciplinæ perfectiorem habendam plurimùm conducant.

II. De oblatis tunc Papæ tempore miſſæ, præcipuè in eccleſiis aliquot Patriarchalibus.

Jacobus Cardinalis Cajetanus ſcriptor nobilis ſeculi XIII. in ſuo Ordine Romanæ Eccleſiæ, qui eſt 14. apud Mabillonium tom. 2. muſei Ital. (cap. *66.* pag. 325.) oblationes commemorat, quæ fierent in S. Mariæ Majoris die natalis Domini *ad manus, pedes D. Papæ, & ſuper altare*. Idipſum (Ordine 15. num.*9.* cit. to. pag. 452.) repetit ſeculo ſequenti Petrus Amelius, Epiſcopus, & pontificio ſacrario Præfectus, ut, præter Mabillonianam admonitionem Ordini præfixam, atteſtatur Angelus Roccha to. 2. operum col. 338. in chronhiſtoria Præfectorum eidem ſacrario. Quin apud ipſum Amelium loquentem de communione nonnumquam agenda manu Papæ, potiſſimùm die Paſchæ, tit.85. pag. 506. lego: *Nota, quod quilibet, qui communicat, conſuevit offerre aliquid ſuper altare, poſtquam communicaverit*. Vetuſtum Breve recordationis de conſuetudine altaris S. Salvatoris Lateranenſis enunciat, Pa-

pa

pa Lateranis ſacrificante, importatas oblationes ad altare, ſacrificantibus verò ejus vice Epiſcopis Cardinalibus hebdomadariis, latas tum ad manus iſtorum, tum ad altare. Mox dabimus textum hujus Brevis. De oblationibus ab ordinandis in Romana Eccleſia (ordinabantur autem minùs antiquis ſeculis frequentiùs apud Lateranum) conferri ſolitis tempore offertorii hæc Ordinarius Cardinalis Cajetani circa ætatem Johannis XXII. confectus: *Dum dicitur offertorium* (V. pag. *393.* cit. to. 2. muſei cap. 103. Ord. 14.) *offerat* (ordinandus) *more conſueto duos torticios magnos accenſos, duos panes, ac duas ampboras vini, & offerendo ſingula manum Papæ oſculetur; Papa verò oblata leviter tangit.*

III. Et in aliis eccleſiis.

Apud ceteras Urbis eccleſias, præſertim ſtationes agente Pontifice, oblationes importabantur paſſim tempore miſſæ. Conſtabit (ut ſileam alia documenta etiam ſequentibus *§§.* adducenda) legentibus ad tit. *39. §. 66.* pag. 205. cit. to. 2. &c. Ordinem duodecimum, ideſt Cencii Sabelli Camerarii, circa pontificatum Cœleſtini PP. III. ſeculo XII. conſcriptum. Locus occurret (1) infra.

(1) §. 6.

IV. Offerebatur Romæ etiam extra tempus miſſarũ.

Extra momentum celebrationis miſſarum non ſemel invenimus Papæ, aliive celebranti oblatum quidpiam aut poſt abſolutum ſacrificium, aut per viam, quum ad eccleſias, vel altare pergeret. Legeſis in anteceſſum dicti Ordinis excerptum, & aliud ibi annexum, necnon Breve laudatum.

V. Quæ offerrentur.

Tam verò ad miſſas, quàm extra non una interebatur donorum ſpecies. Aurum, argentum, denarii, panni, linteamina, ſive tobaleæ, ut vocabant, vinum, panis, oleum, candelæ, & iſtiuſmodi plurima, quorum cognitio erit clarior poſt evolutas ſequentes ſectiones, communiora conflabant munera Romanorum.

VI. Eorum uſus. Varia de oblatis, Papa ſtationes agente, conceſſis Clericis, ac miniſtris pontificiis.

In quos autem uſus eadem applicarentur, facilè divinamus memores generalium jam ſupra deſcriptarum conſuetudinum. Itaque portio major addicta erat Clericis, ſive eccleſiaſticis miniſtris: vertebatur alia in ædium ſacrarum, divinorumque ſervicium decoremque: alia in egenorum alimoniam, etſi illis multimodè conſultum foret per Apoſtolicos, quod referabunt dicenda, maximè tertia hujus tractationis Parte. De oblationibus paſſim conceſſis Clericis, ac miniſtris pontificiis, recurrentibus pleriſque papalibus functionibus, plura congeri poſſent teſtimonia. Ex oblationibus intellige

E ſum-

ſumpta, quæ narrat Benedictus Canonicus n.69.Ord.11.p.150. cit. to. 2. muſei. *In feſtivitate S. Pauli Pontifex illuc cum omnibus ſcholis facit veſperam, & habet cœnam de eccleſia. Perfecta cœna, intrat ad vigilias . . . quinque reſponſoria* (ultima videlicet) *cantant Cantores, &* (a) *Baſilicarii, & accipiunt ab Archidiacono* XVIII. *denarios. Manè Pontifex celeberrimè cantat miſſam, & ſcholæ accipiunt pro* (b) *beneficio feſtivitatis quatuor ſolidos de moneta*. Idipſum intellige de notatis ab eodem Benedicto num. 70. quo de miſſa papali apud S. Laurentii in agro Verano: *Manè* (Pontifex) *facit miſſam* (diei S. Laurentii) *Romano populo, & accipiunt ſcholæ pro beneficio ab eccleſia octo ſolidos denariorum*. Neque aliter accipiendus Cencii locus deſcribentis (tit. 7. num. 14. pag 174. cit. to. 2.) matutinale officium celebrari conſuetum ad baſilicam Liberii in aſſumptione B. Mariæ, ubi poſt plura habetur: *Alia reſponſoria* (quinque poſtrema) *decantantur ab uno Subdiacono, & alio Cantore, & quilibet eorum recipit duos denarios ab illo, qui D. Papæ aſſiſtit, & omnes denarii debent eſſe de eccleſia: quatuor verò denarii, qui reſtant, Acolythorum ſunt*. Addit poſt varia, præſertim circa diviſionem reſidui candelarum ad lectionem adhibitarum, dempta portione Mappulariorum &c. *Notandum, quod, ſicut dictum eſt ſuperiùs, ita fit in vigiliis ſollemnitatum omnium Patriarchatuum Vrbis*. Clariùs reliqui Cencii, aliorumque loci. *In omnibus ſtationibus* (verba Cencii ad tit. 39. §. 66. pag. 205. ſermone exacto de baſilica S. Petri) *aliarum eccleſiarum, ubi D. Papa celebrat divina, de oblationibus altaris, ſiquæ fiunt poſt evangelium D. Papæ, Mareſcalcis ſex denarii. Quodſi fortè contigerit oblationem aliquam non eſſe, niſi illam, quæ debet eſſe Mappulariorum, Mareſcalci ipſi*

(a) Ideſt, de *ſchola baſilica*, aliàs *baſilicaria*, ut habet locus Romani Canonici afferendus §. 7. ſectionis 6.

(b) Multa ſignificat *beneficium*. In epiſtola 4. Adriani IV. ad Fridericum Auguſtum pag. 1147. to. 10. Concilior. Labb. ſonat *bonum factum*, ſeu bene actum officium, præſtitumque ſervicium. Sonat oblationum eccleſiarum diſtributionem Clericis debitam in canone 1. Concilii Autiſſiodorenſis an. 572. celebrati. *Non liceat* (ſic ille col. 444. to. 3. collect. Concil. Hard.) *Kalendis Januarii vetula, aut cervolo facere, vel ſtrenas diabolicas obſervare: ſed in ipſa die ſic omnia beneficia tribuantur, ſicut & reliquis diebus*. Generatim largitionem ſonat in textu orationis 3. in Julianum 1. S. Gregorii Nazianz. promendo ad num. 12. Append. 2. Nec prætereundum appellari *beneficentias* ipſas oblationes per canonem 8. Synodi Gangrenſis. Ex his explicari poteſt, quid ſit *accipere*, aut *habere pro beneficio*, ut hic, alibique dicitur.

Digitized by Google

ipſi de eadem oblatione ſex den. habeut. Quæ autem deberetur Mappulariis, alibi Cencius edixerat, præcipuè tit.22. num.46. *Notandum* (ſic inibi) *quod, ſi fortè, quando Papa eſt in ſecretario, & poſt miſſam celebratam, aliquid fuerit pedibus Papæ oblatum, illorum debet eſſe, exceptis prædictis &c. Si oblatio non affuerit* (proſequitur Cencius numero 39. §.66.) *Eleemoſynarius dat eis de eleemoſyna ſex den. Quotieſcumque D. Papa cantat, & quocumque loco cantet, quando non eſt ſtatio, debet eiſdem Mareſcalcis Eleemoſynarius de eleemoſyna dare* XII. *den. Mareſcalcis, ſicut dictum eſt ſuperiùs. Datur melior moneta Primicerio, deinde de reſiduo datur ſexta pars Primicerio, & ſcholæ Cantorum*: *reliquæ verò partis medietas datur Cardinalibus, Diaconis, & Subdiaconis*: *alia verò medietas Cappellanis ſolummodo*. Ordo Cajetani, quum de miſſa papali diei Nativitatis: *Dominus Papa præparat ſe ad miſſam cantandam ad præſepe* (S.M. majoris) *ubi quicquid offertur, quandiu PP. celebraverit ſive ad manus, ſive ad pedes ipſius Domini, vel ſuper altare, Cappellanorum eſt, excepto pane, qui eſt Acolythorum, ſi recipere voluerint*. Ordo Amelii tit.9. de 1. miſſa Nativit. pag. 452. cit. to. 2. muſei: *Quicquid offertur ſive ad manus Papæ, ſive ad pedes, vel ſuper altare, Cappellanorum commenſalium eſt, excepto pane, & vino, quod Acolythorum eſt, & quicquid venit per totam miſſam ſuper altare*: *& iſte modus debet ſervari in omnibus miſſis papalibus.* Idem Ordo de miſſa 3. tit. 11. pag. 454. *Oblationes dividantur, ut in prima*. Ad diem Paſchæ, quo de oblato per communicantes: *Totum illud eſt Sacriſtæ, & Cappellanorum*. V. tit. 85. pag. 506. Sed pag.332. excerptum Ceremonialis Cardinalis de Eſtouteville, ſive verioris authoris, ad miſſam ſecundam, quæ celebrabatur in Titulo S. Anaſtaſiæ: *Item quidquid offertur ſive ad pedes, vel ſuper altare, Cappellanorum cameræ ſolvendum eſt, excepto pane, & vino, quod eſt Acolythorum, & ſic de omnibus, quæ veniunt per totam miſſam ſuper altare.* Cap.76. Ordinis 14. Mabilloniani.

VII. Oblata impenſa pro ſervicio divinorum officiorum, & aliquando tradita Clericis eccleſiæ ſtationalis.

Benedictus ante ea verba (*quinque reſponſoria &c.*) notat: *Monachi eccleſiæ* (S. Paulli) *legunt tres lectiones*: *Saulus adhuc &c. cantant tria reſponſoria. Pro unoquoque reſponſorio accipiunt ab Archidiacono* II. *denarios de decem, & octo denariis, quos Archidiaconus accipit ab eis*. Ante illa (*alia reſponſoria decantantur*) ita Cencius: *Canonici ejuſdem eccleſiæ* (S. M. majoris) *tres primas lectiones legunt, & tria reſponſoria ſimiliter can-*

*cantant. Unicuique illorum prior Diaconus dat duos denarios de * Senatu*. Ante verò poſtrema, quæ ex eodem loco retulimus, habet: *Notandum, quod ubicumque Dominus Papa vadit ad veſperas, eccleſia, ubi eſt ſtatio, ipſa debet dare omnes faculas tam in veſperis, quàm in nocte. Notandum, quod, ſicuti dictum eſt ſuperiùs, ita fit in vigiliis omnium* (c) *Patriarchatuum Urbis*. Quæ omnia commonent, aliquid, iis potiſſimum occaſionibus, ex oblatis impenſum pro divinorum officiorum ſervicio non minùs, quàm partem eorumdem aliquando traditam ipſis eccleſiarum nobilioribus Clericis.

VIII. Pars oblatorum attributa Clericis S. M. majoris.

Sed & iſta ex aliis colligi valent. Innocentius IV. an. ſui pontificatus I. (nempe 1244.) e Lateranis literas novorum privilegiorum *Archipresbytero eccleſiæ S. M. majoris, ejuſque Fratribus* dedit, in quibus hæc præ ceteris decernit: *Oblationes etiam, quæ in eccleſia veſtra in nativitate, & reſurrectione Domini poſt evangeli pronunciationem, uſque dum redierimus ad altare, vobis, aut veſtris* (mel. *nobis, aut noſtris*) *ſucceſſoribus a Chriſtifidelibus offeruntur, vobis perpetuò concedimus obtinendas, ſalvo eo, quod Acolythis, & Mareſciallis noſtris debet in eiſdem feſtivitatibus erogari*. Sic literæ deſcriptæ in tractatu Cardin. Sirleti de baſilica Liberiana, qui apud nonnullos ** aſſervatur adhuc ms. tit. *de bullis, & privilegiis*.

IX. Oblata aliquot baſilicæ Lateranen. aſſignata Cardd. hebdomadariis, & Canonicis.

Oblata in baſilica Salvatoris dividebantur inter Epiſcopos Cardinales hebdomadarios, & Canonicos. *Miſſam* (ad altare majus Lateranenſe Epiſcopi hebdomadarii) *celebrant... oblationemque, quam in ipſa miſſa accipiunt a principio officii, uſque ad finem, quæcumque eſt in auro, vel argento, vel quibuſcumque oblationibus, in ordinationibus etiam & conſecrationibus, æqualiter dividunt cum Canonicis ejuſdem eccleſiæ ſibi aſſiſtentibus in miniſterio altaris, & in officio, præter oblationem panis, & vini, quæ tantùm Canonicorum ſunt*. Ita Joh. Diaconus de baſilica Lateranenſi tit. 8. pag. 556. cit. tom. 2. muſei.

Non

* De monetis a Senatu, populoque Romano cuſis, dominantibus in Urbe Pontificibus, varia Cl. Benedictus Floravantes libro de antiq. Romanor. Pontif. denariis, &c. unà cum nummis S. P. Q. R. pag. 15. cum ſeqq. & 92.

(c) De vigiliis apud Patriarchatum S. Laurentii idem Cencius tit. 44. num. 72. De vigiliis ad S. Petrum infra nos ſect. 5. Vide & eumdem Cencium ad num. 70. titulo 42. ubi de ſollemnitate Nativit. S. Joannis Baptiſtæ apud Lateranum.

** Anno 1737. eaſdem literas alibi pridem viſas contuli cum apographo extante penès eruditum juvenem Iohan. Baptiſtam Fiaſchettum d. Liberianæ baſilicæ beneficiarium Cappellanum.

X. Et aliis eccleſiæ miniſtris, ſcholis, ſacro ſervicio, ac fabricæ.

Non hunc tamen eſſe ſolum uſum oblatorum Lateranis oſtendit citatum toties Breve recordationis. Jam ecce illud, quale refertnr dicto to.2. muſei in calce Ordinis 12. pag.217. & ſeqq.

BREVE RECORDATIONIS

De conſuetudine altaris S. Salvatoris, quod ſcilicet Clericis ejuſdem eccleſiæ competat, & de medietate ſcilicet Epiſcoporum.

„ IN primis in nativitate Domini eccleſia debet (*d*) condiri, & duo paria facularum ante altare, & aliud in lectorio, & quatuor denarii Manſionariis dari debent. In feſto S. Johannis eccleſia condiatur, & una aquaricia olei ad fontes, & quod ſuperſit eccleſiæ, & xii. papienſes (*e*) Clericis, & vinum ad potandum ante vigiliam, & duo paria facularum, unum Clericis, & aliud Acolythis, &, ſi deſint Acolythi, ſunt Clericorum eccleſiæ. Aliud ad miſſam. In Dominica I. Quadrageſimæ eccleſia debet condiri, & quatuor denarii Manſionariis, & par facularum ad miſſam, & reſidua ſunt pro Clericis, ſi deeſt Acolythus. A Dominica I. uſque ad Pentecoſtem quotidie debent habere Manſionarii unum caput (*f*) de communi: in ſabbatho verò pro emundatione eccleſiæ tria capita. Feria 4. in hebdom.4. quando Clerici vadunt cum cruce per cœmeteria ad S.Paulum, & ad S. Anaſtaſiam, totum altare eſt Clericorum, donec crux egreditur, & reportatur; aut, ſi Clericis placuerit, panem, & vinum, & piſces inde habeant ad cœnam. In Dominica palmarum condiatur Eccleſia, & quatuor denarii Manſionariis, & par facularum ad miſſam. In cœna Domini ſimiliter quatuor denarii Manſionariis, & unum par pro ablutione ampullarum, & alia præparatione. In Sabbatho Sancto par facularum ad miſſam, & pre-

„ cium

(*d*) Scilicet *ornari*, aut *mundari*, potiùs, quàm (uti vult Mabillonius in notis ad hoc documentum) *ſuffitibus*, & *odoribus* conſpergi.

(*e*) Supple, *denarii*, quorum non rarò meminerunt allegandæ ſcriptiones. Dicebantur a loco, ideſt, a Papienſi civitate, qua cudi ſolerent, uti a proprio loco moneta vocabatur, cui aurei *Bizantii*, ſeu *Bizantæi*, ſolidi *Lucenſis*, groſſi *Turonenſis* &c. nomen, quod occurret ſæpè infra. Formam denarii *Papienſis* expreſſit in hiſtoria Gymnaſii Ticinenſis Antonius Gattus.

(*f*) Monetam hic intelligi declarat locus Romani Canonici dandus ſect. ſeq. §.16.

„ cium mundationis (*g*) paradiſi, & chryſmatis, & porti-
„ cus (*h*) clauſæ, & eccleſia condiatur. In die S. Paſchæ par
„ facularum ad veſperas, fer. 2. ſimiliter. Sabbato Sancto
„ debet condiri eccleſia, & par facularum ad miſſam, &
„ quatuor denarii Manſionariis. In letania majori, donec
„ crux vadit, & redit, totum altare ſit Clericorum, unde
„ debent habere piſces, fer. 3. panem, & vinum, ova, &
„ caſeum. In ſabbatho ſancto Pentecoſtes par facularum ad
„ miſſam, & unum denarium illis, qui *** flores jactant ſu-
„ per Dominum Papam, & eccleſia condiatur more ſolito.
„ In nativitate S. Johannis Baptiſtæ eccleſia principaliter
„ condiatur, & XII. denarii, una libra olibani, & unum ro-
„ tulum de cereis Græcis, & XVIII. denarii Cantoribus, & una
„ aquaricia olei ad fontes, & ſeptem paria facularum, &
„ unam libram pro pari, unum Acolythis, aliud Græcis,
„ aliud ante altare ad fontes, aliud verò ad miſſam. Quæ
„ omnia ſunt Clericorum, ſi Curia deeſt, & quatuor denarii
„ Man-

(*g*) Hoc eſt, atrii baſilicæ. *Paradiſus* enim atrium, ſive porticus quælibet dicebatur juxta Altaſerram in notat. ad vitas Anaſtaſianas, Doni præcipuè, & Gregorii IV. aliaſque. Roſweydus in notis ed epiſtolas S. Paulini num. 40. pag. 39. edit. Oper. ejuſdem Sancti an. 1685. illuſtrans epiſtolam 13. quæ eſt ad Pammachium to. 1. vult omnibus eccleſiarum porticibus hanc denominationem communicatam a porticu S. Petri ſic nuncupata. Quare *paradiſus* porticus S. Petri diceretur, cum aliis divinare videtur Turrigius cap. 18. hiſt. imaginis B. M. Monialium S. Sixti pag. 47. &c.

(*h*) *Clauſa* nil aliud, quàm *clauſura* (al. *clauſtrum*) quo vocabulo atrium interius conventus, ſeu monaſterii deſignari ſolebat. Legendum excerptum capitularis Caroli M. lib. 4. cap. 148. & vita S. Gemalberti cap. 2. num. 14. apud gloſſar. lat. Cangii. Extat adhuc Lateranis cœnobium cum ſua *clauſa*.

*** Conſuetudo *jactandi roſas* in eccleſiis feſto Pentecoſtes (quod in ſabbatho incipiebat) generalis erat olim apud Latinos, nec myſterio vacua. De illa (ut mittam plures) Guillel. Durandus lib. 6. rational. divin. off. cap. 117. Macrus in jerolex. ad voc. *Pentec.* Martenius cap. 28. tract. de eccl. Diſcipl. in celebr. divinis officiis num. 17. Illinc potiſſimùm denominatio Paſchatis *roſæ*, ſeu *roſarum* appicta feſto Pentecoſtes, quæ in ore vulgi durat adhuc. Quod etiam idem jactus, parque denominatio competeret præcedenti Dominicæ, tradit Grancolaſius to. 2. comment. in Brev. Rom. pag. 363. præfidenter inquiens: *A Rome on appelloit cette dimanche*: Dominica roſarum: *parceque on commencoit en ce jour a voir fleurir les roſes, & qu' on en iettoit dans l'egliſe, ou etoit la ſtation*. Sed an ſcitè, viderint Docti. Florum jactus Romæ nunc fit ſuper Sacerdotes auguſtiſſimum Sacramentum deferentes per vias infra octavas corporis Chriſti. At intra eccleſias nullibi, præterquam in Liberiana die feſto S. M. ad nives, quod tamen inſtituti recentioris eſt, & ob aliud myſterium inductum. Ceterùm ſpargere flores ſuper aliquem genus eſſe obſequii frequentatum etiam a gentibus colligit Gaſpar Barthius lib. 34. adverſarior. cap. 9. pag. 1562. ex lib. 2. Flori, 1. Herodiani, Euripidis Hecuba &c.

„ Manſionariis, & vinum ad potum ante vigiliam omnibus
„ Clericis Græcis, & Latinis. In vigilia S. Petri vinum ad po-
„ tum Clericis ante vigiliam. In vigilia S. Pauli ſimiliter. In
„ vigilia S. Pancratii, & Venantii MM. & Ruffinæ & Secun-
„ dæ ſimiliter. In aſſumptione B. M. eccleſia condiatur: &
„ vinum ante vigiliam Clericis, & ſex paria facularum, &
„ quatuor denarii Manſionariis. In vigilia S. Laurentii vinum
„ ante vigiliam. In decollatione S. Johannis eccleſia condia-
„ tur, & vinum ante vigiliam. In exaltatione S. Crucis ec-
„ cleſia condiatur, & par facularum ad miſſam, & quatuor
„ denarii Manſionariis, & vinum Clericis, & ab iſta feſtivi-
„ tate uſque in octavam S. Martini quotidie Manſionarii ha-
„ bent duo capita. In ſolemnitate Salvatoris eccleſia debet
„ condiri, & ſex paria facularum unum Cubiculariis, aliud
„ Acolythis, aliud ante altare, aliud in lectorio: aliud ad
„ miſſam, aliud clericis, & xii. denarii Clericis, & quatuor
„ Manſionariis, & una aquaricia vini ante vigiliam, & om-
„ nia reſidua facularum de nocte, & de miſſa ſunt Clerico-
„ rum, ſi Acolythi deſint. Per totum annum debet habere
„ eccleſia de medietate altaris, videlicet Epiſcoporum,
„ oleum quotidie ad xv. lampades, unam ad abſidam, ſeptem
„ ante altare, unam ante grandem imaginem ſuper columnas
„ æneas, quinque in ante, unam ante imaginem S. Mariæ,
„ quæ eſt ſuper horologium, & funes ad appendendum can-
„ delas, & tintinnabula ænea, & olibanum quotidie ad miſ-
„ ſam, & in nocte candelas ad lectiones, & pſalmos, & ac-
„ cendendas lampades, & quærendum eccleſiam ſufficienter:
„ & in omnibus ſtationibus, quando Dominus Papa deſcen-
„ dit celebrare miſſam, ſubminiſtratur de altari vinum ad
„ ſacrificium, & communicandum: & tum oblatio altaris
„ deſuper eſt Scholarum, & inferiùs Clericorum eccleſiæ.
„ Omnes cinctura tam altaris, quàm imaginum Clericorum
„ ſunt. Conſuetudo etiam eſt Clericorum, ut, quando cu-
„ ram faciunt altaris, ſecundùm tempus procurentur; &
„ inde accipiant denarium unum papienſem. Pro abluendis
„ quoque, & reſarciendis formis, & cortinis eccleſiæ, clavi-
„ bus, & oſtiis precium datur de altari de medietate Epiſco-
„ porum. Omnes lampades, & baciles Canonicorum ſunt:
„ omnes oblationes, quæ veniunt ad manus Epiſcopi hebdo-
„ madarii altaris majoris, medietas eſt ipſius Epiſcopi: me-

„ die-

„ dictas eſt Canonicorum. In die natali Domini de medie-
„ tate Epiſcoporum duas laumas (l. *ſaumas*) de merlis (*i*)
„ pro eccleſia, & ſimiliter in Reſurrectione, natali S. Johan-
„ nis Baptiſtæ, & feſto Salvatoris.

XI. Specialis portio oblatorum Lateranenſiũ erat Cantorum R. E.

Hactenus antiquum Breve apud Mabillonium; aliàs vulgatum pridem (magna ſaltem ex parte) per Card. Raſponum lib. 2. hiſtor. Patriarchii Lateranen. cap. 4. Sed & ab utroque publicatam habemus minoris quidem antiquitatis notæ chartam, idoneam tamen illuſtrando uſui oblationum principis illius eccleſiæ. Eſt autem, ut ſequitur cit. loco operis Mabilloniani pag. 220.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

„ Anno MCCXXXII. indict. V. conventio talis facta eſt in-
„ ter Lateranenſem eccleſiam, & Primicerium, & ſcholam
„ Cantorum, quod ipſe in feſto S. Johannis Baptiſtæ cum de-
„ cem Cantoribus veniat, ita quod ipſe ſit XI. & officiabunt
„ eccleſiam in vigilia matutinis, & miſſa, & procurabuntur
„ ipſi, & duo eorum ſervientes decenter, & honeſtè in illis
„ cibariis, quibus Conventui ſervietur in ipſa die: & pro ſua
„ mercede recipient ſextam partem oblationum majoris al-
„ taris dumtaxat in ſpatio, quo miſſa celebratur, ſuper il-
„ lud cadentium. Inſuper ipſe Primicerius recipiet ab eccleſia
„ duos ſolidos proviſinorum Senatus pro mercede, & unuſ-
„ quiſque Canonicorum (l. *Cantorum* cum Raſpono) XII. de-
„ narios, computatis in præſenti ſumma denariis illis, qui
„ dantur Cantoribus pro reſponſoriis. Hoc autem utraque
„ pars obſervare tenetur in omnibus illis feſtis, quæ Latera-
„ nenſis eccleſia voluerit prædicto ordine celebrare, & ad ea
„ Primicerium cum Schola duxerit invitandos. Sed in omni-
„ bus ſtationibus Lateranenſis eccleſiæ Primicerius, & Scho-
„ la etiam non invitati venire debeant ad ſerviendum in offi-
„ cio miſſæ tantùm, pro ſua mercede nihil aliud percepturi,
„ niſi ſextam partem oblationis majoris altaris.

XII. Ex oblatis Romanis pauperes participaſſe.

Geſta Innocentii III. apud Baluzium to. 1. ejus epiſtolar. pag. 88. num. 143. apertiſſimè tradunt, oblationum partem in Romana Eccleſia fuiſſe pauperibus erogatam. *Univerſales oblationes provenientes ad pedes* (Papæ) *ſecundùm antiquam conſue-*

tu-

(*i*) Fortè, *ſaumas de mortellis*. Quid verò per hoc, inferiùs inveſtigabitur.

tudinem accipiebat Eleemoſynarius erogandas. Mox circuibat, & inveſtigabat Eleemoſynarius ejus pauperes, ac debiles maximè nobiles, dabatque illis ſigilla, ut per eos, qui ipſa referrent, ſingulis hebdomadibus reciperent ad victum. Verba anonymi biographi.

SECTIO IV.

§. I. Diſcutiēdæ conſuetudines Vaticanæ. De muneribus tranſmiſſis ad baſilicam S. Petri.

EN documenta ad oſtendendum, qualis eſſet Romanæ Eccleſiæ diſciplina vel ſub ipſis ſequioribus, ſeu minùs antiquis ſeculis, apta ſatis. Aptiora ſuccurrent, ſi per hiſtoriam Vaticanarum conſuetudinum, quo de fonte nihil hucuſque hauſimus, paullò latiùs exſpatiemur. Atque illico per eam inſtruimur, nullum (præter baſilicam S. Petri) e tot ſacerrimis locis verè fuiſſe Romæ, quo ſplendidiora, ac numeroſiora cumulari cœperint munera, ubi rebus eccleſiæ libertas conceſſa eſt. An ullus ignorat, quot, qualiaque ab ipſis abſentibus magnis Principibus, aliiſque tranſmitti conſueverint? Liceat curſim aliqua rememorare. Hormiſda Pontifice, Chlodoveus Rex Francorum inſigne donum tranſmiſit, multa Juſtinus Auguſtus. V. librum Pontificalem ad num. 85. & 86. Juſtinianus (quod eſt num. 93.) Romam regente Johanne V. nec non Michael Orientis Imperatores (ut notatur num. 574. & 585.) ſub Benedicto III. & Nicolao I. ſicuti etiam Rex Bulgarorum par obſequium ampliſſimè præſtiterunt. Lege pariter num. 608. Oblationes plures legavit S. Petro Carolus Magnus, teſte charta diviſionis theſaurorum ejus apud tomum 1. capitularium Francor. Baluzii pag. 489. Munera piiſſimi Anglorum Regis Oſuvi meminit epiſtola Vitaliani Papæ tom. 8. annal. Baronii ad annum 665. & munera Ludovici Imperatoris ipſe Cardinalis eminentiſſimus ad annum 863. to. 10. De oblationibus Anglorum per manus peregrinantium illatis loquitur Beda ſub fine libri de 6. ætatibus. Huc etiam ſpectant collectæ per varias provincias pecuniæ, nomine inſignitæ *denariorum S. Petri*, quod reverentiæ genus ſingulariùs exhibebatur ab Anglis, vel præcipuis cuſis nummis, quorum formam, ac lemmata uſum illorum exprimentia videſis tabula 9. operis de numiſmatis Anglo-ſaxonicis Andreæ Fountaine vulgati ad calcem tomi 3. theſauri linguar. Septemtrional. Georgii Heckeſii. Huc pariter ſpectant tributa, quæ pende-

bantur a pleriſque Regibus feudali obſequio. Tributa ex regnis Anglico, Danico, Hiſpanico, Hungarico, Dalmatico, Sardinienſi, Francico, & Saxonico Sedi Apoſtolicæ, ſeu B. Petro quondam debita regeſtum innuit epiſtolarum S. Gregorii VII.

II. Oblata S. Petro a magnatibus Romæ degentibus.

Romæ commorantes viri Principes haud minùs in Petrum munifici. Belliſarium, Africano bello feliciter confecto, varia obtuliſſe de ſpoliis hoſtilibus, eccleſiam gubernante Vigilio, narrat liber Pontificalis n. 102. Conſtantinus Imp. Vitaliani PP. tempore Urbem adiit, ac perrexit *ipſa die* (verba cit. libri num. 135.) *ad S. Petrum ad orationem, & donum obtulit... Alio die proceſſit ad S. Petrum cum exercitu ſuo, & obtulit ſuper altare illius pallium auro textile*. De donis Carolomanni Caroli Francorum Regis filii, necnon illuſtris Saxonum Principis, illatis ſub regimine Zachariæ, & Benedicti III. Pontificum ſermo eſt ibidem num. 221. & 575. Charta donationis terrarum factæ a Pippino per ejus Legatum Fulradum unà cum clavibus Urbium quamplurium oblata fuit Confeſſioni B. Petri juxta notata in vita Stephani III. num. 254. Super eamdem Confeſſionem collocavit pariter magnus Carolus ſuæ donationis chartam, adſtante Adriano Papa ſecundùm deſcripta num. 319. Imò Carolus, poſtquam Leonis III. manu coronam accepit Imperii, filio in Regem proclamato, *die natalis Domini miſſa peracta, poſt celebrationem miſſarum obtulit menſam argenteam cum pedibus ſuis*. Sic idem liber pontificalis num. 376. Subſequente verò: *Et in Confeſſione ejuſdem Dei Apoſtoli obtulit una cum præcellentiſſimo filio ſuo Rege, & filiabus, diverſa vaſa in auro puriſſimo in miniſterio ipſius menſæ pens... lib. Sed & coronam auream*. Memorantur inde alia dona, ac poſtea: *Obtulit ſuper ſacratiſſimum altare B. Petri Apoſtoli... menſam argenteam*. Alia mitto exempla, quæ aut nota, aut levi opera quæri poterunt in cit. libro pontificali, annalib. Baronii, hiſtoria Fleuriana &c.

III. De oblatis aliorum fidelium.

Turba reliqua fidelium in conferendis pro modulo virium religioſis donis ad celeberrimam baſilicam valde quoque fervida apparuit uſque ad extremam ætatem. Generatim antiquæ copiæ oblationum Vaticanarum fidem facit Leo IX. in exordio Conſtituti mox (1) exhibendi. Pecunia oblata ad plura aureorum millia aſcendiſſe ajunt Joh. Severanus pag. 171. libri de 7. Urbis eccleſiis, & Chiapponus in diſſerta-

(1) §. 10.

tatione *de oblationibus* pag. 258. voluminis actor. Canonizationis &c. col. 2. Quod (2) illuſtre documentum allegandum ſeq. Parte ſtrenuè confirmat. Odo Cluniacenſis Abbas in vita S. Giraldi Comitis Aurelianenſis ait cap. 17. lib. 2. eumdem ſæpè peregrinantem ad Urbem appenſos ad collum ſemper tuliſſe ſolidos BB. Petro, & Paullo offerendos. Pauperiores peregrini utplurimum apportabant candelas. At ex dicendis conſtabit, præter candelas, ceramve, illata paſſim oleum, vaſa, indumenta ſacra, aliaque diverſiſſimarum ſpecierum, quæ perbellè ſubmonent, quanta foret in offerendo ad Petri baſilicam devotio, frequentiaque. Nicolaus III. meminit *obvenientes oblationes altaris majoris* (Vaticani) *& omnium aliorum in filiis, candelis, thure, ſaculis, & tortiis* in conſtitutione jam (3) allegata.

(2) *Sect.* 9. §. 9.

(3) *Prol. ſect.* 1. §. 12.

IV. Quo tempore illa darentur, & quibus.

Munera ejuſmodi importabantur aliquando tempore ſacræ ſynaxeos: aliquando extra illud ad majus altare, ſive apoſtolicam Confeſſionem, ad cathedram B. Petri, ad pedes Pontificis, ac ad manus ceterorum quoque ibi celebrantium, aliorumque adſtantium, ad arcam, ad manus miniſtrorum per minora altaria conſtitutorum, a quibus oblata iiſdem locis *miniſteria* fortaſſis dicta. Quæ omnia producendi textus diſtinctè demonſtrabunt. Hìc equidem adverto, miniſtris illis oblata excipientibus annumerandum præcipuè, qui *Cuſtos* vocabatur perantiqua ætate. De Cuſtode oblationum apud Eccleſiam Romanam revidendus locus Ordinis ſupra(4) deſcriptus. Sed ſpeciatim vaticanos *Cuſtodes* commemorat diploma Johannis PP. referendum (5) infra, quos etiam *noſtros* dicit Pontifex, veluti, opinor, miniſtros ſuæ eccleſiæ cathedralis.

(4) *Sect.* 1. §. 5.

(5) *Sect.* 7. §. 1.

V. Indignorum oblata S. Petro non recipiebantur.

Quinam verò hi Cuſtodes? An Manſionarii, an Sacriſtæ, an Oblationarii appellati in Ordinibus Romanis, an præceſſores eorum, quibus *Altariſtæ* nunc nomen? An, qui & modò pari vocabulo *Cuſtodes* appellati, laici nunc, olim fortaſſe Clerici? Quicumque fuerint, manu excipientes oblata fidelium cavere tenebantur, ne certò indigni munera conferre auderent. Utique S. Athanaſius tradit in epiſtola ad ſolitarios objurgatum vehementer Cuſtodem vaticanum a Liberio Pontifice, quòd munus Euſebii Ariani, eunuchi Conſtantii Cæſaris, non rejeciſſet. Aliorum quoque indignorum rejecta oblata non dubito, ubi recordor ſanctæ ſeveritatis

Digitized by Google

Adriani Papæ, per quem plura tranſmiſſa dona a Carolo Calvo eccleſiæ contumace enarrat Baronius (tom. 9. annal. ad an. 869.) fuiſſe repulſa.

VI. Pars oblatorum ad S. Petrum, uſui fabricæ addicta.

Sed quinam uſus eorum, quæ minimè repellerentur? Neſcio, an remotiori ætate præcipuum aliquid oblationum Vaticanarum reſervatum quotannis fuerit in reparationem templi conſummandum. Quod me non fugit, Maphejus Veggius ita loquitur libro 3. num. 101. operis de rebus memorab. baſilicæ B. Petri apud to. 7. Junii Patrum Bollandianorum, ut id factum facili conjectes. Ait autem: *Reſtaurandæ* (baſilicæ S. Petri) *cùm quid dirutum eſſet, neceſſariam ſibi curam ſingulari quadam obligatione* (Romani Pontifices) *indixerunt. Quo factum puto, ut Calixtus PP.* (II.) *cum Conſtitutionem faceret interdicens laicis, ne auferrent oblationes, quæ altaribus baſilicarum Urbis obveniſſent, primam B. Petri baſilicam denominans ceteris antepoſuerit.* Leo quidem IX. & Innocentius III. fabricæ aſſignarunt portionem infra (6) opportuniùs memorandam. Petrus Mallius (atteſtantibus excerptis per Mabillonium vulgatis poſt Ordinem 11. pag. 162. to. 2. muſei) cap. 38. hæc tradidit: *In reſarciendo tecta, & mutandis trabibus dantur duo denarii papienſes unicuique magiſtrorum, & manualium in unoquoque die, donec opus compleatur. Quando* (a) *ſandialiarii capiunt trabes, duos ſolidos papienſium, & quatuor libras ceræ.* Quæ de oblatis accepta ambiget nullus, qui ejus opus tranſcurrerit.

(6) §. 10. & 11.

VII. Alia in ſacros uſus. Loci Romani Canonici, & Petri Mallii.

Pro aliis baſilicæ venerabilibus uſibus non levis erat quoque pars oblationum deputata. Oblatum in ſpecie, quod ſupplere poſſet neceſſitatibus eccleſiæ, in ſuum convertebatur uſum. Romanus Canonicus (ſive is ſit idem ac Petrus Mallius Mabillonianus, ita cenſentibus Bollandiſtis cit. to. 7. Junii cum V.Cl. Juſto Fontanino ibidem pag. 35. col. 1. num. 2. præfationis ad opus Manlii, & Bonanno pag. 5. deſcriptionis &c. ſive alius, quod fortaſſe veroſimilius, ita ſuadente in aliquibus haud occulta ſcriptionum diverſitate, & authoritate Ven. Thomaſii utrumque veluti diverſum uno eodemque momento allegantis, uti ex locis inferiùs (7) indicandis) Romanus, inquam, Canonicus in opere de baſilica S. Petri, ejuſ-

(7) Sect. 5. §. 12.

(a) Quinam *Sandialiarii*? Ignoro. Romæ quondam extaſſe ſcio *vicum Sandalariorum* nuncupatum. V. to. 3. antiquit. Romanar. Bernardi de Montfaucon lib. 2. cap. 17. §. 4. pag. 85.

Digitized by Google

ejuſque conſuetudinibus compacto ſeculo XII. plura fert de oblatis in ſacros uſus converſis. *Canonici baſilicæ S. Petri* (ſic infit num. 42. pag. 134. ubi *de conſuetudine majoris hebdomadæ) accipiunt decem libras ceræ pro facula de ſabbatho ſancto: & tres de balſamo ad pondus: & tres ampullas majores, & tres minores, & tres fanones, & oleum pro chryſmate*. Numero 3. pag. 5. & 6. vigilata pallia meminerat, *acceptis de altari faculis, & cereis ad legendas lectiones, & orationes vigiliarum, nec non incenſo*. Ita ex editione operis, Paullo de Angelis curante, & ex pagina 441. codicis reſponſorialis, & antiphonalis Thomaſiani, quo & illud fragmentum refertur. *In unaquaque ſtatione* (iterum Romanus num. 41. pag. 132.) *unum par facularum de duabus libris ad veſperas, & ad matutinas, & candelas pro lectionibus; & ad miſſam ſimiliter unum par facularum*. Supracitata excerpta Petri Mallii (pag. 159. tom. 2. muſei) cap. 30. habent: *In memoriam poſterorum ſcribimus nos Canonici baſilicæ S. Petri, in quibus noctibus lectorium ipſius baſilicæ de conſuetudine ornatur mappula, & facula librarum duarum a Confeſſione traditis, videlicet, Dominica de gaudete, nativitas Domini, epiphania Domini, Dominica ſeptuageſimæ, Dominica* (b) *de carne levario, cathedra B. Petri. In dedicatione altaris facta* (c) *a Papa Calliſto* (II.) *Dominica de paſſione Domini, Dominica palmarum, fer. 4. poſt palmas, in cœna Domini, Paraſceve, Sabbato ſancto, Paſcha, feria 2. poſt Paſcha, Dominica de paſtor bonus, in aſcenſione Domini, Pentecoſten, feſtum S. Petri, octava ejuſdem, in aſſumptione B. Mariæ, in letaniis majoribus, in dedicatione baſilicarum Petri, & Pauli, in feſto omnium Sanctorum*. Hæc Mallius, qui commemorans oblata ad cathedram S. Petri ait: *Candelæ ſex, quæ accenduntur, ponuntur in choro de oblationibus cathedræ*. Vide Turrigium de cryptis Vaticanis edit. 2. pag. 556. in addendis ad pag. 151.

Candelas ex oblatis deſumptas in uſum uniuſcujuſque ſta- VIII. De ſtationibus ad S. Petrum.

(*b*) Aliàs Dominica *carnisprivii*, ut apud Matthæjum Pariſium in hiſtoria Anglor. & alios: vel de *carne levamen*, ſicut fert charta anni 1195. apud Ferdin. Ughellum to. 7. Ital. ſac. ſecundùm annotata Patrum Bollandian. ad mox cit. hiſtoriam Manlii: vel *Quinquageſimæ*, uti communiter dicitur. Num hìnc *il carnevale*, quo vocabulo ab Italis tempus huic Dominicæ cohærens appellatur?

(*c*) Feſtum hujus dedicationis celebrabatur in S. Petri 8. kal. Aprilis juxta teſtimonium veteris Kalendarii vulgati in fronte antiphonarii ejuſdem eccleſiæ apud codicem antiph. & reſponſor. cit. Thomaſii. De illo agit idem Cardinalis pag. 3. ſcholior. quæ addidit calci operis.

Digitized by Google

ſtationis baſilicæ, refert locus extremus Romani Canonici. Quotuplex verò, & quæ fuerit ejuſmodi ſollemnitas, idem referat num. 53. & ſeq. pag. 152. *Hæ ſunt*, inquit, *nocturnales ſtationes S. Petri. Dominica de gaudete, Epiphania, aſcenſio Domini, Pentecoſtes, feſtivitas S. Petri, & octava ejus, feſtivitas S. Andreæ ... Diurnæ ſtationes. In omnibus ſabbathis quatuor Temporum, in Dominica de quinquageſima, Dominica de paſſione, feria 2. poſt Paſcha, Dominica ego ſum paſtor bonus, in litaniis majoribus, in dedicatione baſilicarum Petri, & Pauli, in Cathedra*. Erat quoque ſtatio antiquiori ætate ad S.Petrum die natalis Domini. *In miſſa* (III) *diei antiquitùs: ſcilicet uſque ad tempora Gregorii VII. PP. fuit ſtatio ad S.Petrum*, ait Mallius Bollandianus cap. 7. num. 51. pag. 140. col. 2. cit. to. 7. Junii &c. Quo autem ritu nocturnales ſtationes celebrarentur, ediſſerunt antiphonarii Vaticani paginæ 22. & 23. apud laudatum volumen Thomaſianum antiphonalis &c. R. E. ubi exhibetur rubrica agendorum ad ſtationem Dominicæ *de Gaudete*. Diurnarum ritum non difficulter deprehendet lector ex decerpendis vellicatim antiquorum Ordinum textibus.

IX. Adhibenda in miſſis papalibus parabantur ad S.Petrum ex oblatis.

Pontifex utplurimum celebrabat in his ſtationibus, aut alium ad id agendum ſubrogabat. Quicquid verò ad officium, uſumque tum altaris, tum miniſtrorum, tum ipſius Pontificis celebraturi pertinebat, comparabatur ex oblatis. Laudatus Canonicus Romanus num. 51. pag. 131. & Mallius Mabillonii (pag. 162. to. 2. muſei) cap. 38. tamquam ad hæc parata innuerunt *planetas, camiſos* (d) *dalmaticas, tunicas, amictus, ſtolas, manipulos, cingulos, crucem, thuribulum, annulum* (e) *aureum, qui ſit aptus ad cantandum miſſam, libros, & alia vaſa, quæ ad officium altaris ſpectant, candelabra, thualias friſatas verò, vel parvas, vel magnas*, ſeu (ut habet Mallius Mabillonianus) *tualias friſatas & opertas, quæ totum altare colligant, ſive friſio tantùm friſatas non parvas, vel magnas*.

X. Conſtitutum Leonis IX. circa oblationes Vaticanas.

Uſque huc annotata (modica licèt) perpetuò addicta exiſtimo deſcriptis uſibus. Aliàs multo plura quiſque Pontifex per decurſum ſui regiminis iiſdem applicabat. Obſequium in Petrum, & liberalitas cuique modus, & regula erat. Audi liberalitatis S. Leonis IX. documentum inſigne. *Bea-*

(d) Deſunt *dalmaticæ* in Mallio Mabillonii.

(e) Et *annulus* ibidem deeſt.

Digitized by Google

Beate Petre Apoſtole, ego Leo(ſic Decretum, ſeu Conſtitutum apud Severanum de 7. Urbis eccleſiis pag. 117. &c.) *Epiſcopus ſervus tuus, & omnium ſervorum Dei de tuis donis* * *aliquam tibi offero particulam, quam mihi fuit viſum dignum, & juſtum curis, quibus circumdor, auferre, & tibi offerre quaſi meam, quum ſit tua. Quicquid enim eſt, quod in noſtris juribus ſit, licèt ſit parum ad conferentiam præteritorum, quæ noſtri anteceſſores habuerunt, id tamen, quantumcumque ſit, dignum tecum judicavi ſortiendum. Ecce enim de oblationibus fidelium, quæ offeruntur in altari tuo, ſub quo ſacrum, & venerabile corpus tuum requieſcit, & etiam in Confeſſione ipſius altaris decimam partem tibi, quamvis tuum totum ſit, humili devotione, & tota cordis proteſtatione offerimus: videlicet ad conſtructionem, & reſarcitionem ipſius ſacri templi in ædificandis parietibus, picturis, tignis, tectis, imbricibus, & præterea luminarium concinnationibus aſſiduis olei, & ceræ, necnon lampadibus vitreis, &* (f) *acindulis, atque thymiamate, ceteriſque omnibus utenſilibus, quæ ad uſum, & neceſſitatem, atque decorem totius ipſius eccleſiæ pertinent. Decimam verò ipſam volumus eſſe decimam diem, ut oblatio, quæ tibi debetur, ſeparata ſit a ceteris oblationibus, & nullum aliqua confuſione patiatur errorem. Super hoc etiam ſiqua vaſa, ſiqua ornamenta, vel indumenta eccleſiaſtica ſuper ipſum ſacrum, & venerabile altare tuum oblata fuerint, conferimus ea omnia ipſi tuæ eccleſiæ, ibi præſertim permanſura in uſum, & ſalarium* (g) *Deo, & illic tibi ſervientium, & ſerviturorum. Addendum quoque credimus illud oblationis munus, ut quidquid ſcilicet per fideles ad ipſum tuum altare, & ad ipſam Confeſſionem offertur in vigiliis ſancti natalis tui, & in ipſa tui natalis die, B. Petre Apoſtole, totum ſit ſpeciale tuum pro luminaribus, & ceteris diverſis neceſſitatibus ad ipſa tua ſollemnia agenda pertinentibus. Nec illud prætermittendum cenſuimus, ut, quotieſcumque de quibuſcumque regnis, vel oris tributa ad altare tuum offeruntur, ſive ad Apoſtolici pedes ponuntur, ſive quovis modo apoſtolicæ Sedi perſolvuntur, decima pars*

---

* Anno 1727. clariſs. Archiepiſcopus Ancyranus Juſtus Fontaninus divulgavit opuſculum ſub tit. *Diſcus argenteus votivus veterum chriſtianor. Peruſiæ repertus, & commentario illuſtratus &c.* quo multa de formula, *de tuis donis &c.* quin & uſu fidelium offerendi, præcipuè ad S. Petrum &c.

(f) Fortè *cicindelis*, de quibus infra.

(g) Quid propriè *ſalarium* ex Ictis colligemus infra P. 2. ſect. 4. §. 3.

pars ſemper tibi, Petre Apoſtole, debeatur ad reformationem eccleſiæ tuæ, & cetera, quæ ſuperiùs diximus.

XI. Eædem quibus uſibus addictæ ſub Innocentio III.

De Innocentio III. ita ſcribit Turrigius, conſultis veterum chartis: *Nella vita manoſcritta di detto Pontefice ſi hà, che ſubito eletto aſſegnò tutte le oblazioni fatte a queſta baſilica* (S. Petri) *per i lumi, e tetto di lei, e per limoſine &c.* V. cit. opus de cryptis Vaticanis.

XII. De oblatis Vaticanis participabant pauperes.

Habes & hìc egenos de oblatis S. Petro participes, & quidem largiſſimè. Hoc tamen temporarium fuit, & intelligendum de parte oblatorum, quæ Pontifici Innocentio reſervata erant prædeceſſorum more. Diſertè enim notat geſtorum ejus anonymus deſcriptor, deputaſſe illum *ab initio promotionis ſuæ ad eleemoſynas omnes proventus de oblationibus baſilicæ S. Petri*; ſed addit, *ad ſe pertinentes*. Ceterùm cuicumque Pontifici quotannis olim concedebatur ex oblatis Vaticanis mixta cum univerſa ejus portione ſumma quædam denariorum, quæ ſpeciatim in eleemoſynas erogaretur. De his inferiùs (8).

(8) *Sect. 8. §. 6. & 11. in not. h.*

XIII. Ubi etiam ſententiales Præfecti Urbis.

Apud Romanum Canonicum Paulli de Angelis cit. n. 43. legitur: *Sorrentialibus Præfecti, ſi ſuſpendunt aliquem, quinque ſolidi: quando decollant, ſimiliter: quando cœcant*, XII. *denarii pro unoquoque oculo: quando truncant aliquod membrum, ſimiliter*. Continuatores Bollandi *ſententiales* legunt pro *ſorrentialibus* in textu Manlii, ſicuti etiam fragmenta Mabilloniana, & ſanè meliùs. Nam *ſententiales* non incommodè perſpicimus fuiſſe vel qui *ſeutentias* pronunciaſſent, vel qui *per ſeutentias* decretam pœnam exequutioni mandarent. Du-cangius in appendice ad gloſſarium Latinum verbulum *ſententialiter* interpretatur: *quaſi per ſententiam, vel judicium*. En igitur alium (mirum oppidò) uſum oblatorum S. Petro.

XIV. Quæ connexio illorum cum baſilica Vaticana.

Unde autem hoc privilegium *ſententialibus* Præfecti? Quid cum baſilica Vaticana Præfectus Urbis, ejuſque miniſtri? Id planum apertumque videtur non ignorantibus, quanta polleret authoritate Præfectus, quot uſurpaſſet jura ſuper tractum Portuenſem, ac ſuper civitatem Leoninam, ejus quondam partem. Conſulantur opuſculum Felicis Contelorii de Præfecto, & acta Concilii Lateranenſis III. Fanda, atque infanda per ea loca agebant illius illuſtris magiſtratus miniſtri. Sit documento prava conſuetudo perva-

vadendi bona *porticanorum* (h) *habitatorum ſine hæredibus morientium* canone 12. dicti Concilii damnata, ac penitus extincta per diploma Calliſti II. quod meminit laudatus Contelorius cit. opuſculi cap. 4. num. 43. nos verò in gratiam ſtudioſorum eccleſiaſticæ antiquitatis proferemus integrum in calce univerſi Operis, ſeu Appendice III. unà cum alia etiam vetuſtiori charta *porticanum* habitatorem commemorante. Vide documentum I. & II. dictæ Appendicis. Hinc nil mirum, quod ſibi partem oblatorum ad baſilicam inibi extructam nonnulli etiam viles Præfecti miniſtri vindicaverint.

B. Petro *ſervientes*, & *ſervituros* donavit uſu plerorumque oblatorum, ut vidimus in Conſtituto præallegato, Leo IX. Eos verò exiſtima non cujuſvis generis ſervientes, ſed miniſterio altaris, eccleſiæque functionibus famulantes, quales Diaconi, Subdiaconi, Manſionarii, aliique Clerici. Sub denominatione *ſervientium* hos potiſſimùm latere credo, quos participaſſe quidpiam infra annum locus Romani Canonici deſcribendus, quando (9) agetur de oblatis conceſſis Epiſcopo Portuenſi, generatim edicit.

XV. Servientes baſilicæ Clerici aliquid accipiebãt ex oblatis.

(9) *Sect.* 7. §. 3.

Illud certius, Manſionarios, ceteroſque mox enunciatos Clericos ſpeciali & expreſſa voce appellari veluti participantes illatorum ad Vaticanum apud eumdem Canonicum. *In ſtationibus* (ſic idem num. 42. pag. 134.) *quando portant Manſionarii crucem, unus denarius papienſis*. Sequenti pagina num. 43. *Ille, cujus eſt hebdomada* (quid hæc hebdomada diſquiretur (10) infra) *priori loco dabat tria capita; ideſt, tres monetas de communi Manſionariis, qui ſerviunt ad altare, deinde pro quantitate oblationis tribuit Diaconis, & Subdiaconis, & illis, qui ſerviunt de pluviali*.

XVI. Præcipuè Manſionarii, & miniſtri altaris.

(10) *Sect. ſeq.* §. 5. & 6.

Dubitavi quandoque, num inter *ſervientes* antiquiores baſilicæ Vaticanæ computaverit Romanus, aut comprehenderit nuncupatione *Manſionariorum*, quos nunc Beneficiatos, & Clericos S. Petri vocamus. Haud ſum neſcius, alicubi etiamnum Beneficiati, & Manſionarii nomen minimè differre. Aliter judicandum tamen de Vaticanis ſenſi, quum vel ſo-

XVII. Ceteris largiùs Canonici.

G

(b) *Vocula, porticanus,* plurium Eruditorum vexavit ingenium, ut patet ex jerolexico Macri. Ciampinus, Suareſius, Galeſius, aliique ſuas ibi promunt interpretamenta, quæ tamen extra orbitam nonnumquam volvuntur. Qui circa longas *porticus* S. Petri poſitas domos incolebat, *porticanus* dicebatur habitator, aut ſimpliciter *a porticu* S. Petri, quod ex documentis hic citatis manifeſtum fiet.

ſola baſilicæ conſtitutionum anno 1697. impreſſa capitula perlegi. Affirmant enim pag. 34. *inſtitutionem, ſeu plantationem* eorum *primam, & antiquiorem factam* fuiſſe a *Nicolao* III. Quare neque illi veteres Manſionarii, neque propterea inter participantes de oblatis antiquiores numerandi. De Canonicis non ita. E ſervientibus aſſiduè B. Petro proximiores, & nobiliores reputabantur meritò. Debita ergo iiſdem portio oblationum ceterorum ſervientium portionibus amplior. Quod verè contigiſſe collige ex recenſendis ſectione ſequenti.

SECTIO V.

§. I. Quid ex oblatis baſilicæ Vatic. conceſſerit Canonicis Innocentius II.

INNOCENTIUS II. Canonicis conceſſit medietatem oblationum, quæ importarentur ad varia eccleſiæ ſacella. *Condidit* (Romanus inquit num. 54. pag. 153.) *quoque* (Innocentius II.) *privilegium, in quo conceſſit Canonicis baſilicæ S. Petri medietatem omnium* (a) *miniſteriorum omnium altarium, quæ ſunt in eccleſia S. Petri, & S. Mariæ* (b) *in Turri, præter altare S. Leonis IX. Papæ*. Fortè hoc privilegio, quod extare adhuc in archivo Canonicorum monet Turrigius de cryptis pag. 115. 2. editionis, ſolatus eſt Innocentius plurima paſſos nobiliſſimi templi miniſtros per ſævitiem, ac rapacitatem Pſeudo-pontificis Anacleti, de quibus Baronius ad annum 1130.

II. Et Eugenius III.

Ut ut fuit, Innocentianam conceſſionem nequaquam perpetuam reor, attento promulgato poſtmodum Eugenii III. privilegio, quo pars quarta tantùm miniſteriorum, ſeu altarium prædictorum Canonicis aſſignatur. Sed addidit Eugenius, unde reliquæ parti ſuppleretur. Nempè conceſſit partem ſimiliter quartam illatorum ad aram majorem, & arcam. *Æquitatis, & juſtitiæ* (verba literarum *Bernardo presbytero S. Clementis, & eccleſiæ S. Petri Archipresbytero, ac* ce-

(a) Scil. oblatorum ad manus miniſtrantium per eadem altaria, uti conjecimus ſect. præced. §. 4. *Miniſteriorum* horumce mentio occurret rurſum §. ſeq. & 3.

(b) Sacram hanc ædem baſilicæ Vaticanæ cappellam Ceremoniale R. E. lib. 1. cap. 3. de *ingreſſu Imperator. in Urbem* locat *extra eccleſiam* (S. Petri) *in primo porticu ſub turri campanaria*. De ea crebrò Romæ ſacræ deſcriptores, quorum ſummam paucis exhibet Ven. Thomaſius: *Oratorium erat a Paulo I. ædificatum vocatum S. M. inter turres, aut in turribus, aut in atrio. Extabat in atrio S. Petri inter turrim campanariam, alteramque turrim dictam S. Juſtini ob proximam ejuſdem Sancti eccleſiam*, ait in ſcholiis ad ll. reſponſorial. & antiphonal. Rom. Eccl. pag. 139.

ceteris ejuſdem eccleſiæ Canonicis tam præſentibus, quàm futuris directarum) *perſuadet ratio, ut nos, qui, licèt indigni, Chriſti vices in terris gerimus, & in Apoſtolorum Principis cathedra reſidere conſpicimur, domeſticam B. Petri familiam paterno diligamus affectu, & pia in eam proviſione ſuis neceſſitatibus adjuvemus. Hujus itaque rationis debito provocati, dilecti in Domino filii, quartam partem omnium oblationum, quæ de altari ejuſdem B. Apoſtoli tàm de arca, quàm de omnibus miniſteriis ipſius eccleſiæ, præterquam de miniſterio B. Leonis, proveniunt ... vobis concedimus, & confirmamus. Ita videlicet, ut ſemper, quum volueritis, facultatem liberam habeatis eamdem oblationem in veſtris manibus retinendi, atque cuſtodiendi, ſeu aliis, quibus volueritis, cum noſtro, atque noſtrorum ſucceſſorum conſenſu vendendi, ſalva in omnibus aliis, & retenta in noſtris, & noſtrorum ſucceſſorum manibus ipſius eccleſiæ libera diſpoſitione, atque cuſtodia. Hoc autem ideo facere dignum duximus, quòd vos die, ac nocte ſtudioſè in Dei laudibus deſervientes tam in miſſarum celebratione, quàm in matutinis, & aliis horis pro vivorum, ac defunctorum ſalute attenta diligentia, & honeſtè decantandis prædictam B. Petri eccleſiam obſequio debito veneremini, & Dei fideles Apoſtolorum limina viſitantes locum ipſum in majori devotione ſemper habeant.* Vide reliqua apud Baronium ad annum 1153.

III. Necnon Innocentius III.

Tertius Innocentius aut confirmavit, aut iterum concedendum duxit evaneſcens fortaſſis paullatim conceſſum ab Eugenio beneficium, cujus etiam uſum definivit, datis itidem literis ad Archipresbyterum, & Canonicos IV. idus Januarii pontificatus anno quarto. *Statutum eſt* (hæc illæ baſilicæ conſtitutiones, *ſuggerentibus* Canonicis, *in præſentia* ipſius Innocentii confectas authoritate apoſtolica munientes) *ut de oblationibus, quæ proveniunt ex quarta parte miniſteriorum, quam nos pietatis ſtudio vobis duximus concedendam ſinguli Canonici, qui ad matutinas ſurrexerint, accipiant per manus* (c) *Obedientialium, qui ad hoc fuerint inſtituti, duos denarios ſingulis noctibus, unum ad miſſam, & ad veſperas unum. Qui verò ad ſextam non venerint, ſi fuerint præſentes, ſubtrahatur eis panis in-*

(c) Officiales, qui nunc vel *Punctatores* paſſim, vel *Camerarii* vocantur, olim *Obedientiales* dicti, quaſi ex obedientia (opinor) ad officium diſtributorum quotidianarum erogationum deſtinati. Abſolutè *Obedientialem* interpretantur *diſtributorem chori* fratres Macri ad lit. B. jerolexici.

prandio, & qui ad nonam non venerint, negetur eis panis in cœna. Tertia quippe poſt matutinalem * *miſſam decantetur*. Adduntur alia, quibus jungitur: *Illi, qui non intraverint chorum in matutinis, & veſperis, ſexta quoque, & nona uſque ad Gloria primi pſalmi, & uſque ad Kyrie eleiſon, quod cantatur ad miſſam, denarios non percipiant prætaxatos. Intrantes igitur in officio perſeverent, & non exeant ante finem, niſi forſitan interim ex neceſſaria cauſa cogantur exire, quamcitiùs poterunt revertantur. Nec ſedeant otioſi, ſed ſinguli, prout poſſunt, & ſciunt, ſe diligenter exerceant in cantilena, & pſalmodia. Quicumque verò quolibet modo, præter quàm in obedientiis de mandato Capituli exiſtentes, divinis non interfuerint officiis, ſicut ſuperiùs eſt expreſſum, denariis prælibatis careant, ne præſens ſtatutum variis occaſionibus illudatur. Quodſi prædictæ oblationes ſufficientes non fuerint, de oblationibus* (d) *S. Pellegrini, vel aliis, quod defuerit, ſuppleatur &c.* Apud Turrigium cap. 8. operis de cryptis pag. 306.

IV. Super expoſitis oblationibus obſervanda quædam.

(1) *Sect.* 8. §. 4.

(2) *Ibid.* §. 2.

Deſcriberem hic aſſignatam Canonicis portionem ex munificentia Johannis XXI. niſi temporariam fuiſſe manifeſtarent teſtantis id Pontificis verba infra (1) annotanda. Sed, quod deſcriptas attinet, quarta illa oblatorum, de qua Eugenius, ac Innocentius III. deſumebatur ex reſervatis Sedi apoſtolicæ, quæ in duodecim uncias dividit Clemens IV. & poſt illum quartus pariter Innocentius in diplomatis allegandi (2) particula. Nec dubito, quin ex iiſdem forent oblationes ad eccleſias S. M. in turri, & S. Pellegrini collatæ; erant enim baſilicæ Vaticanæ cappellæ. Ex quo apparet, cur per illas ſuppleretur defectui collatorum ad ipſam baſilicam, ut eſt apud citatas ſuperiori §. conſtitutiones. De cetero neque ambigendum, reſervata ejuſmodi, adeoque deſcriptam portionem oblatorum Canonicis conceſſam, derivaſſe ex importatis extra tempus divinorum officiorum, ſeu miſſarum. Siquidem, quotquot per idem tempus obveniebant, alia impen-

* De *miſſa matutinali* Cardinalis Bona lib. 1. rer. liturgic. cap. 21. §. 4. pag. 161. & ſeqq. 1. edit. ac nuperrimè Meratus pag. 83. & 84. to. 1. partis 1. operis Gavanti. Apud baſilicas Urbis majores per diverſa intervalla variæ quotidie cantabantur miſſæ. Legeſis conſtitutiones eccleſiæ Lateranenſis editas to. 2. muſei Mabillon. &c.

(d) Inter eccleſias ſubjectas baſilicæ Vaticanæ non ultima *S. Pellegrini*. Extat non procul ab eccleſia S. Ægidii civitatis Leoninæ, ut advertit Turrigius cit. oper. pag. 309. & eſt veluti conditorium prætorianorum militum Helvetiorum.

pendebantur ratione & ipſis Vaticanis Canonicis proficua.

V. Oblata tempore miſſar. tamquam hebdomadariis tributa Canonicis. Quinam ejuſmodi hebdomadarii?

Utique illi tamquam hebdomadarii, ſive oblatorum unius hebdomadis participes, accipiebant quicquid offerebatur ad miſſam quotidianam ſollemnem ſuper altare majus celebrandam, & ad obtinentes unius hebdomadis proventum ſpectabat ex privilegio. Undecim verò erant tales hebdomadarii, & privilegium illud per totum anni circulum producebatur. Decima quaque hebdomade fruebantur Canonici. Rem explicabit Romanus. *Septem primas hebdomadas* (inquit num. 43. pag. 135.) *accipiunt ſeptem Cardinales S. Petri*: *Octavam hebdomadam accipiunt diaconi Cardinales præter Dominicalem totius anni, quæ ad eos ſpectat, excepta Palmarum, & Paſcha*: *nonam hebdomadam Cantores*: *decimam hebdomadam Canonici eccleſiæ*: *undecimam ſchola baſilicæ* (ſeu *baſilicaria*, ut legit in ſimillimo textu Mallii Mabillonius pag. 159. tom. 2. muſei). *Qua finita, reincipiunt prædicti Cardinales S. Petri a capite, & ſic per totum annum*. Ita ibi; ſed ante ſpeciatim de Canonicis: *Certum eſt, nos Canonici B. Petri præter alias rationes, & conſuetudines, quas habemus in oblatione miſſæ altaris majoris B. Petri, de antiqua* (ſeu *antiquiſſima* juxta Mabillonianam lectionem) *habere ſemper decimam hebdomadam*.

VI. Quænam portio pertinens ad hebdomadarios?

Ne credas tamen, quotquot afferrentur ad miſſam, in utilitatem hebdomadariorum fuiſſe converſa. De illorum portione Romanus eodem numero. *Oblatio, quæ ſpectat ad hebdomadam, eſt illa, quæ venit ad manus Cardinalium* (S. Petri) *cantato evangelio, & quæ venit ad altare, poſito calice, & donec miſſa cantata fuerit. Illa tamen oblatio, quæ venit ad altare, poſtquam calix eſt poſitus, dividitur per medium. Medietas eſt altaris, & altera medietas eſt illius, cujus eſt hebdomada.*

VII. Ex illa aliquid aliis tradebatur.

His fruebantur hebdomadarii Canonici, quamquam neque plenè. Ecce enim idem admonet Romanus, hebdomadæ portionem aliis etiam fuiſſe communicatam. *Ille, cujus eſt hebdomada, primo loco dat tria capita* ... *Manſionariis*, inquit Canonicus addens reliqua jam (3) producta: inde: *poſtea, datis piſcibus Domino Cardinali, dat ſextam partem Cantoribus, & unam de melioribus faculis*.

(3) *Sect. præced.* §. 16.

VIII. Portio oblatorum data Canonicis in ſtationibus nocturnis.

Dum ſtationes nocturnæ agerentur ad S. Petrum, Canonicis nonnihil dabatur ex oblationibus. Additio Mabilloniana ad Ordinem Benedicti tomo 2. muſei pag. 153. *In unaquaque earum* ..... *debent habere* ..... *de altari S. Petri* .....

Ca-

Canonici XII. *ſolidos*, *& ad miſſam medietatem altaris inter eos*, *& Cappellanos Domini PP. uſque ad finem* &c. Quum ſcribebat Romanus Canonicus, lucrabatur ipſe cum collegis ſuis ſex tantùm ſolidos in præfatis ſtationibus. *Canonici B. Petri duodecim ſolidos accipiebant antiquitus* (ait num. 53.) *ſed modò habent ſex ſolidos lucenſes per ſtationem*. Excipe tamen ſtationem S. Andreæ, de qua ita num. 40. *Canonici B. Petri ſex ſolidos*, *& ſex ſolidos in feſtivitate S. Andreæ*, *& duo aquaricia* (ſeu *duas aquaricias*, quod legit ſimili textu Mabillonius) *olei pro feſto ejuſdem* accipiunt.

IX. Vocata *presbyterium* in antiquis ſcriptionibus.

Quo titulo nocturna illa præſtatio fieret, divinent alii. Forte pro *cœna*, ſive, ut allegandi (4) inferiùs loci notant, pro *cœnaria* ſeu *cœnatica*. Utcumque fuerit, hujuſmodi præſtatio (quod inobſervatum nolo) appellabatur *presbyterium* ab antiquis. Certè Benedictus agens de nocturna ſtatione Dominicæ *de Gaudete* inquit: *Canonici debent habere de* PRESBYTERIO XII. *ſolidos de eadem Confeſſione*. Num. 7. apud cit. tom. 2. muſei pag. 122. Nec diſſimili forma loquitur additio ad eumdem pag. 153. dicti tomi.

(4) *Sect.* 6. §. 1. & 7. §. 11. & 12.

X. Canonicis, quòd reſponſoria, & lectiones cantarent in ſtationibus, data portio oblatorum.

Lectiones, & reſponſoria prima in vigiliis pontificiarum ſtationum cantabant Canonici cujuſcumque eccleſiæ (maximè Patriarchalis) ſtationis ſollemnitate decoratæ: nec indonati recedebant, quod notati ſupra (5) Cencii loci dilucidè ſignificant. Ergo, recurrentibus ejuſmodi occaſionibus ad S. Petrum, eo titulo Vaticani Canonici aliquid obtinebant ex oblatis. Quàm ceterò hoc verum ſit, docet idem Cencius diſſerens de ſollemnitate B. Petri, & nocte Dedicationis tit. 43. §. 71. pag. 208. d. to. 2. muſei, & tit. 47. §. 76. pag. 210. Nicolaus III. in bulla non ſemel memorata, memorandaque *denarios* meminit, qui *de oblationibus majoris altaris S. Petri in matutinis quarumdam feſtivitatum tantùm Canonicis cantoribus exhiberentur*. Quod intelligerem de Canonicis prædicta cantantibus. Aliàs quandoque præcinebant antiphonas Canonici S. Petri in vigiliis ſtationum. Exemplum dabimus (6) infra.

(5) *Sect.* 3. §. 7.

(6) P. 3. *ſect.* 3. §. 2.

XI. Alia etiam ob ſuppletum Cantorum Curiæ defectum.

Reſponſoria, & lectiones ceteras canebant Curiæ, ſeu palatii Officiales, uti eſt apud præcitatum Cencium. Iis tamen deficientibus, in ſtationibus Vaticanis omnia canebantur a Canonicis. Tunc verò portio oblatorum danda pontificiis ad cantores Canonicos pertinebat. Romanus num. 53. *Si Curia-*

Digitized by Google

viales non interfuerint officiis, *Canonici eccleſiæ habent prædictos denarios*. Quot illi, aperietur (7) interiùs.

(7) *Sect.* 7. §. 11.

XII. Canonici vigilãtes pallia aliquid ex oblatis lucrabantur.

Quum per Canonicos vigilarentur pallia ad Confeſſionem, emebatur in eorum commodum de oblatis vinum optimum. Hujus uſus deſuetudinem deplorabat tempore Martini V. Maphejus Veggius in cit. opere de mirabilib. baſilicæ Vaticanæ lib. 3. num. 85. apud to. 7. Junii Bollandiani. *Accedebat* (ſic Veggius, exacta perbrevi ſollemnitatis vigiliarum hiſtoria) *aliud*, *quod nunc neſcio qua cauſa exolevit*, *non modicum hilaritatis*, *& lætitiæ monumentum*. *Nam*, *perfectis divinis conſolationibus*, *tum conſolari corpora incipiebant*, *exhibebaturque omnibus abundanter optimum vinum*, *optimis aromatibus conditum*. Hunc ſui temporis uſum ita deſcribit Petrus Mallius. *Cum vigilamus pallia*, *facimus ſolemnes* (e) *vigilias*, *quas conſuevimus cantare in feſto ejuſdem* (S. Petri) *Apoſtoli*, *& de antiqua conſuetudine habemus de Confeſſione abundanter optimum* (f) *claretum*. Vide fragmentum pag. 440. libri antiphonal. & reſponſor. Ven. Card. Thomaſii. Romanus Canonicus eo etiam loco allegatus a doctiſſimo Cardinale n. 3. pag. 6. *Dantur Canonicis*, *quoties has vigilias* (g) *celebrant tres ſolidi provinienſes pro clareto*. *Faculæ verò Camerario Cano-*

(*e*) Nomen *vigiliarum* inditum cantui nocturnorum pſalmorum edocet paſſim vulgatum a Card. Thomaſio pſalterium cum ceteris liturgicis codicibus. Verè autem benedictioni palliorum præmittitur; ut olim, nocturna pſalmodia &c.

(*f*) Vinum erat *claretum* hocce *optimis aromatibus conditum*, ut explicabat ſupra Veggius; ſeu *aromatites*, *vinum melle & aromatibus conditum*, *ac decoctum*, ſicuti vocatur a continuatoribus Bollandi cit. to. 7. Junii notatione 9. ad num. 7. operis laudati Manlii; ſeu (quod ajunt Martenius, ac Durandus in indice onomaſtico ad anecdota) *vinum factitium*, *dulce*, *pigmentum*, *Germanis* claret, *noſtris* (Gallis) hipocras. Non omnia quidem *clareta* factitia fuiſſe puto, de quibus frequentiſſimè loca Romanor. Ordinum inferiùs promenda. V. quæ circa eadem ſcribit Andreas Baccius lib. 6. hiſtor. vinorum pag. 310. lib. 7. pag. 357. &c.

(*g*) Etiamnum vigilantur, vel benedicuntur pallia. Quàm verò diverſo in aliquibus ritu ab antiquiori (cujus formulam edidit Nicolaus Bralion, quæ legi poterit unà cum Romani Canonici textu relato to. 7. Junii Bollandiani pag. 5. &c.) pernoſci valet ex documento III. ad calcem tractationis præbendo. Actio perfici ſolet per Vicarium, aut Canonicum baſilicæ Epiſcopum. Sed hoc anno (1725.) Benedictus PP. XIII. recurrente feſtivitate Cathedræ 8. Kal. Martias eam pietate ſua dignam exiſtimavit, quemadmodum exiſtimat divinæ pſalmodiæ cum Clericis quarumcumque eccleſiarum Urbis intereſſe. Illum ipſe ſuſpexi inſidentem pontificali ſedi nunc adhiberi ſolitæ in uſum Cardinalium Titularium integro curſui ſacrorum officiorum vacantem manè diei 14. proximè præteriti menſis Januarii, Dominicæ I. poſt octavas Epiphaniæ feſto conſecratæ nominis Jeſu (quod *oleum effuſum* refert) in baſilica fontis olei Transtyberina.

nonicorum remanent, quæ de altari communi cum cereis, & incenſo, & provinienſibus dantur.

XIII. Et in ſtationibus diurnis, quod appellatum *preſbyterium* ab antiquis.

(8) *Sect. præced.* §. 8.

(9) *Sect.* 10. §. 5. & 6.

Lucrabantur etiam Canonici aliquid in ſtationibus diurnis. Atteſtatur locus Manlii Bollandiani (8) ex parte datus, & hic denuo integrè repetendus. *In Miſſa* (III.) *diei* (natalis Domini) *antiquitus: ſcilicet uſque ad tempora Gregorii VII. PP. fuit ſtatio ad S. Petrum; unde adhuc habent Canonici pro* PRESBYTERIO *noctis* VIII. *ſoldos*. Atteſtatur pariter praxis diei litaniarum majorum, de qua tamen nos (9) infra congruentiùs.

XIV. Ac pro delatione cathedræ S. Petri.

Diurnis ſtationibus ſupputatam vidimus diem feſti Cathedræ. Et tunc, nedum portio mox deſcripta, nonnullis Canonicis aliud obveniebat. *Nella bolla di Niccolò III. nell' archivio ſi ha, che alli Canonici ſi davano a ciaſcuno due denari*: In cathedra S. Petri (*che loro ſolo la portavano, e riportavano in proceſſione*) duo denarii, *dice la bolla*, qui dantur Canonicis portantibus, & reportantibus ** Cathedram S. Petri. Verba ſunt Turrigii pag. 566. de cryptis in addendis ad paginam 151. primæ editionis.

XV. Necnon quoties Papa coronaretur ad S. Petrū, quod ex parte *preſbyterium* nūcupatum.

Quotieſcumque Papa coronaretur, ſeu coronatus, ideſt thiara, ſive regno (*b*) redimitus appareret, aut equitaret ad baſilicam Vaticanam, oblationum partem accipiebant Canonici. *Nota* (inquit Romanus num. 52. pag. 151.) *quod, quia ſemper, cùm Dominus Papa coronatur ad S. Petrum, accipiunt Canonici pro* PRESBYTERIO *octo ſolidos lucenſes, & decem ſolidos pro veſtiario* (i).

Co-

** Cathedram S. Petri, ejuſque ſollemnia plerique Eruditorum illuſtrarunt ſcriptis ſuis. Tu vide peculiarem ſuper hoc argumento compactum libellum a Franciſco Maria Phœbæo Archiepiſcopo Tarſenſi, & ceremoniis pontificiis Præfecto &c. V: Cl. Cajetani Cenni notas, ac diſſertationem illatas to. 4. collect. vitar. Anaſtaſii &c.

(*b*) De *Regno*, ejuſque nomine, origine, uſu, ſignificatione &c. Antonius Mazzaronius in tractatu de tribus coronis Romanor. Pontiff. Raynandus lib. de pileo, ceteriſque capitis tegminibus, Franciſcus Pagius to. 3. de geſtis Pontiff. Romanor. Meneſtrierius lib. *de la pratique du blaſon*, Ant. Steph. Chartarius in prodromo gentilitio, Authores notarum ad Vitam Bonifacii VIII. Ciacconianam, Alamannus cap. 13. pag. 129. Paſchalius de coronis lib. 19. cap. 22. &c.

(*i*) Quid hoc? Non una *veſtiarii* ſignificatio, quod lexica monent, maximè Cangianum. An Romani locus accipiendus pro ſacrario, ſeu ſcevophylacio, de quo in vita Stephani VI. liber pontific. num. 644., & §. 4. pag. 74. to. 2. muſei Ordo 4. Mabillonianus? An vetuſtioribus temporibus obtinuerat conſuetudo certis ſollemnitatibus renovandi veſtimenta miniſtrantium baſilicæ, quæ poſtea contracta

ad

XVI. Quãdo Papa coronari ſoleret.

Coronabatur verò Papa prima vice ad S. Petrum poſt electionem, de quo Parte 3. quamplura: præterea in aliquibus ſollemnitatibus, quarum elenchum ad poſteros tranſmiſit author Ceremonialis pontificii poſtremi, dum ait: *Dies, quibus Papa coronabatur, erant infraſcripti, videlicet, in feſto quatuor Coronatorum, S. Martini, S. Clementis, in Dominica gaudete, in Dominica lætare, in nativitate Domini, in S. Stephani, in Epiphania, in Reſurrectione, & 2. feria, in Dominica ego ſum paſtor bonus, in Aſcenſione, in Pentecoſte, in S. Petri, in S. Sylveſtri, & in anniverſario ſuæ coronationis.* Hæc Auguſtinus Patricius Piccolomineus, ſive Pſeudo-marcellus lib. 3. cap. 9., ubi de *mitris*, & *thiaris* &c. Quæ ſi conferes cum ſtationum Vaticanarum catalogo, & cum excerptis Mallianis cap. 27. pag. 158. cit. to. 2. muſei, ſcies, quando verè Papa coronaretur ad S. Petrum, adeoque prænunciata fieret diſtributio.

XVII. Canonici de oblationibus participes in hebdomada ſanctiore.

Intra hebdomaden ſanctiorem multò plura ſibi vindicabant Canonici ex oblationibus tum altaris, tum arcæ; nimirum medietatem quorumcumque provenientium a pulſatione matutinalis officii uſque ad miſſam, communicata tamen parte Cantoribus palatinis, ſi interfuiſſent, & alia medietate relicta Epiſcopo S. Rufinæ, ſeu Portuenſi. Hæc omnia deſcribit Romanus Canonicus num. 42. Sed locum afferemus opportuniùs (10) alibi.

(10) *Sect.* 7. §. 3.

SECTIO VI.

§. I. Scholas, & Officiales Pontificis accepiſſe de oblatis ad S. Petrum. Quid acciperet ſchola Cantorum.

SCHOLÆ (*a*) palatinæ, aliàs *Ordines ſacri palatii*, *Clerici palatini*, *Cappellares*, *Cappellani*, *Scholenſes*, *Curiales* &c. (has voces exhibent textus ſparſim toto opere producti) cum alius

H

ad modicam ſtrenam? An Canonici, quorum tunc vita communis, more plerorumque Religioſorum, ſolidos illos pro *veſtiarii* portione lucrabantur? Nunc etiam Clericis Romanæ Curiæ denarii præbentur aliquando, veſtibus quondam diſpenſari conſuetis per aliquot ſollemnitates ſubrogati. Ejuſmodi ſunt, qui diſpenſantur occaſione ſacrar. Canonizationum. Inſuper pro renovandis ſuperpelliciis Ceremoniarii Sedis Apoſtolicæ, aliique in celebritate benedictionis Agnorum Dei pecunia ſimiliter donantur. De perantiquo uſu diſtribuendi veſtes documentum inſigne eſt num. 533. cit. lib. pontif. in Leone IV. ob aliam cauſſam inferiùs proferendum.

(*a*) Quondam *ſchola* dicebatur quodcumque collegium etiam laicorum, aut ſodalitium (qualia plura, de quibus in notationibus ſeqq.) ſive quodcumque hominum

Digitized by Google

aliis pontificiis Officialibus non rarò participabant oblata Vaticana, potiſſimùm *ſchola Cantorum* per antonomaſiam utplurimum *Schola* abſolutè dicta, ejuſque (*b*) *Primicerius*. Certè iis nonnihil dabatur quolibet ſabbatho IV. temporum, docente Romano ad num. 41. ut liquet ex loco ſeq. ſectione (1) deſcribendo. Miſſam ad S. Petrum cantante Epiſcopo S. Rufinæ, accedentibus Primicerio, & Cantoribus non exigua pars oblatorum tradebatur, teſte ad numerum 42. allegando pariter ibidem (2) eodem authore. Jam vidimus nonam ex hebdomadis integrè conceſſam Cantoribus. Relege textum Romani ſuperiùs (3) datum. Nec ſatis. Quivis reliquarum hebdomadarum perceptor ſua communicabat Cantoribus munera. *Dat ſextam partem Cantoribus, & duas de melioribus faculis*, addit mox cit. loco laudatus Romanus. Quinque ſolidi papienſes iiſdem dabantur in ſtationibus S. Petri nocturnis pro *cænatica*. V. Romanum ad num. 53. promendum (4) infra. *Pro cœnaria*, ait Ordo 11. Mabillonianus, ſeu Benedicti num. 7. Meminit eoſdem ſolidos pro *cœnatica* additio ad hunc Ordinem pag. 153. cit. muſei. Præterea participabant Cantores cum ceteris Scholis communicandam, celebrante per has ſtationes Pontifice, medietatem oblationum. Sic Romanus cit. num. 41. Sic Benedictus num. 6. dicti Ordinis. Sic memorata additio, ex qua etiam patet, obtigiſſe parem præſtationem Cantoribus in ſtationibus diurnis. *In unaquaque harum ſtationum* (verba additionis) *accipiunt* (Cantores) *quinque ſolidos, & oblationem*. Similia profert (de omnibus tamen intelligenda ſcholis, inter quas utique non ultima Cantorum) Romanus Paulli de Angelis num. 44. *In unaquaque harum ſtationum* (ait) *percipiunt ſcholæ quinque ſol. denariorum papienſ. & oblationem*. Paullò aliter legit (ad pag. 158. tom. 2. muſei) Mal-

(1) §. 11.

(2) §. 3.

(3) *Sect. præced.* §. 5.

(4) *Sect. ſeq.* §. 11.

---

num conventiculum, quod monet Petrus Saulnier cap. 10. arg. 10. §. 11. num. 2. pag. 118. differtat. de Capite ſacri Ordinis S. Spiritus agens de ſcholis Saxonum, Friſonum &c. Scholas Clericorum ad differentiam laicorum explicatè meminit locus Benedicti Canonici promendus P. 3. ſect. 3. §. 3. Et nunc Venetiis *ſcholæ* dicuntur ſodalitia ex laicis conflata.

(*b*) Scholæ Cantorum *Primicerius* poſterioribus ſeculis appellari cœpit *Magiſter cappellæ*, & eligi extra ordinem de viris eccleſiaſticis primæ notæ, præſertim Epiſcopis (quorum memoria multa in ſcriptionibus aſſervatis apud archivum hujus vetuſtiſſimi collegii) & Abbatibus inſignium cœnobiorum, quod colligo ex inedito teſtamento Philippi Card. de Alenconio, ubi *Abbas S. M. de Rivaldis* dicitur pontificiæ *cappellæ Magiſter*. Vide illud ad calcem Operis num. 4. Documentorum.

Digitized by Google

Mallius Mabillonianus cap. 27. *Accipiant ſcholæ quinque ſolidos denar. papienſium ex oblatione ſcilicet*. Scribente Cencio Camerario, ea portio conſtabat ex decem ſolidis. Adi ejus Ordinem tit. 39. num. 66. ad pag. 204. prælibati tom. 2. Neque deerant aliæ communes aliis ſcholis portiones, quas aut offendes inferiùs (præſertim ſect. ſequente) aut offendiſti jam ſupra.

II. Non omnia, quæ deſcripta, toti ſcholæ Cantorũ fuiſſe conceſſa.

Cumulata hic de Cantoribus nemo putet indiſtinctè accipi debere, quaſi ſcilicet portio quæque deſcripta toti collegio traderetur. Aliqua propria erat electorum ex integra ſchola ad miniſtrandum ſpeciatim baſilicæ Principis Apoſtolorum. Paucis ignotum reor, quod olim e pontificiis Cantoribus nonnulli deputati forent ad inſerviendum Cardinalibus per Patriarchales diſpoſitis. De quatuor Cantoribus aſſignatis Patriarchali S. Paulli, S. Mariæ majoris, & S. Laurentii extra muros clara mentio eſt in Manlio Bollandiſtarum ad cap. 4. num. 55. pag. 43. cit. to. 7. Junii. Cantores ad Lateranenſem miniſtrantes non ſemel memorant duæ chartæ (5) productæ. Imò apud eamdem habuiſſe ſtationem, ſeu domicilium, Hormiſda ſummo Pontifice authore, obſervat Conſtantinus Cajetanus in commentario ad vitam Gelaſii II. pag. 57. num. 19. Ceterùm vel temporibus magni Gregorii peculiares e Romana ſchola Cantores addictos fuiſſe ſervicio Patriarchalis Vaticanæ, Docti colligunt a vetuſtiorum ſcriptionibus. Martinellus cap. 12. Romæ ex ethnica ſacræ quærens ethymon S. Mariæ *Virgariorum* per Mallium inſtructus notat, B. Gregorium feciſſe *xenoduchium juxta gradus B. Petri*, ibique conſtituiſſe *tres Cantores cum Primicerio, qui jugiter officiaret miſſam ad altare B. Petri indutus pluviali, & virga*. Addit inſuper, quod generatim probet, non omnia ſupra deſcripta ad univerſam pertinuiſſe Cantorum ſcholam. Nempe ait, Primicerium illum cum Cantoribus habuiſſe *pro beneficio, ſicut in privilegio legitur*, ideſt, participaſſe de oblatis eccleſiæ, uti ſuggerunt alii Scriptorum loci. V. locum Benedicti Canonici mox (6) deſcribendum, & recordare allatorum (7) ſuperiùs.

(5) *Sect.* 3. §. 10. & 11.

(6) §. 13.
(7 *Sect.* 3. §. 6.

III. Tota quidẽ extra ordinem aliquando participabat oblata Vaticana.

Sed omnibus pontificiis Cantoribus præter illa, quæ manifeſtè ad eoſdem ſpectaſſe inſinuant dicta, pro cujuſque liberalitatis menſura partem reſervatorum Sedi Apoſtolicæ ex oblatis Vaticanis donare olim conſueverant ſummi Antiſti-

tes. Rem evincunt literæ Honorii III. vulgatæ ab Andrea Adamio pagina 12. præfationis hiſtoricæ ad librum Obſervationum uſus Cappellæ papalis in commodum Cantorum compactum.

HONORIUS

Primicerio, & Clericis ſcholæ Cantorum de Urbe.

„ DIgnum eſt, ut, qui miniſterii veſtri munia laudabili-
„ ter exercetis laudes Deo ſuaviter decantantes, exin-
„ dè aſſequamini munera gratioſa. Cùm itaque fel. mem.
„ Cœleſtinus PP. prædeceſſor noſter vobis de portione obla-
„ tionum altaris B. Petri, quæ contingit Romanum Pontifi-
„ cem, annuas duodecim libras de gratia contulerit liberali;
„ nos ejuſdem gratiæ volentes addere gratiam, ut de virtute
„ ſtudeatis proficere in virtutem, de oblatione prædicta de-
„ cem libras noſtro tantùm tempore annuatim duximus lar-
„ giendas; ita quod ex hoc ſucceſſores noſtri nullatenus
„ obligentur. Datum Romæ apud S. Petrum XII. Kal. Maii
„ Pontificatus noſtri anno III.

IV. De iiſdem ſcholæ Subdiaconorum conceſſis.

Primi ſeptem Cantores (c) Subdiaconis S. R. E. adſcripti erant vetuſtiori ætate; iis videlicet, quos principes fuiſſe ſcimus Curiæ Clericos poſt Epiſcopos, Presbyteros, & Diacones Cardinales, ac per varia munera formaſque aliis etiam ſcho-

(c) Veterum *Subdiaconorum* R. E. ſyſtema ſic exponit Panvinius pag. 5. interpretationis vocum eccleſiaſticarum. Subdiaconi *Notariis a Clemente PP. inſtitutis* imminebant, *ut res geſtas MM. in integrum colligerent. Et cùm ſeptem Diaconi, ut miniſtrarent pauperibus chriſtianis, totidem Notarii, ut Martyrum facta deſcriberent, per Urbis regiones ſparſi eſſent, iis ipſi Subdiaconi juncti fuerunt. Ideo etiam ipſi Subdiaconi regionarii vocati ſunt . . . Alii ſeptem Subdiaconi, quòd miſſarum celebrationi intereſſent in baſilica Lateranenſi, & per vices deſervirent, S.R.E. ſive baſilicarii Subdiaconi ſunt appellati. Nam eccleſiæ majeſtate aucta, Subdiaconi ad epiſtolæ lectionem, & miniſterium altaris acciti, & ſacri Ordinis participes facti ſunt: & propterea Regionarii, qui per regiones diebus ſtationum Pontifici miniſtrabant celebranti, ſeptem alii additi, & ad* XIV. *numerum aucti. Hi porrò S. R. E. Subdiaconi, quòd Pontifici certis officiis aſſiſterent, & ſervirent, ut in camera, & in menſa, & in proceſſione ante ipſum crucem deferrent, palatini etiam Subdiaconi dicti ſunt. His in ſchola Cantorum* VII. *alii addicti, eorumque numerus unus & viginti factus . . . . Stationarius Subdiaconus erat is, qui hebdomada ſua epiſtolam in ſtationibus, Papa celebrante, cantabat.* Collegium Subdiaconorum ſuppreſſum eſt ann. 1665. per Alexandrum VII. qui eorum munia tranſtulit in collegium Auditorum Rotæ, dato diplomate, quod legeſis in hiſtoria hujus tribunalis edita a Dominico Bernino &c.

Digitized by Google

ſcholis intextos, quamquam unum corpus efformarent, ſeu ſcholam inſignem. Hæc propterea non dubiè partem ex oblatis accipiebat, quæ generatim tradita monebam (8) paullò ante ſcholis omnibus pontificiis. Quid Subdiaconus quiſque immixtus aliis aliarum ſcholarum Clericis, & muniis non communibus implicatus perciperet, ediſſeret nullus. Aſſeri fortaſſe poterit, univerſam Subdiaconorum ſcholam oblata majoris altaris participaſſe, quum ex illo ceram caperent pro componendis Agnis Dei. *Antiquitùs* (inquit author Ceremonialis E. R. lib. 1. cap. *de conſecrat. agnor.*) *cerà alba per magiſtrum ceræ palatii Apoſtolici, & per illos, qui volebant per ſe Agnos, cera ponebatur ſuper altare B. Petri, quam Subdiaconus Apoſtolicus de altari accipiebat, & . . . in palatio ipſe cum aliis Subdiaconis, & Acolytbis Papæ manibus propriis* (d) *formabant Agnos Dei &c.* (8) §. 1.

Ob id ſanè operis ſocii, hoc eſt (*e*) Acolythi, Vaticana oblata participabant. De altari S. Petri accipiebant ſaltem ceram in Agnos vertendam, quos Papæ debebant præſentare. *Acolytbi Domini Papæ agnos Dei debent facere ad altare S. Petri decem libràs ceræ recipientes, & præſentare Domino Papæ*, notabat Cencius tit. 38. num. 62. pag. 203. &c. Iidem prò palmis donabantur. Benedictus Canonicus num. 38. pag. 135. &c. *Manè* (Dominicæ palmarum) *ſtatio ad Lateranum, ubi palmæ* (f) *ſunt ab Acolytbis collectæ in baſilica S. Sylveſtri, dè quibus dant Acolytbi baſilicæ S. Petri* (al. *datur Acolytbis baſil. S. Petri*) *& accipiunt de altari* VIII. *ſolidos*, ſive II. *ſolidos* juxta alias lectiones. At Romanus Canonicus num. 42. *In Dominica palmarum Acolytbis* XII. *denarii pro palmis*. Propriane Acolythorum remanerent, quæ iis tradita meminit Cencius tit. 11. num. 23. pag. 178. &c. non auſim affirmare. *Acolytbi* (inquit) *debent recipere de altari S. Petri unam aquariciam olei, & fa-* V. Acolythis.

(*d*) Nunc formantur per Monachos Ciſtercienſes titulo S. Bernardi ad thermas, & eccleſiæ S. Pudentianæ miniſtrantes.

(*e*) Diviſos fuiſſe veteres *Acolythos* in regionarios, palatinos, & ſtationarios docet Panvinius in cit. opuſc. interpretationis vocum &c. Eorum ſchola nunc pariter ſuppreſſa, privilegia tamen, atque onera addicta ſunt collegio Votantium ſignaturæ juſtitiæ, quemadmodum conſtat ex allegato diplomate Alexandri VII. apud laudati Bernini hiſtoriam, alibique videndo.

(*f*) Cencius dandas hìc exprimit palmas nobilioribus ordinibus Curiæ. Nam tit. 21. num. 44. pag. 197. &c. curam palmarum ex olivis compactarum, quæ populo Romano a Papa diſtribuebantur, ſpectaſſe tradit ad Oſtiarios.

& *fanones*, & *ampullas*. Dabantur hæc in die cœnæ Domini. Exploratius, quod Acolythi communi aliis ſcholis parte oblatorum, ſolidis lucenſibus ſabbatho IV. temporum diſtributis, *cœnatica* ſeù *cœnaria &c.* fruerentur. Memora jam (9) indicata.

(9) *Ibid.*

VI. Cappellanis.

Cappellanorum crebra fit mentio apud ſcriptores rerum pontificiarum. Dubitari quandoque poteſt, accipiendine ſint generatim pro ſcholis Cappellæ, an potiùs pro ſchola ejuſdem (*g*) ſingulari. Hanc ſanè reſpiciunt plerique Cappellanis Papæ tributas oblationes Vaticanas conteſtantes. Erat autem *Cappellanorum* præcipuè medietas oblationum in ſtationibus S. Petri provenientium, *ex quo tualia extendebatur*, uti ferunt Romanus, & Benedictus Canonici ſequenti ſectione (10) citandi. Præcipuè, dixi; ex ea enim medietate nonnihil etiam accipiebant aliæ ſcholæ, quòd ibi videbimus. Cencius tamen duplicem memorat portionem oblatorum poſt *extenſam tobaleam*, alteram, quæ divideretur inter ſcholas, haud excluſis Cappellanis; ideſt, illatam, operante ſacrum Pontifice: alteram, quæ importaretur ante acceſſum ejuſdem ad altare; & de hac inquit: *Nullatenus prætermittendum, quod ſi fortè, ex quo tobalea exponitur a Cappellanis ſuper altare, aliquod oblatum fuerit Papæ, ipſorum Cappellanorum eſt, nullo alio cum ipſis participante, & ita durat, donec ad altare pro miſſa cantanda Dominus Papa accedat*. Vide tit. 39. num. 66. pag. 205. &c.

(10) §. 11. & 12.

VII. Scholæ baſilicariæ.

Scholam baſilicariam (*h*) de oblatis S. Petro peculiariter participaſſe non unus monet locus veterum ſcriptorum. Omnium clariſſimus, quem ex Romano Paulli de Angelis, & Mabilloniano textu dedimus. *Undecimam*, ſic (11) Romanus, *ſchola baſilicæ* (ſeu *baſilicaria*) accipit hebdomadam.

(11) *Sect. præced.* §. 5.

Quæ

(*g*) Qui olim erant, junctimque vocabantur juxta documenta non recentia (quorum unum habe ad calcem Operis num. 5.) Papæ Cappellani, ſac. Palatii ſeu rotæ Rom. Auditores hactenus *Cappellanos* ejuſdem agunt in maximis ſollemniis, quod videſis cap. 1. citatæ hiſtoriæ Bernini pag. 7. & ſeq. Ceterùm & Pontifici intra palatium, minoribuſque officiis famulantur alii Cappellani, qui aut *ſecreti*, aut *communes* dicuntur. Horum miniſteria nota omnibus ſunt, & origo pervetuſta. Fortaſſis de iis loquitur Ceremoniale Card. de Eſtoutevilla, ubi Cappellanos meminit cum additamento *cameræ*. Locum attuli ſect. 3. §. 6.

(*h*) Collegium hoc compoſitum fuiſſe crediderim ex Clericis cujuſque ordinis miniſtrantibus Papæ, ſpeciatim ſacra agenti in baſilica palatii, ſive S. Laurentii ad SS. Sanctorum, quorum caput *Prior baſilicarius* non raró in Ordinibus Romanis memoratus. Tales autem ſelecti Clerici *baſilicarii* ſimpliciter vocati ſunt.

Digitized by Google

Quæ ſchola Crucis(*i*)aut Crucium appellata erat,& com- VIII. Et ſcholæ Crucis.
munem reliquis, & ſuam partem oblatorum B. Petro ſejunctim accipiebat. Videſis in anteceſſum (ut penitus ſileam producenda paullò inferiùs) textum Cencii proximè danda (12) ſectione, ubi de *decem ſolidis* diviſis inter ſcholas occaſione Vaticanarum ſtationum. (12) §. 13.

De Oſtiariis (*k*) hæc Romanus Canonicus num. 42. *In unaquaque bebdomada, quando Dominus Papa non eſt Romæ, duo ſolidi lucenſes Oſtiariis*. Rem, cauſſamque affert Cencius tit. 21. de *Oſtiariis* num. 44. pag. 197. &c. *Sciendum, quod, quando Dominus Papa non eſt in Vrbe, pro cuſtodiendo palatio debent* (Oſtiarii) *duodecim denarios papienſ. ad altare B.Petri in unaquaque bebdomada babere*. IX. De oblatis Vaticanis aliquid percipiebant Oſtiarii palatini.

Turrigius affirmat, Vaſtarios, ſeu Vaſtararios, aut (juxta Macri jerolexicon) Baſtarios, habuiſſe *dall' altare di S.Pietro quattro denari proviſini, o provenienti aſſieme con gli Oſtiarii, alli quali toccava far le palme, & avevano la parte da palazzo*. Sic lib. de cryptis edit. 2. inter addenda ad pag. 358. ubi etiam Vaſtarios hoſce interpretatur *cerajuoli*. Hauſit hæc fortaſſis vir doctus ex perobſcuro (*l*) loco Cencii, quo notatur: *In omnibus ſollemnitatibus S. Mariæ, Aſſumptione exceptà, Vaſtararii faciunt candelas de vinetis vivis papyrum pro candelis aptantes; & propter boc cum D.Papa comedunt in die coronationis* X. Ac Vaſtararii.

(*i*) Quænam fuerit antiquis *ſchola crucis*, & an ejus adhuc veſtigium ſuperſit, explicabitur Appendice prima.

(*k*) Extat inter collegia Rom. Curiæ *Oſtiariorum* collegium. An illud ſit antiquioris ſurculus, perquirant alii, expenſis præſertim ejuſmodi Officialium conſtitutionibus, quibus contrahuntur, & confirmantur per literas Clementis PP. X. die 5. Decembris anno 1671. expeditas Pontificum diplomata, privilegia, ceteraque ad *Oſtiarios* attinentia.

(*l*) Locus oppidò perobſcurus. Nam quid *candelæ de vinetis vivis, & papyrus pro candelis aptata?* Candelas olei, & cereos, tamquam diverſa, notant ſequioris temporis authores. V. exemplum ſect. ſeq. §. 2. Hinc valde dubium, an *vaſtarii*, ſeu *vaſtararii* fuerint opifices cereorum. Suſpicor, attento nomine, quod a βαστάζω fluere videtur, *bajulos* palatinos fuiſſe, quibus cura lampadum, & ellychniorum. De bajulis hæc Petrus Leo Caſella apud Hippolythum Agreſta P. 5. vitæ S.Baſilii Magni cap. 5. pag. 337. edit. an. 1681. *A S.Salvatore in campo nel rione della regola ſtavano i laici oblati, che ſervivano a portare, e riportare i vaſi ſacri, i veſtimenti, & altri ſtromenti di celebrare la meſſa pontificale, e queſti tali nell' Ordine Romano ſi leggono bajoli del Monaſtero maggiore:* ideſt (ut putat) baſilicæ palatii ad Sancta Sanctorum. Numerat *Bajulos* cum occurrentibus juſſu Paſchalis II. Henrico Auguſto chronicon Caſſinenſe allegandum P. 3. ſect. 9. §. 8.

Digitized by Google

nis ſuæ : *& pro univerſis vinetis recipiunt de altare S. Petri quatuor* (m) *proveſinos*. *Et ſciendum*, *quod iſti pro ſervicio iſto habent medietatem chartæ* (al. *caſſæ*) *majoris* (nempe *arcæ*, de qua literæ (13) allegatæ Eugenii III. & promendus infra (14) locus Romani Canonici) *in die Paſchæ*. Ita ad tit. 24. num. 48. pag. 199. Camerarius.

(13) Sect. præced. §. 2.

(14) Sect. ſeq. §. 3.

XI. Mareſcalli, & Mappularii.

Ad titulum verò 39. §. 66. pag. 205. &c. differens Cencius de ſtatione diei S. Marci, ſeu litaniarum majorum ait: *Dominus Papa*, *poſtquam acceſſit ad altare*, *donec idem pronunciaverit*, *ite miſſa eſt*, *quidquid ſuper altare oblatum fuerit*, *ſic dividitur*. *In primis dantur* (n) *Mareſcallis* XII. *den*. *Et notandum*, *quod in omni ſtatione*, *in qua Dominus PP. celebrat divina*, *de oblationibus altaris apud S. Petrum tantummodò* (fort. *tantumdem*) *debent habere*. Adduntur, quæ conceſſa iiſdem Mareſcallis, & (o) Mappulariis, alibi celebrante Pontifice, ſupra (15) meminimus. Ex dictis interea colligendum, Mareſcallorum ſcholam, & Mappulariorum ſpeciatim aliquando participaſſe de oblationibus Vaticanis. Quamquam & hoc oſtendere poſſent excerpta aliquot authorum ſuperiùs (16) deſcripta, potiſſimùm, quod ſuggeſſit laudatum opus Cencii e titulo 7. num. 14. Lai-

(15) Sect. 3. §. 6.

(16) Ibid.

(*m*) A loco, quo cuderentur, aut cuſi primum fuiſſent ſolidi, ſeu denarii *proviſini* al. *provinienſes*, monetarum more, de quibus jam nota r ad ſect. 3. §. 10. Ita ego conſentiens doctiſſimo Cangio: Diſplicet propterea Turrigii opinio; quam inſinuat datus modò locus, dandusque alius §. 8. ſectionis 10. *proviſinos* a *proveniendo* deducens: nec placent, quæ Cangii ſententiam impugnans eruditus Bollandiani operis continuator habet. *Monetæ genus Italis ſcriptoribus paſſim ſolidus proviſinus*, *aut proviſinorum*. *Cangius in gloſſario reducit ad monetam pruvinenſem*, *quam ait Comitibus Campaniæ Gallicæ fuiſſe*, *ſic dicta*, *quòd in oppido Pruvinenſi dictæ Campaniæ cuderetur*. *Sit ita*. *Sed*, *quod proviſina moneta*, *ſeu proviſinorum in Italia inde appelletur*, *non tam facilè aſſentior*. *Malim opinari a proviſionibus*, *ſeu redditibus eccleſiarum*, *aut altarium*, *quibus eccleſiaſtici inſerviebant*, *& pro ſua quiſque opera ſtipendium accipiebant*. Hæc ille aliter fortaſſe loquuturus, ſi diligentiùs obſervaſſet, quàm facilè permeare ſoleant monetæ unius nationis ad exteras quaſque commerciorum virtute, & quàm res Francicæ Italicis, præcipuè Romano-pontificiis, præcedente noſtra ſecula tempore connexæ colligatæque fuerint.

(*n*) Non unus *Mareſcalli* ſignificatus, ut oſtendit lexicon Cangianum. Frequentiùs accipitur Mareſcallus pro ſtabuli Præfecto, aut militum Ductore. Qui hic dicuntur *Mareſcalli*, ſpectant veroſimiliter ad priorem interpretationem.

(*o*) Genus ferè omne lintei, vel tegumenti, quo operirentur aut capita Sacerdotum ſollemni ritu divina peragentium, aut eorum ſedes, aut ambones, aut pavimenta, aut equi in publicis Cleri proceſſionibus, *mappulam* dictum docet lectio ſcriptorum ritualium. Quapropter *Mappularios* exiſtima, queis ejuſmodi lintea, vel tegumenta cuſtodiendi, aptandique cura commiſſa.

Digitized by Google

Laicis aliis ſcholis, ſive laicis familiaribus, vel commenſalibus Papæ (talibus quippe annumerandi veniunt poſtremis duobus §§. memorati) datum aliquid mihi non occurrit. Haud dubito, quin verè datum, ſed non omnium memoriam tradidere nobis majores. Gratulandum quidem per eorum ſcripta prodi ſatis, quid nonnumquam tribueretur ex proventibus S. Petri Domino hoſpitii. Benedictus Canonicus num. 7. pag. 122. &c. quo agit de Dominica *gaudete* ſcribit: *Ille Dominus* (p) *hoſpitii debet habere pro beneficio omni die unam monetam de oblatis* (al. *de oblationibus*) *miſſæ, & lacrymas ceræ, quæ remanent in offerenda miſſa*. Hæc propria illuſtris viri portio. Ceterùm eidem quoque conſignatum videtur quidquid ſub vocabulo *cænariæ*, ſeu *cænaticæ* proprium erat ſcholarum, quod innuunt præmiſſa mox expoſitis verba Benedicti. *Sacri Palatii ordines*, inquit, *hoſpitantur* (in ſtationibus nocturnis Vaticanis, qualis ſtatio Dominicæ *de gaudete*) *in domo* (q) *agulia* (al. *augulia*) *& Dominus hoſpitii debet præparare lectos de ſuis bonis linteaminibus, & accipere in ſtabulis ſuis equos eorum, & cuſtodire: &, ſi opus fuerit, facere* XII. Denique Magiſter hoſpitii.

I re

(p) Hujus Officialis pontificii & nomen, & munus hìc deſcripta ſuadent non alium illum fuiſſe, quàm qui nunc dicitur *Magiſter ſacri hoſpitii*, cujus adhuc aliqua eſt, licèt leviſſima, cura in publicis papalibus epulis, ut fert Ceremoniale R. E. lib. 1. ſect. 3. & lib. 2. tit. *de publica computatione*. Idem etiam reputatur veluti nobilis laicus in primariis ſacris functionibus exceptor introductorque Ordinum pontificii ſacelli, necnon cuſtos interior auguſti conſeſſus; & nonnihil ageret, ſiqui Romam convenientes Principes ſupremi introduci publicè deberent in Palatium. Quæ neſcio quid ſapiunt antiqui muneris. Sed de his viderint alii. Proprium eſt ſplendidum hujus Magiſtri miniſterium familiæ Comitum, quam nobilioribus Romanis paſſim vetuſti ſcriptores accenſent. Poſt Columneſios, Urſinos, Sabellos, primi ſunt in Ordine 7. rituum coronationis Imperatoris Occidentis Romæ habendæ per manus Papæ deſcribente, apud codicem ms. Bigotianum reperto, vulgatoque to. 3. rituum Eccl. Martenii lib. 2. cap. 9. *de benedictionib. Impp.* pag. 181. Jacobus Cardinalis S. Georgii clariores laicos adſtantes coronationi Bonifacii VIII. indigitare volens in poematio, quod legi to. 4. Maii Bollandiani ſub die 19. hæc canit cap. 1.

Interea titulis redimiti, ſanguine, & armis
Illuſtreſque viri Romana ex ſtirpe trahentes
Nomen in emeritos tanta virtutis honores
Inſulerat ſe ſe medios, feſtumque colebant.
Ex ipſis devota domus præſtantis ab urſa
Eccleſiæ: vultumque ferens demiſſiùs altum
Feſta Columna jocis: necnon Sabellia mitis:
Stephanides ſenior: Comites: Aniballica proles.

(q) Fortè hìc veterum tricliniorum (de quibus nos in nota e ad §. 15. ſectionis 1. Partis 3.) veſtigium extabat.

re cœnam ejus diei, quæ vocantur cœnatica, non ſolùm in ſtationibus, verùm etiam per totum annum quandocumque (al. *quocumque*) *venerint Cardinales cantare miſſam cum Primicerio, & Cantoribus, vel aliis palatinis Clericis.*

SECTIO VII.

§. I. S. R. E. Cardinales participabant oblata S. Petro. De Cardinalis Epiſcopi Portuenſis portione juxta literas Johannis XIX.

CURSIM indicatis portionibus ad minores palatinos ordines pertinentibus, quid omnium nobiliſſimus acciperet, diſtinctè (uti copia dicendorum, nedum præcipua ejus dignitas poſtulat) veſtigandum; videlicet quid ſacer Cardinalium Senatus ex Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis ſecundùm poſtremorum temporum diviſionem conſtans. Cardinalis Epiſcopus Portuenſis primò ſeſe mihi offert. *Concedimus* (ajebat Johannes XIX. in literis ad Epiſcopum Sylvæ candidæ apud Ughellum to. 1. Ital. ſac.) *& confirmamus vobis . . . ſanctam diem ſabbathi ad baptiſmi ſacramentum celebrandum, & totum officium faciendum in eccleſia B. Petri Apoſtoli, & ſupra magnum altare, in quo toto venerabili altari, ſeu in confeſſione quidquid auri, vel argenti, vel pallii, vel ceræ, ſive aliarum rerum poſitum, vel oblatum: ab hora videlicet diei* III. *qua ingredi eccleſiam ad ordinandum, vel peragendum divinum officium vos volumus, & uſquequo expletam ſanctæ Dominicæ diei miſſam habueritis: per veſtros Curatores in veſtram, veſtrorumque ſucceſſorum . . deveniant poteſtatem. Et, quia uſque ad noſtrum tempus in præfata eccleſia S. Petri, a qua omnes eccleſiæ doctrinam acceperunt ſicuti a magiſtra & domina, dies Dominica palmarum, & dies cœnæ Domini tam irreverenter colebant, nec proceſſio cum palmis in ipſa die Dominica ibi fieret, neque in die cœnæ Domini Gloria in excelſis Deo diceretur, & in Paraſceve non tam reverenter, uti decebat, officium ibi fiebat; condoluimus, & meliorare hoc cupientes per vos, veſtroſque ſucceſſores ſtatuimus, ut omni annua die Dominica palmarum cum proceſſione ab eccleſia S. Mariæ Tranſtiberim* (a) *exeatis, & ve-*

(a) Legit *in turribus* editio 2. operis Ughelliani: *inter turres* Mabillonianus textus. Utrobique rectiùs. Quis enim credat, e titulo S.M. Tranſtyberim Vaticani templi functionum conſequentem proceſſionem prodiiſſe; e titulo, inquam, tam longe poſito, nec ullo modo baſilicæ Principis Apoſtolorum ſubjecto? Rubrica præfixa numero 8. orationalis antiqui S.Petri pag.8. cod.reſponſorial. &c. R.E. Card.

venientes ad magnum altare S. Petri celebrare, Gloria in excelſis Deo, dicere, ſanctum chryſma conficere, & quod ad Epiſcopum pertinet, agere volumus, & omni annua die paraſceve ſupra ipſum altare majus S. Petri totum officium reverenter, ut decet, vos ... facere volumus: quicquid auri, vel argenti, pallii, ſeu ceræ, vel aliarum rerum ſupra jam dicto ſacro altari S. Petri, ſive in confeſſione poſitum, aut jactatum fuerit, vel vobis oblatum ab hora, qua ipſa miſſa, & officium incboata fuerint, & expleta, per noſtros Cuſtodes in veſtram ... deveniant poteſtatem. In quibus quinque diebus, ſi vobis ... utile viſum fuerit, aliqui Diaconorum noſtrorum volumus miniſtrare in honorem B. Petri &c. Hæc Johannes XIX. (ſeu XX. juxta Mabillonium, qui to. 2. muſei relatas literas in leviuſculis ab Ughelliana lectione diſcordes cudit iterum) XVI. kal. Januarii Pontificatus anno III. ideſt Chriſti 1026.

Anno deinde 1033. Benedictus IX. novas dedit literas, quas profert laudatus Ughellus cit. to. 1. pag. 124. 1. edit. In illis lego. *Quæ uſualiter vobis in miniſterialibus altaris majoris* (S. Petri) *competunt, ſcripto vobis, veſtriſque ſucceſſoribus confirmamus. Idem in ſabbatho ſancto pro cœna* VIII. *ſolidos* XII. *denariorum, quales per tempora cucurrerint, percipiendos ... In unoquoque ſabbato* IV. *temporum duos, ſeu candela olei, & cereis pro unaquaque feſtivitate, in quibus ibidem pernoctare debetis. Item in feſtivitate S. Petri, & in octavis, & in Dominica in gaudete, in feſtis S. Andreæ, in Epiphania, in Aſcenſione, in Pentecoſtes, in feſtis S. Rufinæ triginta libras ceræ, & duo congiaria de oleo, & duas libras de olibano, candelas verò pendentes cum* (b) *clamiſtariis, & cicindellas* (c) *ad ſufficientiam, ſicuti ſemper fuit.* II. Ali·s Benedicti IX.

Romanus Canonicus ad num. 42. tit. *de conſuetud. major. hebdomad.* pag. 134. *Ex conſuetudine in majori hebdomada Dominus Epiſcopus S. Rufinæ jus, quod conſuevit habere; videlicet arcam, & altare, ex quo pulſatur ad matutinum, &* III. Et op·s Canonici Romani.

 uſque

Card. Thomaſii: *Dominica in palmis dicimus tertiam ad S. M. in turri, ubi palma benedicenda ſunt.* En unde vere prodiret poſt benedictionem proceſſio. Fefellit Ughellum explicata perperam nota *intres*, quia veteres amanuenſes *inter turres* deſignare conſuevere. V. pag. 130. d. codicis Thomaſiani.

(b) De *clamiſtariis* videndæ annotationes ad librum Pontificalem, quo ſæpè de his habetur mentio.

(c) De *cicindelis*, ideſt, lampadibus aliquid indiculus declaratorius exoticarum quarumdam vocum ſuppoſitus codici Regular. Holſtenii.

uſque ad finem, ſalva medietate Canonicorum, & Cantorum, quam habent in altari cum Domino Epiſcopo, & uſque dum finitur officium, & ex quo pulſatur ad miſſam; tota namque medietas oblationum, quæ venit ad altare, eſt alterius; ideſt, Domini Epiſcopi (altera medietas eſt inter prædictum Epiſcopum, & Canonicos eccleſiæ æqualiter dividenda; nam una pars eſt Epiſcopi) alia Canonicorum, alia Cantorum, ſi interfuerint conſtitutis officiis: ſi verò non interfuerint, eſt Canonicorum, ſervata priùs conſuetudine ad altare ſervientium, quæ nimirum conſuetudo debet eſſe de communi omnium partium, & Domini Epiſcopi, & aliorum. Die jovis ſancti, ex quo pulſatur ad officium matutinale, & miſſam uſque ad finem officiorum: ſimiliter & in die veneris ſancti: ſimiliter in ſabbatbo ſancto, ex quo pulſatur ad baptiſmale officium, nocte, & die tota babent jus ſuum, & uſque ad finem miſſæ majoris in Paſcba. Sic Romanus Canonicus ex editione Paulli de Angelis mutila, ſed quoquomodo a nobis ſuppleta per verba uncis ( ) incluſa, quæ ſuggeſſit Mabillonius in relatis pag. 162. cit. to. 2. muſei &c.

IV. *Epiſcopatus Sylvæ candidæ, & S. Rufinæ idem aliquando ac Portuenſis nunc dictus.*

Tribus jam ex productis teſtimoniis quis non eliciat, quota pars foret olim oblatorum S. Petro, quæ ad Epiſcopum S. Rufinæ, ſive Sylvæ candidæ pertineret, hoc eſt, ut appellavi ſuperiùs, ad Cardinalem Epiſcopum Portuenſem ſecundùm poſterioris ætatis notionem? Memorandum quippe, quod ante Calliſtum II. Epiſcopatus nunc Portuenſis dictus, ſeu integra ejus diœceſis quondam a duobus Epiſcopis regeretur, altero Portuenſi, altero S. Rufinæ, aut Silvæ candidæ. Portuenſis diœceſeos portio extendebatur per totam etiam Transtyberinam intromuranam regionem uſque ad pontem IV. capitum, ſeu inſulam Lycaoniam: quæ S.Rufinæ, per totam Leoninam civitatem. Propterea Epiſcopus Portuenſis in Tranſtyberinis omnibus eccleſiis ex privilegio Pontificum aliquomodo juriſdictionem exercebat: Sylvæ candidæ, ſeu S.Rufinæ Antiſtes in omnibus Leonini tractus. Unio duorum horumce Epiſcopatuum facta eſt per Calliſtum II. anno 1120., eaque confirmata per Hadrianum IV. ac ſtabilita per Gregorium IX. anno 1231. uti colligitur ex Gregorianis literis, & unionis hujuſmodi hiſtoria percurrenda cit. to. 1. Ital. ſacræ.

V. *Quæ jura Portuenſis Epiſcopi in eccleſias aliquot Urbis, præſertim Vaticanam.*

Explorata narro. Vide tamen, lector, ne juriſdictionem antiqui Epiſcopi Portuenſis, ac S. Rufinæ ex æquo in ſingulas eccleſias exercitam putes. Omnimoda Portuenſis exercebatur

Digitized by Google

batur in ſingulas, *exceptis* eccleſiis S. Mariæ, S. Chryſogoni, S. Ceciliæ, SS. Coſmæ & Damiani, & S. Pancratii, quod patulis vocibus proteſtantur pleræque literarum Apoſtolicarum ſuperioribus *§§.* allegatæ. In illis utique, ſi quid opus haberet manu Pontificis, a Portuenſi perficiebatur. Hoc authoritati ejus unicè datum. Epiſcopus S. Rufinæ, aliàs ceteris Leonianæ civitatis imperitans, apud Vaticanam explebat tantùm, quæ Romanus Pontifex in aliquibus ſollemnitatibus expleviſſet, niſi ea longè poſitus, ideſt ad Lateranum utplurimum olim conſiſtens, explere conſueviſſet in eccleſia Salvatoris. Lege literas integras Johannis XIX., ſeu XX., ex quibus concipi licet, quàm inſigniter fallantur Horatius Ciucciolus, Parochus S. Mariæ de Monticello, in notitiis hiſtoricis hujus eccleſiæ pag. 50. inter ſubjectas Epiſcopatui Portuenſi nullo habito diſcrimine collocans baſilicam S. Mariæ trans Tyberim: necnon Alverus Pelagius lib. 2. de planctu Eccleſiæ cap. 11. & qui eum in teſtem, authoremve adducit Angelus Rocca in ſpeculo epiſcopali (pag. 122. to. 1. operum edit. S. Michaelis ad ripam) reputantes, baſilicam Vaticanam ſubjectam fuiſſe Epiſcopatui S. Rufinæ, ſeu Portuenſi. Tranſtyberinus Calliſti Titulus, ſive S. Mariæ, nonniſi Cardinali, & Clero ſuis uſque ad ætatem noſtram morem geſſit ſub Romano Pontifice, exceptis indicatis, ſi quando iis indigeret, ſacris actionibus. Vaticanæ baſilicæ juriſdictioni præfuere ſemper Antiſtites ſummi cum Cardinalibus, & poſt illos Archipresbyter, & Clerus. Datum eſt reverentiæ, & honori Principis Apoſtolorum, ut ad ejus tumbam vice Succeſſoris alibi impediti nobilis Cardinalis Epiſcopus ſua quandoque ſervicia præſtaret.

VI. De Presbyteris hebdomadariis S. Petri, Cardinalibus potiſſimùm.

Honor idem in cauſſa fuit, ut Epiſcopo illi miniſtraturo deſtinarint Pontifices aliquot Cardinales Diaconos (quod apertè ſignat cit. diplomatis Johannis XX. locus) miniſterii ſocios, neque confundendos cum aliis quatuor, quos hebdomadatim adhibitos narrat Manlius Bollandiſtarum (cap. 4. num. 55. pag. 43. to. 7. Junii) ad prædicationem, & ad miſſas S. Petri, cantatas ſcilicet per Presbyteros, ut opinor, Cardinales. Quandoquidem indubium eſt, diebus ſingulis (demptis ſtationalibus, aut aſſignatis memorato Epiſcopo) celebraſſe quondam hebdomadarios Presbyteros apud baſilicam Vaticanam. Sed cavendum, omnes Cardinales fuiſſe arbitremur. Erant in baſilica Presbyteri ad baptiſmum, & pœnitentiam de-

deputati per Simplicium Papam, ſi Maphejus Veggius audiatur id affirmans libro 3. cit. hiſtor. memorabilum &c. num. 87. apud pag. 87. cit. to. 7. Junii, præter vulgatum ibi (pag. 41. & 43.) Manlium cap. 3. & 4. num. 38. & 55. quos Cardinales incautè vocat. Divina officia quotidie celebrabant, extra tamen principem aram. De his intelligendus locus libri pontificalis in Gregorio III. quo traditur, decreviſſe, ut in *oratorio* (honori omnium SS.) *dedicato intra eccleſiam B. Petri Apoſtoli ſub arcu principali a Monachis vigiliæ celebrarentur, & a Presbyteris hebdomadariis miſſarum ſolemnia*. Erant & ibidem, præter hos hebdomadarios Presbyteros minoris notæ, ſeptem Cardinales ad aram maximam (ſtata quiſque die) ſacrificantes. Qui autem fuerint, ita docet in excerptis Mabillonianis (cap. 31. tit. *de Epiſcopis, & Cardd. per Patriarchatus diſpoſitis* to. 2. muſei pag. 160.) Petrus Mallius. *Septem Cardinales presbyteri, qui ad ſacroſanctum altare B. Petri per hebdomadam miſſas celebrare debent, hi ſunt: S. Mariæ in tranſtyberim, S. Chryſogoni, S. Ceciliæ, S. Anaſtaſiæ, S. Laurentii in Damaſo, S. Marci, SS. Martini & Sylveſtri, qui vocantur tit. Equitii*. Non diſſimilia fert editus eodem tomo, & jam ſupra allegatus liber Johannis Diaconi de eccl. Lateranenſi cap. 16. pag. 584. &c.

VII. Num Epiſcopi Cardinales celebrarent olim ad altare Vaticanum.

Dies Dominica (juxta ordinem allati textus ceterorumque omnium) aſſignata apparet Presbytero S. Mariæ trans Tyberim; nimirum antiquioris, adeoque illuſtrioris Tituli: quod honori quoque conceſſum Principis Apoſtolorum. Neque ille & ſocii planam (ut appellant) miſſam celebrabant. Cum cantu, & ſollemnitate rem geſtam alia demonſtrant ſcriptorum ritualium loca. Unde non video, cur Michael (*d*) de Lonigo (pag. 200. relationis ſuæ de Confeſſione B. Petri per Bonannum publicatæ in calce deſcriptionis templi Vaticani) indefinitè aſſeruerit, ab Epiſcopis hebdomadariis Lateranenſis Patriarchatus ſollemni ritu quondam celebrari conſuetum die Dominico. Fortaſſis legit ad vitam Stephani IV. (al. III.) num. 284.

(*d*) Hic author, ſeu potiùs ejus relatio oſcitanter impreſſa corrigenda venit; dum oggerit: *Sù queſto altare (come aſſeriſce il Mallio) ogni ſettimana celebrar ſoleano un giorno per uno li Signori Preti Canonici di S. Maria in traſtevere, di S. Griſogono, di S. Cecilia, di S. Anaſtaſia, e di S. Martino ne' monti*. Corrigenda inquam; ſiquidem Mallius *Cardinales* notat., non *Canonicos*, addit Cardinalis S. Laurentii in Damaſo, nec eo ordine hebdomadarios illos diſponit.

num.284. libri pontificalis: *Hic conſtituit, ut omni die Dominico a ſeptem Epiſcopis Cardinalibus hebdomadariis, qui in eccleſia Salvatoris obſervant miſſarum ſolemnia, ſuper altare B. Petri celebraretur*. Sed hinc planas celebraſſe miſſas ad S. Petrum hebdomadarios Lateranenſes omnes, præter deputatum celebrationi ſollemni diei Dominicæ, manifeſtè deducitur, ſi textus attentè legatur. Aliàs quis affirmabit, *altare B. Petri* illic indicatum accipi non poſſe pro ipſo altari, ſuper quo primus Pontifex ſupremus antea celebraſſet? Illud non impropriè *S. Petri* appellavit Stephanus, quem non latebat Romana traditio de ligneo illius Apoſtoli altari ibi collocato.

VIII. Quid acciperet de oblatis S. Petro Cardd. hebdomadarii.

Quodſi librum pontificalem explicemus de Confeſſione Vaticana, dicendum, perpetuum non fuiſſe Stephani * decretum. Nam alicubi appareret, Epiſcopos Cardinales celebrationis cauſſa ſpeciatim participaſſe oblata Vaticana. Id quod apparet reſpectu *hebdomadariorum* Presbyterorum. Et verè participaſſe Presbyteros non Cardinales cum Monachis ætate vetuſtiori probant ea omnia, quæ Canonicorum fuiſſe proximioribus ævo noſtro temporibus ſupra narravimus. Non enim alii officio, & dignitate Canonici Vaticani, quàm veteres Presbyteri, & vigilias cantantes, quos Veggius commemorat: de quo nos latiſſimè in Opere de Hierarchia &c. Cardinalibus Presbyteris hebdomadariis ſingulis competebat integræ unius hebdomadæ oblatio. *Septem primas hebdomadas* (præſtat repetere jam notata (1) Romani verba) *accipiunt ſeptem Cardinales S. Petri*. Ad hæc: quilibet ex iſtis die, qua celebrabat, ex oblatis *piſces* (e) accipiebat ab hebdomadario

(1) Sect. 5. §. 5.

* Ex hoc Stephani decreto inducere videtur Holſtenius, quod inſtituti fuerint ab eodem Pontifice Cardd. hebdomadarii miniſtrantes per Patriarchatus. V. ejus notulam ad editam per Baronium ſub anno 1057. notitiam Romanæ Provinciæ &c. cuſam iterum apud Geographiam ſacram Caroli a S. Paullo cap. 8. lib. 2. pag. 34. edit. Amſterodam. anni 1704. Sed verba libri pontificalis novum a Stephano onus additum hebdomadariis Lateranenſibus innuunt, non eorum aliorumque inſtitutionem: de qua conſulendus Illuſtriſs. Blanchinus in notis ad vitas Damaſi, & Simplicii to. 3. Anaſt. Vaticani pag. 17. & ſeqq. ac pag. 176. ut omittam, quam poſt hæc ſcripta perlegi, eruditam diſſertationem Cajet. Cenni de Concil. Lateranenſi Stephani III. cap. 3. num. 8. & 9. ubi pars excutitur ejuſmodi quæſtionis alibi a nobis iterum tractandæ.

(e) Inter fundos eccleſiarum aliquot Urbis computantur piſcariæ, ſive jura piſcandi, unde *piſces* Clericis ea locantibus præbeantur, quod ex. gr. obtingit Canonicis S. Mariæ trans Tyberim, quibus jus eſt piſcandi in Tyberi, & quidem ſpeciali privilegio (ut oſtendunt literæ Martini, & Nicolai V. deſcribendæ in calce Ope-

Digitized by Google

rio integram obtinente hebdomadis rationem. Adi Romani locum (2) ſupra itidem relatum. Inſuper Cardinales hebdomadarii oblationem ſibi vindicabant ex miſſa diei Dominicæ provenientem, quod probant alia ejuſdem Romani (3) verba, quibus Diaconorum hebdomadam indigitat.

(2) *Ibid.* §. 7.

(3) *Ibid.* §. 5.

IX. Et Diaconi Cardinales ad altare Vaticanum.

Certè *Diaconi Cardinales* (ſive illi fuerint, qui hebdomadario Presbytero miniſtrarent, ſive qui Epiſcopo S. Rufinæ, ſive omnes inſimul iſti) *octavam hebdomadam* (ideſt ejus oblationes) lucrabantur, *præter* tamen (rurſum meminimus Romani locum) *dominicalem totius anni, quæ ad eos* (proximè ab authore nominatos Presbyteros Cardinales hebdomadarios) *ſpectat, excepta Palmarum, & Paſcha*, quam propriam fuiſſe Cardinalis Epiſcopi Portuenſis, ſive S.Rufinæ, aut Sylvæ candidæ diſertè tradebat diploma Johannis XX.

X. Ac alii regionarii, vel ſtationarii, aut baſilicarii.

Inter Diaconos Cardinales (ſi tamen omnes Cardinales) quatuor dicebantur *palatini, vel baſilicarii, quòd in palatio, & in baſilica Lateranenſi Papæ miniſtrarent*, uti notat Onuphrius in cit. opuſculo interpretationis vocum eccleſiaſticar. ubi de Diaconis. Fortaſſis & illi *baſilicarii* appellati, quòd per baſilicas diverſis conſtitutas regionibus Urbis ſtationes celebranti Pontifici famularentur, *ſtationarii* plerumque dicti, vel *regionarii*, quo potiſſimùm nomine ornatos Diaconos idem quoque ait Panvinius, & Mabillonius in commentario prævio ad Ordines Romanos &c. Quicquid fuerit, quum ejuſmodi Diaconi, diſtincti a ſuperiori §. memoratis, inſerviebant ad S. Petrum papalibus actionibus, utique participes erant oblatorum, quæ communia ſcholis omnibus fuiſſe ſupra (4) indicatum eſt.

(4) *Sect. præced.* §. 1.

Dia-

Operis num. 6. ac 7.) ornatum, & perveruſtum. Olim certè, præter *panem, vinum, carnem, crocum, gallinas, porcos, caſtratos, piper, caniſtra poponum, uvarum, & aliorum fructuum*, pars erant *piſces* proventuum eccleſiæ S. Petri. V. pluries allegatas Vaticanas conſtitutiones Nicolai III. An verò ex illis, qui hic dati aſſeruntur Cardinalibus? Crediderim ego potiùs emptos ex denariis oblatis, cujus conſuetudinis Romanæ aliunde tenemus exemplum; nempe, in diviſione oblatorum ad altare Lateranenſe, de qua documentum inſertum ſectioni 3. §. 10. Ceterùm & extra Urbem viguiſſe morem diſtribuendi quandoque *piſces* Clericis demonſtrat locus Beroldi rerum Mediolanenſis eccleſiæ antiqui ſcriptoris. *In vigiliis Pentecoſtes* (ſic ille apud Puricellum cap. 98. §. 13. diſſertationis Nazarianæ pag. 487.) *Sarcitectus emundat fontes, duo minores Hoſtiarii habeant aquam cum hydria ſumpta ab Archiepiſcopo. Et Archiepiſcopus ducit ad fontes, & quatuor Hoſtiarii debent habere octo panes ... & quatuor piſces, & quatuor fruſta caſei, & unum ſtanium vini.*

XI. Necnon ſimul reliqui Card. juxta Romanũ Canonicum.

Diaconi præterea ſua pariter fruebantur portione, quum totum Cardinalium collegium aliquid accipiebat. Authores rituales obſcuriuſculè circa hoc loquuntur. Sed audire non pigeat, quod ajunt aliàs profuturum firmandis pleriſque jam aſſertis. Romanus Canonicus num.41. pag.133. qua ſtationum Vaticanarum conſuetudines commemorat: *Cardinalibus, & Cappellanis D. Papæ cum aliis ſcholis medietas altaris, ex quo tualia extenditur ſuper altare*: paullò infra: *Cardinalibus quinque ſolidi denariorum papienſium in ſtatione, & tres ſolidi* (*lucenſes* addit non diſſimilis deſcriptio Mabilloniana) *pro reſponſoriis*. Sabbatho iv. temporum præter conſuetam portionem alia dabatur Diacono Cardinali: *In quatuor tempora* (Romanus inquit) *in unoquoque ſabbatho quinque ſolidi lucenſes Cardinali Diacono, Subdiacono, Cantoribus, Acolythis*. Sub numero 53. pag. 152. *In unaquaque iſtarum ſtationum ſcholæ palatii: Cardinales ſcilicet Presbyteri, Diaconi Cardinales, Subdiaconi, Cantores, Regionarii, Acolythi debent quinque ſolidos denariorum papienſium pro cœnatica. Archidiaconus debet accipere decem & octo denarios papienſes pro his, qui cantant reſponſoria, qui etiam denarii per manus ſuas expenduntur his, qui reſponſoria incipiunt*. Sequuntur producta (5) ſuperiùs: deinde: *Ad miſſam medietatem altaris prædictæ ſcholæ habent inter ſe, & Cappellanos Dñi Papæ uſque ad finem miſſæ: ſi verò Dñus Pontifex abſens fuerit, & venerit Cardinalis ſolus cantare miſſam, in quacumque ſtatione totam medietatem altaris prædictæ ſcholæ habent. Cardinalis verò, qui cantat miſſam, habet tertiam partem oblationis; ſed, ſi habet aliquem ſecum Cardinalem, non ſit ita; ſed oblatio, ſicut mos eſt, communiter dividitur per ſcholas*.

(5) Sect. 5. §. 11.

XII. Juxta Benedictum Canonicũ, ejuſque additorem.

Œconomiam harum oblationum, Papa celebrante, diſtributarum conciſiùs exhibet num. 7. Ordinis 11. Mabilloniani Benedictus Canonicus. *Cardinales, & Diaconi* (ſic ordo) *cum ſchola* (Cantorum) *Subdiaconi baſilicarii, & Subdiaconi regionarii, & Acolythi accipiunt quinque ſolidos denarior. papienſium, qui vocantur cœnaria, & Archidiaconus accipit* xviii. *denarios pro reſponſoriis, qui expenduntur per manus ſuas*: poſt varia de Domino hoſpitii, quæ præced. (6) ſectione retulimus: *Hic prælibatus ordo debet eſſe in omnibus nocturnis ſtationibus S. Petri: in diurnis verò dantur tantùm quinque ſolidi*. Additio ad hunc Ordinem, ſive ejus diverſa lectio occur-

(6) §. 13.

rens pag. 153. & ſeq. tom. 2. muſei &c. *In unaquaque earum* (ſtationum nocturnalium) *ſcholæ palatii: ſcilicet Cardinales, Diacones, Subdiaconi, Cantores, Regionarii, Acolythi debent habere quinque ſolid. den. de altari S. Petri. Archbidiaconus* XVIII. *den. pro his, qui cantant* LX. Adduntur his quotquot Ca-
(7) Sect. 5. §. 8. nonicis attributa jam (7) enunciavimus: ac ſtatim: *Si deerit Dñus Pontifex, & venerit Cardinalis ſolus cantare miſſam, in quacumque ſtatione totam medietatem altaris habent prædictæ ſcholæ. Cardinalis, qui cantat miſſam, habet tertiam partem oblationis; ſed, ſi habet aliquem ſocium Cardinalem, non fit ita; ſed oblatio, ſicut mos eſt, dividatur per ſcholas.*

XIII. Juxta Cencium Camerarium.

Cencius Camerarius tit. 39. Ord. 12. num. 65. pag. 204. cit. tom. 2. muſei &c. *In omni ſtatione... Cardinales, Subdiaconi, Primicerius cum ſchola Cantorum, ſchola Crucis, & Acolythi decem ſolidos ſic diviſos* (quomodo, videbitur ſect. 10. §. 1.) *in omni ſtatione, etiamſi Dñus Papa non interfuerit, & aliquis Cardinalis celebraverit, ibi de eodem altari* (S. Petri) *debent habere. Si verò Dñus Papa extra Urbem fuerit, & Vicarius, vel aliquis Cardinalis, ſeu aliquis extraneus Epiſcopus de mandato Papæ interfuerit, ibique divina celebraverit, ſimiliter debent de eodem loco decem ſolidi dari, & ille, qui tunc de mandato Papæ celebraverit,* X. (fort. XL.) *ſol. accipit de ipſo altari, quos Dominus Papa acciperet, ſi tunc celebraret divina.*

XIV. Quid etiam Vicarius, Camerarius, & Cancellarius Cardinales.

Vicarium, quem vocat Cencius, hic referre cenſeo non Epiſcopum illum, cui cura Cleri Romani ſecundi ordinis in pleriſque committeretur; ſed præfectum ſummæ rerum urbanarum Cardinalem, qui a Pontificibus abeuntibus conſtitui Romæ conſueverat, uti ferunt eccleſiaſtici annales. Ergo & iſte oblata participabat Vaticana, quod ſeorſim notandum erat; quemadmodum etiam, ſiquid peculiare foret Cardinalium Camerarii, & Cancellarii. Circa Camerarium hæc Cencius ad tit. 11. num. 23. pag. 178. cit. to. 2. &c. *Camerarius debet* (recipere de altari S. Petri) *tres denarios penſati balſami die cœna Domini*. De eodem, & Cancellario tit. 43. pag. 208. *Camerarius unam aquariciam clareti, &, ſi Cancellarius reſidet, debet habere aliam aquariciam; ſin autem, D. Papa ipſam habet. Hæc omnia de altari S. Petri accipiuntur*. Sermo ibi eſt de natali Principis Apoſtolorum. Diebus dedicationis eccleſiarum SS. Petri, & Paulli, aliiſque recurrentibus, eadem rerum ſpecies iiſdem conferebatur Cardinalibus. Quinetiam tunc Ca-

Digitized by Google

Camerarius cameræ ſuæ uſibus adhibendos *faſcios mortulæ* accipiebat, quod teſtificatur laudatus author ad titulum 47. *ſ. 76.* exſcribendo ſeq. ſectione (8). (8) §. 11.

SECTIO VIII.

§. I. Papa oblationū Vaticanar. particeps.

EPiscopus extraneus, poſt Vicarium, & Cardinalem *aliquem* indicatus a Cencio tanquam Vaticanorum oblatorum particeps, locum obtinere potuiſſet inter participantes, de quibus ſectione ſexta. Fortaſſis enim erat ex illis unus, quos ætas noſtra vocat Aſſiſtentes papali ſolio, celebrantes quandoque ritu ſollemni coram Apoſtolico, & Cardinalibus, ac a Pontificis menſa non alienos; proptereaque ſuo modo palatinos. Potuiſſet, ajo; niſi Cencius ipſe ſuggereret, portionem a ſe notatam ſpectaſſe ad Papam jure ſuo. Quod aliud nobis obſervandum monet; nimirum, ſummos Antiſtites partem quoque habuiſſe de donis prædeceſſori Petro collatis, quem etiam morem innuit tradita Pontifici, Cancellario non reſidente &c. Relege duo data duobus extremis *ſſ.* loca Cencii.

II. Eidem generatim omnes illæ reſervatæ.

Solis tamen hiſce teſtimoniis res tanta ſtabiliri non debet. Sanctiones Innocentii, Honorii, Eugenii II. & Innocentii III. Johannis XX. Benedicti IX. jam exhibitæ luculenter oſtendunt, omnia generatim accepta Vaticana oblata ſpectaſſe ad Sedem Apoſtolicam, ſive ſub poteſtate fuiſſe Romani Pontificis. Junge dictarum ſanctionum authoritati (ut miſſam faciam, quæ ab aſſertis aſſerendiſque infra emergere poſſet) authoritatem, ſeu teſtimonium diplomatis Innocentii IV. ſuperius (1) allegati. *Quia fel. rec. Clemens* (III.) *PP. noſter prædeceſſor, dum in minori officio conſtitutus Præneſtinæ eccleſiæ pie ſederet, in eccleſia veſtra* (alloquitur Innocentius Archipresbyterum, & Clericos S. Mariæ majoris) *palatium de proprio fecerit fabricari Præneſtino Epiſcopo, qui pro tempore fuerit, ipſum inhabitandum, aut aliis concedendum, ſeu a vobis aliquid poſtulandum omnem* (a) *interdixit .... quamlibet & facultatem, nec quiſquam de veſtris ſucceſſoribus alicui palatium ipſum concedere, aut pro eo, quod ipſum de proprio conſtrui fecerit, quidquid a vobis debeat poſtulari; ſed ipſum ita ad uſum* (1) *Sect.* 3. §. 8. &c.

K 2 *ve-*

(a) Sic in apographis a me viſis. Legendum fortè *omnem interdixit* actionem, *quamlibet* & facultatem.

veſtrum liberè babebitis in perpetuum, ſicut domos proprias obtinetis: addens præterea, qualiter apud eccleſiam veſtram a pueritia educatus fuerit, plurimùm in venerationem locum ipſum babens, quum fel. rec. Eugenius P P. III. de XII. *unciis oblationum B. Petri, & miniſterium* (fort. *miniſteriorum*) *tres uncias eccleſiæ B. Petri conceſſerit, ipſe de conſilio fratrum ſuorum de* IX. *unciis earumdem oblationum, quæ Sedi Apoſtolicæ remanſerunt, vobis, & per vos eccleſiæ ſupradictæ unam unciam dedit, conceſſit in perpetuum, & firmavit, detractis tamen conſuetis expenſis, quas fieri oportebit pro ipſius modulo quantitatis. Nos verò eorumdem prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inbærentes* (b) *tam conſtitutionis, quàm conceſſionis palatii, quàm etiam donationem unciæ ipſius ratam babemus, & eam futuris temporibus illibatam permanen. ſancimus*. Ita Innocentius, dum oblatorum partem communicat Capitulo S. Mariæ majoris, eorum ſummam integram Sedi Apoſtolicæ, ſibive reſervatam demonſtrans.

III.
Ex illis ſibi aliquid vidicabat. Quid annuatim acciperet peculiæ, ſeculo XII. deſinente.

Verùm partem aliquam hujus ſummæ non dedignati ſunt quandoque veteres Pontifices propriis, propriorumque ſacrorum uſibus dedicare. Seculo XII. quo vidimus Eugenium III. de reſervatis ferè omnium altarium, aliorumque locorum S. Petri oblatis quartam tribuentem portionem, ſeu tres uncias Canonicis Vaticanis, recipiebat ipſe ex divenditis rebus ad aram maximam collatis tres partes. Teſtis Canonicus Romanus. *Hæ ſunt* (inquit num.40. tit. *de conſuetud. Confeſſionis altaris S. Petri* pag. 131.) *quæ Dominus Papa de conſuetudine recepturus eſt ab illis, qui eunt ad Confeſſionem B. Petri pro tribus partibus, Canonici verò pro quarta parte*. Mabillonius cap. 38. excerptorum Mallii pag. 162. cit. to. 2. muſei legendum docet, *qui emunt*. Verè enim vendebantur ſpecies oblatorum ſuperfluæ, quod & Eugenianæ commonent literæ, & ipſa rerum natura poſcebat. Num oblatus candelarum, ſimiliumque plurium acervus poſt acceptam baſilicæ uſibus neceſſariam portionem reddendus offerentibus, aut intra gazophylacii, veſtiariique latebras inutiliter occultandus? Num pauperes, ceterique participes eo fraudandi erant ſubſidio?

IV.
Ac ſeculo ſequente.

Nicolao PP. III. orbi catholico præſidente, ideſt, XIII. declinante ſeculo, ad centum libras pecuniam mox enunciatam,

(*b*) Sic etiam in dictis apographis. Fortè legendum *tam conſtitutionis, quàm conceſſionis palatii* paginam, *quam etiam donationem*.

tam, veluti Romano Pontifici debitam, redactam fuiſſe, affirmare videntur ejuſdem literæ, ſeu conſtituta pro Clero Vaticano perſæpe citata. Nam prædeceſſorem Johannem XXI. donaſſe narrant Canonicis ad annos viginti *centum libras provenientes annis ſingulis de proventibus altaris præfatæ baſilicæ* (S. Petri) *Romano Pontifici debitas*.

V. Aliæ oblationes quotannis certis diebus, ac menſibus Papæ debitæ.

Tales inter partes oblationum non comprehendebantur, quas meminit ſparſim Romanus Canonicus. Numero 41. pag. 133. *a feſto S. Gregorii* (inquit) *uſque ad feſtum Pentecoſtes in unoquoque die* XII. *denarii papien. dantur D. Papæ, & mille libræ ceræ per ſingulos annos, & in unoquoque menſe, una aquaricia olei, & una libra olibani, ſi eſt in Urbe, vel extra Urbem per unam dietam*. Numero, qui ſequitur (tit. *de conſuetud. major. hebdom.* pag. 134.) ſubdit: *Item D. Papa* (accipit) *decem libras ceræ pro Agnis in S. Laurentio* (c) *de palatio una aquaricia olei, & una libra ceræ, & dimidio de olibano per menſem*. Notat inde tribuenda Oſtiariis, abſente Pontifice: poſtea: *In Purificatione B. Mariæ quinque libræ ceræ pro uncis* (ſeu *juncis*, aut *vinetis*, aut *vineis* juxta alias lectiones). Has ceræ libras cum aliis decem, & denarios Papæ fuiſſe datos ob conficiendos cereos benedicendos diſertè tradit Cencius (tit. 5. num. 10. pag. 172.) agens de ſollemnitate Purificationis. *Notandum* (ſic ibi) *quòd eccleſia S. Petri dat quindecim* (al. *decem*) *libras cereas pro his cereis*. Addit modò erutis e numero 42. Romanus poſt varia, vel memorata ſuperiùs, vel infra memoranda: *Pro eleemoſyna S. Rufinæ, & Sanctorum quatuor, & S. Clementis, & S. Pancratii unam aquariciam olei, & quinque libræ ceræ, & dimidiam de olibano, & in unaquaque hebdomada pro eleemoſynis pauperum undecim ſolidi lucenſes, dum ſtrata currit, & extra id, quod datur ejectis, & de olibano ſerviant Petro, & omnia jura obſervent*.

VI. Dilucidatio poſtremò dati loci.

Obſcurus hic Romani locus ſatis habet lucis, qua oſtendat, ad uſum eleemoſynarum papalium aliquid deſumptum olim ex maſſa oblatorum S. Petro. Quidquid ſit de traditis Pontifici pro diſtributione eleemosynæ agi ſolitæ, recurrente feſto S. Rufinæ, Sanctorum quatuor, S. Clementis, & S. Pancratii in eorum eccleſiis non procul a Lateranenſi palatio (*d*) ſitis

(c) Nempe S. Laurentii ad Sancta Sanctorum, de qua baſilica nos hic non ſemel.
(d) V. opera Raſponi, Rondonini, Martinelli, aliorumque Romæ ſacræ deſcriptorum.

ſitis celebrari conſueto, quæ tributa potiùs videntur in remunerationem actionis, quàm ut erogarentur pauperibus jam forſan ære pontificio donatis, clarum eſt, pro *ejectis*, ideſt, *leproſis* (juxta Bollandianos ſocios eam interpretantes vocem in opere Manlii to. 7. Junii num. 125. lit. *m.*) verè impenſam Vaticanam pecuniam, & iis, qui per viam Papæ occurrerent, quod probabiliter ſignificant indiga Œdipo verba, *dum ſtrata currit*. Ceterùm apertiſſimè eo loco Canonicus Romanus, pro eleemoſyna apud eccleſias S. Rufinæ, aliorumque Sanctorum datum aliquid ait; unde vix percipere queo, cur illinc deduxerit Rondoninus argumentum de aſſignato quandoque *presbyterio* pontificio Clericis S. Clementis. V. hiſtoriam hujus baſilicæ lib. 2. cap. 8. §. 5. pag. 268. ubi ſub nomine Petri Mallii verba Romani deſcribuntur.

VII. Quid ſingillatim Pōtifici daretur in ſtationib. Vaticanis.

Quando Papa ſtationes agebat ad S. Petri ſive diurnas, ſive nocturnas ſolidos viginti accipiebat de altari. In nocturnis quidem addebatur *expendium* Curiæ, & equorum. Additum aliquando & vinum. Benedictus Canonicus num. 7. (*de Dominica gaudete*) pag. 121. cit. to. 2. muſei. *Statio ad S. Petrum. Cùm D. Papa cum omnibus ſcholis ad veſperum venerit, ibique Dominus manet, tunc Dominus Pontifex accipit* XX. *ſolidos de confeſſione, & expendium Curiæ, & equorum ſuorum &c. Dominus Papa in nocturnis, ac diurnis ſtationibus accipit* XX. *ſolidos*. Additio Mabilloniana: *Dominus Pontifex accipit* XX. *ſolidos in nocturnis ſtationibus, quando accenduntur retia, & in diurnis, quando accenduntur candelæ*. Excerpta Petri Mallii cap. 27. pag. 158. cit. to. 2. &c. *Dominus Papa accipit* XX. *ſolidos denarior. papienſium. In nocturnis ſtationibus, quando accenduntur retia, & in diurnis, quando accenduntur quatuor candelæ per Capitulum ſimiliter*. Romanus Canonicus. *Quando Dominus Papa pergit ad S. Petrum in ſtationibus viginti ſolidi denarior. papienſium, &* (pro potu ſuo, ac Palatinorum, ut clariùs mox Cencius) *duo aquaricia clareti*. Sic num. 41. pag. 132. Sed num. 54. *Dominus Papa accipit per Camerarium ſuum viginti ſolidos denarior. papienſium, quando accenduntur* (e) *retia, & in diurnis, quando accenduntur* (candelæ) *quatuor*.

Si

(e) Lychnuchi inſtar *retis* nonnumquam *phari* nuncupati, aliis alii majores. Lege lib. pontificalem in Adriano ad num. 320. & 416. in Leone III. &c. Cangium in deſcriptione templi CPolitani S. Sophiæ num. 49. &c. An fuerint orbiculares, uti vult Mabillonius in ſuis notationibus ad Ordines, videant periti.

Si quæras obiter, quibus in ſtationibus inter nocturnas toties nominata retia accenderentur, interrogandus Mallius. *In Dedicatione, & in Aſcenſione* (ita loquitur cap. 37. excerptor. ad pag. 161. dicti to. 2. &c.) *& feſto S. Petri, & octava ejus, retia accenduntur: ſed rete magnum, quod eſt in atrio eccleſiæ, ſcilicet ante portam argenteam, in feſto S. Petri, & octava tantùm.*

VIII. Quibus in ſtationibus Vatic. accenderentur retia.

Viginti ſolidi, quos Romanus ait conſignatos Papæ, duplicabantur, ſi miſſarum ſollemnia per ſe ipſum celebraſſet. Id innuunt verba Cencii Camerarii. *Notandum, quod in omni ſtatione apud S. Petrum habet Dominus Papa* XL. *ſol. de altari, quando celebrat miſſam.* V. cit. tit. 39. num. 65. &c.

IX. Portio quædam tributorum Papæ in ſtationib. aliquando duplicata.

Alias portiones (præter deſcriptas) datas refert Papæ in ſtationibus nocturnis idem Camerarius, dum ſuper feſto moratur S. Petri. *Notandum* (ſic tit. 43. num. 71. pag. 208. &c.) *quod Dominus Papa debet habere duas aquaricias clareti, & duas vini ſtatim poſt veſperas, ut bibat cum Cardinalibus, & aliis, & duas ſarcimas* (f) (*ſeu ſalmas*) *mortulæ* (g) (al. *mortellæ*, quemadmodum ex Panvinio Mabillonius) *& pro implendo Domini Papæ ſaccone* (h) *debet habere* XVIII. *Hæc omnia de alta-*

X. Portiones aliæ Papæ traditæ in ſtationibus nocturnis.

(*f*) Legerem *duas ſarcinas*, aut *ſalmas*, vel *ſaumas* (quæ vox alibi occurret) menſuram ponderis conſtituentes *ſex faſciorum*, ut prodit locus Cencii §. ſeq. Italis nunc vocabula *ſalma*, *ſauma*, *ſoma* pro modulo regionum frequentantur. Aliàs vocabulum *ſauma* communius fuiſſe videtur medii infimique ævi ſcriptoribus. Meminit *ſaumarum de muſto* proceſſus judicialis anni 1243. quem legeſis in append. ad lib. 2. Fontanini de antiquitatib. Hortæ num. 18. pag. 403. edit. an. 1723. &c.

(g) *Mortula*, ſeu *mortella* eadem ac mirtus antiquioribus, ſpecies fruticis, cujus frondes, ramique ſpargi ſoleant feſtis occaſionibus per pavimenta aularum eccleſiarumque, & magnatum focis incendi, ejuſdemqne valde odori, ac notiſſimi. Unde mirabile, quòd huic loco ſequentem appoſuerit notulam Mabillonius: *Quid ſit mortella, ſeu mortula, aliis divinandum relinquo.*

(*h*) Gallis nonnulla turgidiori vocabulo exprimere, quæ reapſe aliis comparata minutiora ſunt, mos eſt illorum idioma callentibus compertiſſimus. Hunc Itali per tempora, quibus latinitas pœnè intermortua, aut propter crebras exterorum incurſiones, Imperiorumque viciſſitudines peregrinis, vel popularibus vocibus tropiſque fœdata erat, in aliquibus adoptarunt, maximè in *ſacconis* voce, quæ, licèt mole quidpiam præcipuum reſonet, quum paucis adjectis denariis *impleri* poſſet, refert, me judice, tantùm burſam, *ſacellum* (de quo vocabulo Cangius &c.) aptiùs appellandam. Cur autem *Domini Papæ* nuncupatur? Quia diſtinctum a *ſacello* per Eleemoſynarium delato. Pontifex olim in publicum progreſſurus, indutus etiam ſacris habitibus, crumenam oblongam ſub pectore versùs unum e lateribus pendentem gerebat, qua reponerentur excipiendi pauperum ſupplices libelli, & aliqua continetur pecuniæ ſumma iiſdem eroganda. Ejuſmodi uſus traditio vivit adhuc apud Ma-

tari S. Petri accipiuntur cum aliis, quæ, abſente potiſſimùm Cardinale Cancellario, Pontificis erant, ſicuti annotatum eſt ſectione (2) præcedente. Par etiam proventus eidem obveniebat in octava S. Petri: *Sciendum* (Cencius tit. 45. num. 73.) *quod in octava S. Petri omnia fiunt ut in feſto*. Mos idem in Aſcenſione, & Pentecoſte, ut teſtatur tit. 41. n. *69*. pag. 207. illuſtris Cardinalis, qui etiam ad tit. 4. num. *9*. (ne memorem quod tit. 1. num. 3. pag. *169*. ait de ſabbatho ante Dominicam *gaudete*) ſcripſerat. *In Epiphania pergit* (Papa) *ad S. Petrum, & omnia ibi facit, & recipit cum Cancellario, & Camerario, ſicut adnotatur in feſto Aſcenſionis, & octava S. Petri*.

(2) §. 14.

XI. Quæ & in diurnis, maximè Dedicationis baſilicæ, & feſti S. Marci.

In diurnis ſtationibus non abſimilis uſus vigebat, eodem florente authore. *Papa debet habere de altari duas aquarias clareti, & unam Camerarius, & quartam Cancellarius. De oblatione verò altaris fiet, ſicut in feſtivitate B. Marci ſcriptum eſt. Et debet habere Papa ſex faſcios mortulæ pro camera ſua, & quatuor pro camera ſua Camerarius, &* XII. (fort. XVIII.) *denar. pro implendo ſaccone Domini Papæ. Et ſicut præmiſſum eſt in feſto S. Petri, accipiuntur omnia hæc de altari*. Ita Cencius (al. cit. tit. 47. num. *76*.) differens de ſtatione diurna dedicationis baſilicarum SS. Petri, & Paulli, unàque nos remittens ad feſtivitatis S. Marci (alius ſcilicet ſtationis diurnæ) jam a ſe deſcriptos uſus.

XII. Uſus hujus poſtremæ ſeparatim deſcribendi.

Ergo de iis eloqui tempus. Quid ipſe Cencius, imò, opportunitate data, quid alii authores circa diſtributionem oblatorum in hac percelebri ſollemnitate fieri ſolitam, conjunctaſque conſuetudines ſcripſerint; uno quaſi ſpiritu exponen-

Magiſtros ceremoniarum ſacri Palatii, ut mihi multoties teſtatus eſt iiſdem clariſs. Præfectus Johan. Bapt. Gamberuccius. Quinimò juxta illum ab eo neſcio quis ritus promanans ſupereſt, qui & uſus, & traditionis documentum, teſtiſque perennis erit. Videlicet, quum Papa ſolio ſedens in Cappella poſt promulgatam indulgentiam benedicit adſtautibus, Protonotarius Apoſtolicus elevat genuflectens unam partem fimbriæ pontificalis manti, haud neceſſaria (quod ajebat Præſul eruditiſſimus) ceremonia, quæ nulla ratione concipi poſſet, nec tam religioſè ſervaretur, niſi conjiceretur, eam reſiduum eſſe non inutilis olim actionis attollendi pendentem crumenam, impedimento futuram Pontifici brachia ſublevanti, ſeſeque undequaque vertenti, ſi liberè profluxiſſet. Forſan crumena illa ſuſtinebatur per baltheum, qui Papam etiamnum circumcingit, & *ſubcinctorium* appellatur, de quo nos alio in Opere. Nunc diſtribuenda ſiqua ſit pecunia pauperibus per viam, a pontificio Eleemoſynario, aliove Officiale diſtribuitur. Quamquam non defuerunt ætate mea Pontifices propria manu publicè ſubvenientes accurrentibus egenis. Profectò ſcio id egiſſe non ſemel Clementem XI. apud caſtrum Gandulphi, valetudinis gratia, præſertim anno 1715. ruſticantem.

nendum. Fas equidem fuerat ferè ſingula, quæ ad iſthæc pertineant, ſuperioribus deſcriptionibus annectendi, quin aliqua annexa ſunt. Sed hoc obiter, aut generatim nimis, & neceſſariò quandoque factum. Illud omiſſum, quod ob rerum quamplurium diverſitatem, ac multiplicitatem, aliorumque præcipuam notitiam valde implexam reddidiſſent orationem. De cetero, quæ ſequenti Parte dicentur, an a reliquis ſejunctim hujuſmodi uſus perluſtrari deberent, Sapientibus manifeſtabunt. Ad propoſitum.

SECTIO IX.

§. I. Clerici Urbis in propriis eccleſiis, aut cappellis die 25. Aprilis collectam agebant.

DIE 25. Aprilis ob ſollemnitatem litaniæ majoris, & memoriam B. Marci Evangeliſtæ, ſtationemque ad Vaticanum Pontificis, ac univerſi Cleri populique præſentia decoratam celeberrima quilibet Romanus Clericus non palatinus (ne de Monachis, aliiſque, ſiqui forent, religioſis, magiſque regularibus viris quidpiam attingam) ad propriam, cui adſcribebatur, eccleſiam, vel juris ejuſdem proximam cappellam, collectam habebat, populumque accibat, ut illinc ritu ſupplicabundo procederet. Peculiares hujus diei Romanorum Collegiorum conventus plura comprobare poſſent, quæ congeremus in opere de Hierarchia &c. Memorare hic haud negligam, quod ad conventum Cleri S. Petri referri debeant duarum veterum ſcriptionum teſtimonia, primum acceptum ex reſponſoriali, & antiphonali Thomaſiano, alterum ex muſeo Mabillonii. *In letania majore ſtatio ad baſilicam B. Petri. Ant. ad collectam in eccleſia S. M. in tres* (ideſt, *inter turres*) (a) Sic reſponſorialis &c. pag. 109. *In letania majore ſtatio in baſilica B. Petri, ad collectam in eccleſia S. M. in turres*. Sic index collectarum, & ſtationum S. R. E. juxta lectionem duplicis membranacei codicis Vaticani, ſive Ordo 16. pag. 148. tom. 2. muſ. Ital.

II. Illinc procedebant ad titulum S. Marci.

Convocatis ſingulis, elatiſque crucibus, unumquodque Collegium procedebat vel ad locum maximæ collectæ ſtatim, vel poſt exceptum Lateranis, deductumque illinc Pontificem cum Curia. Locus generalis collectæ erat eccleſia, ſeu titulus S. Marci. De procedentibus illuc rectâ Benedictus

(a) V. annotationem a ſuppoſitam §. 1. ſectionis 7.

Digitized by Google

Canonicus: *In letaniis majoribus omnes Cruces Romanæ civitatis cum Clero, & populo cum proceſſione procedunt ad S. Marcum.* Num. 56. Ord. 11. pag. 145. cit. to. 2. muſei &c.

III. De Papa illuc procedēte a Lateranis cum Curia, & Clericis aliquot Patriarchalium Benedicti Canonici teſtimonium.

Ejus ætate Lateranum priùs petebant, quo, ut modo ajebam, excipiebant, ac inde comitabantur Papam (præter Lateranenſe) Patriarchalia collegia S. Petri, & S. Mariæ majoris. Quod his verbis tradit laudatus Benedictus: *Interim convenientibus omnium Patriarchalium Canonicis cum ſuis crucibus in baſilica Salvatoris, quæ vocatur Conſtantiniana.. Primicerius cum ſchola incipit antiphonam: Domine Deus noſter: deinde Lateranum eamdem antiphonam: poſtea S. M. major: in quarto loco S. Petrus.* Num. 57. pag. 146. &c.

IV. Aliud Cencii Camerarii.

Tempore tamen Cencii in aſſociatione Pontificis collegio S. Petri Clerus Patriarchalis S. Laurentii extra muros ſubſtitutus erat; idque, opinor, in gratiam propinquitatis locorum. *In feſto S. Marci* (hæc Cencius, ex quibus variatio colligitur) *in letania majori SS. Dominus Papa deſcendit cum Epiſcopis, & Cardinalibus univerſis, & aliis ordinibus ad eccleſiam Lateranenſem: ibi veniens poſt altare, & cantata tertia, induunt ſe omnes planetis, & excalceati* (b) *ordinantur in proceſſione ab Archidiacono, & Subdiacono baſilicæ, & Priore Subdiaconorum habentibus in manibus ferulas.. Primicerio præſente cum ſchola, & ſuum officium exercente, ſicut convenit in collecta. Sicque proceſſionaliter eccleſiam exeunt, cruce S. Laurentii foris murum præcedente, & deinde cruce S. Mariæ majoris, quæ de conſuetudine diei talis ad eccleſiam Lateranenſem debet afferri: tertia fertur crux ejuſdem eccleſiæ Lateranenſis: poſt has verò crux quotidiana Domini Papæ. Sic autem feruntur ordinatè uſque ad S. Marcum.* Tit. 39. num. 63. pag. 203. cit. to. 2. muſei Italici.

An-

(*b*) In proceſſionibus, præſertim pœnitentialibus, hic erat uſus antiquus (ut ſcripta liturgica, & eccleſiaſtica hiſtoria docent) quem renovarunt nonnumquam recentiores Pontifices. Anno 1518. 14. Maii Leo X. poſtulaturus a Domino pacem inter chriſtianos Principes, roburque adversùs Turcas, cum Cardinalibus (paucis *ſenibus* exceptis) proceſſionem egit, *nudatis pedibus*, quod ex Ægidio Viterbienſi narrat Bonannus pag. 165. to. 1. numiſmat. Romanor. Pontiff. Meminit Leonianæ ſupplicationis actæ ab eccleſia S. Petri ad S. Mariæ ſupra Minervam, qua delatæ ſint reliquiæ Sanctorum, & imagines, Clero aſſociante, & Papa *diſcalciatis pedibus* progrediente, Rainaldus ad annum 1517. n. 47. *Noſtra memoria Clemens VIII. in ſupplicatione pro exorando lumine ad conciliandum eccleſiæ Henricum IV. proceſſit nudipes*, inquit Theophilus Raynaudus in heteroclitis ſpiritualib. P. 1. ſect. 2. puncto 8. num. 15. pag. 206. col. 2. to. 15. oper. edit. an. 1665.

Digitized by Google

Antequam verò illuc pervenirent, multa per viam accidebant, quæ memoranda ex parte veniunt, præcipuè narrata ab authoribus de Pontifice alicubi quieſcente. Benedictus cit. num. 57. *Cùm venerit proceſſio ante coloſſæum, Subdiaconus regionarius incipit ſeptiformem letaniam. Baſilicarii reſpondent illud idem uſque ad ſeptimum. Cùm autem venerit uſque ad S. Mariam novam, in præparato lecto Dominus Pontifex cum Epiſcopis, Cardinalibus, & Diaconibus quieſcit, donec letania finiatur. Qua finita, ſurgit Pontifex ... Redeunt omnes in proceſſione per viam ſacram ad clivum argentarii ... Subdiaconus incipit quinqueformem letaniam eo ordine, quo priùs, uſque ad lectum ante S. Marcum, ubi Dominus ſe pauſat, ſicut in primo.* Cencius poſt allata verba: *Cùm venerit Dominus Papa cum proceſſione ad eccleſiam S. Clementis, ibi quieſcit in lecto, ſuperpoſito tapete, & herbis circumquaque poſitis, quæ tamen fiunt a Clericis S. Clementis. Poſtquam verò quieverit, ſurgens vadit prædicto modo uſque ad eccleſiam S. Mariæ novæ, ubi unus de ſchola Crucis cantat litaniam. Surgens pergit prædicto modo uſque ad eccleſiam S. Marci, ubi, ſicut ſuperiùs dictum eſt, requieſcit*. V. cit. tit. 39. num. 64.

V. Ritus obſervati, Papa iter agēte ad S. Marcum.

Ecce quàm verè, & qua ratione Pontifex, & Clerus univerſus cum populo poſt peculiares habitas collectas in unam convenirent ad S. Marci inſtitutam. Ex quo obiter advertere poterit lector ſagax, ſcitène, an contra, loquatur Panvinius in libello ſtationum ſcribens: *In litaniis majoribus in die S. Marci olim collectio erat Laterani, nunc ad S. Marcum; ſtatio verò ad S. Petrum*. Dicendum meliùs, *olim in Lucinæ*, quod ſuo modo verum, ut probabunt infra (1) notanda.

VI. Panvinius notatur.

(1) P. 2. ſect. 3. §. 13. & 14.

Univerſis itaque in Titulo Marci collectis, ad S. Petrum procedebatur. Agmini præibant Clerici eccleſiarum non Patriarchalium cum Monachis, etiam Patriarchalis S. Paulli. De his omnibus præcipuè Benedictus cit. n. 56. pag. 146. &c. *Exeuntes de eccleſia redeunt ad proceſſionem per viam cantando antiphonas, & pſalmos, & in ſtatutis locis letanias, ſicut mos eſt, uſque ad S. Petrum*. Sequebantur eoſdem reliqui Clerici cum Pontifice, & palatinis ordinibus e quiete aſſurgentibus.

VII. Ab eccleſia S. Marci univerſi procedebant ad S. Petrum.

Qua autem methodo incederet, quidve ſingulare ageret uſque ad ſtationem poſtrema hæc acies, enarrent alii, præſertim Cencius. *Poſtquam* (Papa) *pauſaverit* (ad S.Marcum) *ſurgit* (ſic ille poſt locum ſupra (2) deſcriptum) *& memorato* mo-

VIII. Quæ agerentur per viam, & qua methodo juxta Cencium.

(2) §. 5.

modo incedit uſque ad locum, qui Parion nuncupatur, cruce S. Petri, quæ de conſuetudine ipſa die apud S. Marcum debet afferri, poſt crucem S. Laurentii, & ante crucem S. Mariæ majoris in ordine præcedente. Ibi autem Dominus Papa prædicto modo quieſcit, & poſt quietem incedit, ſicut priùs præmiſſum eſt, uſque ad pontem S. Petri: & ſuper gradibus vergens faciem ad Orientem primitus intrat eccleſiam: Primicerio cum ſchola Cantorum, Te Deum laudamus, cantante: factaque oratione poſt, Te Deum laudamus, ſuper rota (c) *in introitu quaſi eccleſiæ, pergit ad ſecretarium, & ablutis pedibus, ibi indutus, ſicut moris eſt, ad altare pro miſſa cantanda accedit.*

IX.
Et Mallium.

Mallio ſcribente, quieſcebat Pontifex juxta eccleſiam S. Mariæ Virgariorum. *Ante eccleſiam S. Mariæ Virgariorum eſt quoddam aliud cantharum* (ſeu *tabernaculum*, interpretante Martinello) *in quo de conſuetudine ſchola Virgariorum præparat lectum Domino Papæ in letania majore*, ait Mallius apud Grimaldum relatum a dicto Martinello cap. 12. Romæ ex ethnica ſacræ, qui collocat S. Mariam Virgariorum juxta gradus S. Petri, uti teſtatur ejus locus ſuperiùs (3) datus.

(3) *Sect.* 6. §. 2.

X.
Ac Benedictum Canonicum.

(4) §. 5.

Benedictus Canonicus poſt deſcriptum Papæ acceſſum ad S. Marcum, de quo (4) ſupra, *deinde revertuntur*, inquit, *in proceſſione uſque ad arcum triumphalem* (d) *Theodoſii, ubi incipit triformem letaniam uſque ad lectum in ponte Adriano. Venientes ad S. Laurentium in porticu majore, ubi incipit ſimplicem letaniam uſque ad lectum cantari ante S. Mariam in virgari* (al. *Virgariorum*) *in fine cortinæ.*

XI.
Papa baſilicam adibat ſtationalem miſsã cantaturus.

Nil habent Mallius, & Benedictus antiquiores Cencio circa ablutionem pedum. Sed, quod Camerarius narravit, indubium eſt. Non ita, quod profert Turrigius cap. 13. hiſtoriæ martyrii S. Theodori pag. 202. *Il Papa, quando in alcune giornate andava in proceſſione da S. Giovanni a S. Pietro a piedi ſcalzi, gionto a tal chieſa* (loquitur ibi de S. M. nova) *ſedendo ſopra il letto, ſe gli lavavano i piedi*. Utut eſſet, lotis pedibus, Papa cum ceteris baſilicam, & altare miſſam ſtationalem cantaturus petebat, ſicuti præmonitum ex Cencio. De hoc autem ſic Benedictus: *Finita letania, aliiſque officiis, aſcendit ad*

(c) Ideſt, rota *porphyretica*, de qua ceremonialia, & eruditi, præſertim Turrigius de cryptis cap. 8. pag. 520. edit. 2.

(d) Quo loco ſitus hic arcus, colligitur ex deſcriptione viæ ſacræ memoranda P. 3. ſect. 7. §. 13. not. *b*.

ad baſilicam S. Petri, ubi eſt ſtatio. Ibique Dominus Pontifex cantat miſſam. Num. 58. pag. 147. &c.

XII. An huic miſſæ adſtarent Clerici Urbis?

Ad hanc miſſam, ſtationemve omnes ordines Romanæ Curiæ, ſeu Palatii conſtitiſſe nemo ambigit. Nec ambigendum, quin etiam ætate Benedicti, aliorumque ex allegatis adſtiterint univerſi Urbis, maximè Patriarchalium, & Cardinalium eccleſiarum Clerici. Nondum prorſus exſoleverant, meo judicio, vetuſtioris mores, qua certe conſiſtebant ad ſacras Pontificum actiones, quotquot ſub Cardinali minores Presbyteri, ac Diacones urbanis templis, paræciiſve miniſtrabant, habebantque (quod excellentius) in Synodis Romanis ſuffragii prærogativam, ſicuti in opere de Hierarchia &c. dilucidè monſtrabitur; ideſt, Clerici eorum prædeceſſores maximè, quos paſſim Canonicos nunc appellamus. Poſtremorum temporum praxis eſt, ut palatini ordines pontificiis functionibus interſint, excluſis ceteris, qui tamen nonnumquam ſeſe aliquomodo redintegratos eſſe lætantur veteri honore. Sic ex recenti conceſſione ad exercendum officium Presbyteri aſſiſtentis Cardinalibus ritu ſollemni ſacrificantibus per papales, quas vocant, Cappellas eligitur unus ex Canonicis Lateranenſis eccleſiæ, unus ex Canonicis Vaticanis ad officium Diaconi, Subdiaconi verò unus ex Canonicis Liberianis. V. literas Alexandri VII. apud collectiones litterarum Apoſtolicarum, &, aliis miſſis, apud Raſponi opus de baſilica Lateranenſi. Sic anno 1725. die 29. Martii feria v. majoris hebdomadis juſſu SS. D. N. Benedicti XIII. ſacra olea conficere volentis in ſacello apoſtolico Vaticano, & citra incommodum nobiliorum Ordinum, acciti ſunt ad miniſtrandum Pontifici vigintiſex Canonici eccleſiarum Urbis. Quatuor e qualibet trium Patriarchalium ſelecti ſunt ad miniſterium duodecim Presbyterorum, qui juxta præſcriptum Romani Pontificalis ſacræ coadjuvant actioni. Septem Canonici duarum inſignium Urbis Collegiatarum, ideſt, S.Mariæ trans-Tyberim, ac S.Laurentii in Damaſo, ſeptem Diaconorum munus explevere, quatuor evocatis de Tranſtyberina, utpote numeroſioris collegii, tribus de Damaſiana. Septem Subdiaconi fuere Canonici priorum ſeptem minùs illuſtrium Collegiatarum, qualibet unum tranſmittente. Sic & eodem anno (mox elapſo) viſum eſt conveniens, ut Concilio Lateranis celebrato ferè totus adſtaret Romanus

ſe-

ſecundi ordinis non palatinus Clerus, de quo non unum tenebit poſteritas.* documentum. Aliàs quàm verè idem Clerus præfata ætate perſeverarit in ſtatione apud baſilicam Vaticanam die S. Marci, pandent dicenda extremis ſſ. ſequentis ſectionis.

XIII. Officiales Papæ deſcribebāt collegia Clericorū ad Vaticanum accedentia.

Mos alius hujus diei, qui Clerum reſpicit, apertiùs deprehenditur ex laudatis ſcriptoribus. Ad ingreſſum baſilicæ eccleſiarum accedentium nomina diligentiſſimè per Officiales Papæ notabantur. *Prior baſilicarius, & ſcriniarius ſcribunt omnes cruces*, inquit Benedictus num. 58. pag. 147. &c. *Notandum, quod unus de Subdiaconis, alter de Acolythis juxta diſpoſitionem prioris baſilicæ debent ire ſummo manè ad S. Petrum, & ibi cum uno de Scriniariis exiſtens ſcribere univerſa nomina eccleſiarum, quæ cum crucibus ad eamdem eccleſiam venerunt in proceſſione*. Hæc Cencius tit. 39. num. 65. pag. 204. &c.

SECTIO X.

§. I. Pontifex, & ordines Curiæ die S. Marci portione oblatorū donabantur, quæ *presbyterium* appellata ex Cencio.

TAM verò hujuſmodi pontificii miniſtri, quàm ceteri ferè omnes, qui ad baſilicam acceſſiſſent, ſtetiſſentque in ſtatione, operamve impendiſſent quoquo modo ſuam, aliquid lucrabantur oblatorum S. Petro. De Pontifice, & Curiæ ordinibus idem Camerarius: *Univerſi Mitrati* (a) *quadraginta ſol.* (accipiunt) *in* PRESBYTERIO, *qui de altari* (S. Petri) *habentur*,

* Videndus liber Taurini editus anno 1728. inſcriptuſque, *Diario del Concilio Romano*, ut prætercam communes cuique ephemeridas typis urbanis vulgatas per Chracaſium ad annum 1725. &c. Nunc teſtem oculatum audire præſtiterit. *Juſſione SS. D. N. Papæ Benedicti XIII. convocato* (Concilio) *admiſſi ſunt ad illud non ſolùm S. R. E. Cardinales, Archiepiſcopi, & Epiſcopi multi, Abbates, & Procuratores abſentium hujuſmodi antiſtitum, qui omnes ſuffragia ferrent; verùm etiam admiſſa ſunt collegia Canonicorum trium Patriarchalium, nempe S. Johannis lateranenſis, S. Petri in vaticano, & S. Mariæ majoris, collegia Canonicorum duarum inſignium Urbis eccleſiarum, nempe S. Mariæ Tranſtyberim, & S. Laurentii in Damaſo, necnon Camerarius Cleri, uti repræſentans reliquum Clerum, a quo eligitur; & inſuper tres animarum Rectores, ſive Parochi, qui omnium Rectorum Urbis corpus repræſentarent. Hi verò, licèt ſuffragium non tulerint, in ſacris actionibus, & ſeſſionibus conciliaribus, choralibus habitibus induti, ſederunt poſt Patres ſacris indumentis ornatos*. Ita pius, eruditusque Johan. Marangonius to. 1. theſauri Parochor. lib. 1. cap. 33. pag. 91.

(a) Hoc eſt (præter Cardinales mitratos &c.) Epiſcopi, & Abbates, potiſſimùm qui Papæ aſſiſtebant, ac pars erant ordinum Curiæ. Qua de re alio in Opere &c.

tur, & inter omnes æqualis proportionis libramine dividuntur. Item Cardinales mitrati ſolummodò cum Primicerio, & ſchola ſua Cantorum, & Subdiaconorum, & ſchola Crucis, & Acolythis decem ſol. habent eadem die de prædicto altari, qui taliter dividuntur a priori Diacono Cardinali, in cujus manu traduntur. Statimque inprimis Presbyteris Cardinalibus XX. *den., deinde Diaconis Cardinalibus* XX. *den. poſtea Subdiaconis* XXII. *den. ſcholæ verò Crucium* XXII. *den. ultimò Acolythis* X. *den. Ad hoc Dominus Papa habet* XL. *ſol. eadem die, & eodem loco*. Sequuntur, quæ jam ſupra retulimus veluti aliis ſtationibus communia: ſubinde: *Decem ſol. qui Mitratis dantur, etiamſi Dominus Papa erit extra Urbem, de eodem loco ipſis, ſi interfuerint, exhibeantur. Si autem in Urbe fuerit, & non perrexerit in proceſſione, ſeu celebratione, nihilominus habent*. Tit. 39. num. 65. pag. 205. &c.

Numero ſequenti alias meminit largitiones Cencius itidem ſupra, eademque de cauſſa deſcriptas. Paucioribus rem exequutus erat Benedictus cit. num. 58. pag. 147. &c. *In hac ſtatione habet Dominus Pontifex* XX. *ſolid. denarior. papienſ. Cardinales verò, & Diacones, & Primicerius cum Cantoribus accipiunt* XL. *ſolid. lucenſes*. II. Benedicti Canonici locus eamdem portionem ſignans.

Canonicus Romanus, ubi expoſuit, quid acciperet Pontifex, quum pergeret ad S. Petrum (quod præced. ſectione relatum) ſatis indicavit, quota foret ejus pars in ſtatione majorum litaniarum, nimirum ſolidorum viginti. Ceterorum portionem ſubobſcurè, & conciſè ſic indicat num. 42. pag. 134. cit. toties operis: *In litaniis majoribus* XXVII. *libræ pro* PRESBYTERO *Crucum, & lectis, & lobiis, Epiſcopis, & Cardinalibus, & omnibus ſcholis palatii*. III. Alius Canonici Romani.

Ad vocem *libræ* addit *lucenſes* fragmentum Mabillonianum loco Romani conforme. Legit PRESBYTERIS *Crucum* Manlius Bollandiſtarum num. 125. Ego legendum judico *pro* PRESBYTERIO *Crucium*. Quidquid ſit, ibi Romanus ſummam pecuniæ diſtribuendæ ordinibus palatii, aliiſque ad XXVII. libras ſolidorum lucenſium redigit. Ex his verò vigintiquinque pro ſolis Clericis, ſeu eccleſiis, quas *per Cruces* deſignat ſtylo ſequiorum temporum laudatus Canonicus, inſumptas tradit Camerarius. *Sciendum, quod unaquæque eccleſia, quæ eadem die pergit proceſſionaliter ad S. Petrum, habet de* XXV. *libr. den. quæ de altari S. Petri propter hoc accipiuntur..... Cleri-* IV. Clero ſua portio oblatorum tradebatur. Quæ ejus ſumma.

ri-

rici (b) *Vrbis ſemper habent ſupradictas libras* XXV. *ſive Dominus Papa ſit in Vrbe, ſive extra, ſive cantaverit, ſive non, quæ diſtribuentur, ut inferiùs deſcribentur*. Tit. 39. num. 65. pag. 205. &c.

V. Diviſio ejuſdem portionis, quæ & *presbyterium* dicta.

Pro *lectis*, & *lobiis*, quid innuat Romanus, haud nunc inquiro. Audire juverit Cencium prænunciatam deſcriptionem partitionis poſteris declarantem. *De* PRESBYTERIO *dantur inprimis S. Petro* XX. *ſol. S. Johanni Lateranenſi* VI. *ſol. S. Virgini Mariæ majori* V. *ſol. S. Lautentio foris murum* V. *ſol. unicuique Cardinali* (ideſt eccleſiæ, ſive Titulo cardinalari) III. *ſol. illis exceptis* (ſcil. S. Clementis, & S. Marci juxta (1) narrata) *qui lectos in proceſſione parant, qui propter hoc* XVI. *den. ampliùs habent. Vnicuique Diaconorum* (ſubintellige eccleſiæ Diaconorum Cardinalium) II. *ſol. excepta S. Maria nova, quæ pro lecto ultra* XII. *den. habet: & excepta eccleſia S. Theodori*,

(1) *Sect. præced.* §. 5.

(*b*) Nimirum eccleſiarum Urbis principes miniſtri, præſertim Canonici. Modò *Archipresbyter*, & *Canonici*, modò *Archipresbyter*, & *Clerici* dicuntur, qui Titulo Marci miniſtrabant, ab authore antiquæ relationis translationis corporis B. Marci PP., quam legi cap. 9. Romæ ex ethnica ſacræ Martinelli. Liberianæ eccleſiæ Canonicos vocatos inveni *Clericos de Patriarchia S. Maria majoris* lib. 2 hiſtor. Radevici cap. 67. Promiſcuè *Clerici*, & *Canonici* appellantur anteceſſores mei in authenticis documentis S. Mariæ trans Tyberim. Vide duo ſeculi XI. quæ deſcribam in calce Operis num. 8. & 9. ac poſtea, nedum quod hic intendimus comprobare, obſerva curſim, quàm ſuaviter ſomniaverit Daniel Papebrokius ad ea verba paſſionis S. Quirini Sciſcienſis Epiſcopi e Vaticano codice vulgatæ tom. 1. Junii Bollandiani (*ibi* (ad Catacumbas) *venerabile corpus ejus diu latuit; ſed Spiritu Sancto diſponente, qui non patitur Sanctorum ſuorum gloriam occultari, tempore Innocentii II. Papæ eccleſiæ S. Mariæ Tranſtyberim fundentis oleum fundatoris, quando eadem eccleſia fabricabatur, eodem Spiritu Sancto inſpirante, conſilio, & mandato ejuſdem Pontificis, ac totius Romanæ Eccleſiæ, Clerici S. Mariæ cum magna reverentia levaverunt pretioſiſſimum corpus glorioſiſſimi Quirini Epiſcopi, & Martyris de eodem loco, quod cum timore Dei detulerunt in prædictam eccleſiam S. Mariæ Tranſtyberim, ac cum hymnis, & orationibus in majori altari ejuſdem eccleſiæ recondiderunt, ubi præſtantur beneficia ejus uſque in hodiernum diem*) hæc annotans fermè in ſingulis apicibus (ut in hiſtoria baſilicæ ſæpè memorata evincam) falſiſſima: *Nota, quod nondum dicantur Canonici: atque inde intellige, haud ineptè credi hoc additamentum factum haud diu poſt prædictam translationem, & reparationem loci, quo, qui dicunt ab initio fuiſſe Canonicos, quibus regulares ſubſtituit Gregorius IV. an.* 827. (*ut eſt apud Panvinium*) *gratis iſta dicunt. Conſtat autem Clericis ſucceſſiſſe Sanctimoniales, quibus an.* 1218. *aliò translatis, Collegiatam fecit Calliſtus II.* De reliquo ubique olim accipiebatur promiſcuè *Clericus*, & *Canonicus*, quod vix credibile eſt ignoraſſe Papebrokium facilè inſtruendum vel a popularis ſui Molani libello de Canonicis, vel a Symmiſte doctiſſimo Lud. de la Cerda dicente: *Clerici olim ſimpliciter appellati ſunt Canonici*: cap. 98. adverſarior. ſacror. num. 1. pag. 158.

ri, quæ pro lancea debet habere XII. *proveſin. ultra. Unicuique monaſterio extra Urbem* (puta S. Paulli, SS. Vincentii & Anaſtaſii, S. Sebaſtiani, S. Pancratii &c.) III. *ſol. Iſtis autem monaſteriis in Urbe dantur* III. *ſolidi: monaſterio Cæſarii: monaſterio S. Agathæ: monaſterio Paniſpernæ: monaſterio de Pallaria: monaſterio S. Coſmæ Tranſtyberim: monaſterio S. Sylveſtri in Capite: monaſterio in Capitolio: monaſterio S. Alexii: monaſterio S. Sabæ: monaſterio Clivi Scauri: monaſterio S. Baſilii: monaſterio S. Crucis: S. Mariæ in monaſterio. Iſtis verò monaſteriis, & eccleſiis* II. *ſol. monaſterio Juliæ: monaſterio S. Bibianæ: monaſterio Campi Martis: monaſterio Dominæ Roſæ: monaſterio Tempoli: monaſterio S. Johannis portæ latinæ: monaſterio Maximæ: monaſterio Biberaticæ: monaſterio S. Thomæ de formis: monaſterio Mirandæ: monaſterio S. Trinitatis: monaſterio Sancti Johannis* (Colabitæ) *in inſula: monaſterio S. Leonis: monaſterio S. Cæſarei Monachorum: monaſterium S. Cyriaci. Iſtis eccleſiis* XVIII. *den. S. Mariæ de monticello: S. Thomæ de fraternitate: S. Mariæ: S. Tryphonis: S. Mariæ rotundæ: S. Apollinaris: S. Celſi. Iſtis cappellis* XII. *den. S. Vincentio: S. Michaeli: S. Mariæ in Saxia: Lecto graduum: S. Mariæ in ſynodochia: S. Mariæ in Catenara: Salvatori campi: S. Paulo aureolæ* (nunc *arenulæ*) : *S. Anaſtaſio areolæ* (nunc *arenulæ*) : *S. Quirico: S. Abacyro: S. Mariæ a flumine: S. Stephano a pinea: S. Macuto: S. Virgini Mariæ de canella: S. Laurentio piſcinulæ: S. Laurentio de mundeſariis: S. Mariæ in Petrocchia: S. Virgini Mariæ ſecundicerii: S. Valentino extra Urbem: Hoſpitali: S. Blaſio de mercato: S. Mariæ in Traſpadina. Omnes* (c) *autem aliæ eccleſiæ Urbis ſingulariter debent habere* VIII. Uſque huc cit. tit. 39. num. 67. pag. 206. &c. Cencius parcè nunc exhibens eccleſiarum nomina, liberaliùs alibi (2) exhibiturus.

(2). *V. hic P. III. ſect. 5. §. 9. & ſeqq.*

VI.
Circa prędeſcriptam ſummam authorum confuſio, aut error.

Interea vidimus, quæ generatim ſumma oblatorum diſtribuenda foret Clero, ſeu eccleſiis Urbis: quæ unicuique ſingillatim, nitidiſſimè deſcriptum. Hinc concilianda, aut emendanda ſiquæ diverſa occurrunt in operibus authorum Camerario ſupparium, vel non recentis ætatis. Certè, quæ no-

(*c*) Ergo (niſi mutilus hac in parte catalogus Cencii Mabillonianus) & eccleſia *S. Martinæ* die S. Marci VIII. *denarios* accipiebat pro *presbyterio*. Quod erroris arguit Turrigium ſolidos XVIII. eidem tribuentem. V. notam *e* ad ſect. 5. Partis 3. §. 12.

notat Romanus Canonicus ad num. 45. circa diſtributionem conceſſam in ſtatione diurna S. Marci Canonicis S. Petri, pugnare videntur cum aſſertis a Cencio. *In hac ſtatione* (verba Romani) *habent Canonici pro* PRESBYTERIO *octo ſolidos lucenſes, & decem ſolidos pro veſtiario*. At Cencius habuiſſe tradit viginti ſolidos in totum. Pugnant ergo, ſi ſpecie tenus res inſpiciatur; verùm non ita ſentiendum, utriuſque expenſo loco. Diſtinxit cauſſas proventus Romanus, utpote conſuetudinum baſilicæ magis conſcius: diſtinxit & conditionem ſolidorum, quos alios *lucenſes* vocat, *ſolidos* ſimpliciter alios. Cencius & cauſſas permiſcuit, & ſolidorum rationem. Sic uterque facili conciliatur, niſi alterutrius codex vitio aliquo laboret. Decernendum aliter de loco hiſtoriæ Maphei Veggii ſolidos viginti ab antiquis veluti portionem Canonicorum S. Petri propriam adnotantibus ſupponentis pro viginti quinque libris diviſis per omnes eccleſias. Patens enim error eſt, adeoque emendandus. Vide locum erutum ex tomo 7. Junii Bollandiani ſeq. Parte (3).

(3) *Sect.* 4. §. 4.

VII. Cur aliquos Clericos participaſſe de oblatis ob lectos, & lobia narravit Romanus Canonicus.

Vidimus & per laudatam partitionis deſcriptionem explicatum illud: *pro lectis*, & *lobiis* juxta Romanum. Scilicet (præter communem) dabatur ſpecialis portio, potiſſimùm Clericis eccleſiarum, quas prope (uti narratum (4) ſupra) ſummus Pontifex requieſcebat in tectis, aut porticibus ad hoc paratis, ornatiſque, quæ per vocem *lobii*, aut *lobiæ* exprimi ſolent apud mediæ ætatis ſcripta ſecundùm Eruditorum ſententiam. *Lovia*, *& lobia eſt porticus ampla*, inquit Fontaninus nota 8. ad inſtrumentum electionis Poteſtatis Hortanæ urbis pag. 418. oper. de antiquit. Hortæ num. 25. appendicis ad librum 2. *Lobium* pro *tecto* docet Ducangius accipiendum, quod offert charta anni 1201. apud Puricellum. Adeas ejus gloſſarium latinum ad lit. L. Aliàs ille ibi monet, per *lobium* porticum apertam, ædibuſque adjunctam eſſe intelligendam. Sed Puricellus in monumentis Ambroſianæ baſilicæ *lobium* italicè vertit *corridore*. Conſule cit. ejus opus numero 655. pag. 1170.

(4) *Sect. præced.* §. 5.

VIII. Quare aliquibus portio daretur pro lancea.

Cauſſa augmenti portionis Cleri S. Theodori non tam facilè explicari poteſt. *Pro lancea* datum ait Cencius. Quid hoc monſtri? Si in textu legeretur *pro lanceis*, ut legiſſe videtur Johannes Marius Creſcimbenius, ipſo ſibi teſtimonium præbente ad paginam 356. libri 8. hiſtoriæ S. Mariæ in Coſmedin cap. 10.

cap. 10. ad hæc : ſi verum foret, quod illic ſubdit: *Quali lance, che erano aſte con in cima l'imagine d'un Cherubino, e ſi portavano appreſſo il Papa nelle ſolenni funzioni, li fratelli Macri* (in Jerol. voc. *Cherubim*) *credono, che foſſero i ventagli di piume, che anche in oggi s'adoprano* : conjicere poſſemus Clerum Sancti Theodori portione peculiari fuiſſe donatum, quia vel ejuſmodi lanceas poſt Pontificem deferendas ſubminiſtraret, vel ante Diaconiam pertranſeunti, utpote apud illam cuſtoditas, ejus honorandi gratia produceret, offerretque. Aſt *pro lancea* diſertè habet locus Cencii: nec verum, quod *Cherubim* appellata *flabellis* reſponderent. Quandoquidem *Cherubim* fuiſſe conſtat vexilli haſtati genus deferri conſueti per (*d*) *Bandonarios*, aut per Capita regionum ante Papam in ſollemnibus equitationibus, quod antiqua ceremonialia oſtendunt, ipſaque adducta a Macris, & his omnibus conforme poſtremum Cappellæ deſcribens Papam equitantem ad Lateranum lib. 1. ſect. 2. &c. Præterea credibile non eſt, ætate Cencii viguiſſe morem deferendi in proceſſione S. Marci (luctus nempe, & pœnitentiæ) quæ ex veteri traditione uſurpari ſcimus in actionibus papalis (*e*) uberioris lætitiæ, & majeſtatis. Veroſimiliùs conjiceret, qui opinaretur, lanceam fuiſſe propoſitam a Clero S. Theodori, quam fortaſſis aſſervarent ibi ſequioribus ſeculis populi Romani (ſæpè ob civiles, externaſque turbas in bella ruentis) Primores ad armandos Duces ſuos, illincque deſumendam ea planè ratione, qua militare deſumebatur vexillum (teſte Turrigio ad cap. 4. pag. 215. & ſeq. cit. hiſt. S. Theodori) e propinqua eccleſia B. Georgii. Utique militem fuiſſe S. Theodorum, & auctorem plurium victoriarum Chriſtianorum tradidere majores, præſertim S. Gregorius Nyſſenus in oratione de magno martyre Theodoro inſcripta, Zonaras in annalib. ubi de Johanne Imperatore, author compendii hiſtoriæ Cedreni &c. Habebatur propterea univerſim pro militum patrono, quod multis probat cit. Turrigius, potiſſimùm cap. 14. pag. 245. & ſeqq. Imò (& hoc obſervabilius) re-

M 2

(*d*) V. ceremoniale Gregorii X. num. 9. pag. 228. cit. tom. 2. muſei &c.

(*e*) Utitur Pontifex flabellis in proceſſione SS. Corporis Chriſti ad auguſtiorem pompam Domino exhibendam: in conſiſtoriis publicis; quum ſcilicet ſupremæ poteſtatis ſuæ majeſtatem induit: quoties ſollemniores miſſas lætioribus diebus celebraturus, regno præſertim ornatus, & dodecaphoro vectus ad palatinas cappellas, aut eccleſias tendit.

Digitized by Google

reputatus eſt olim peculiaris Romanorum defenſor. Videſis eumdem ſcriptorem ad cap. 2. pag. 127. Ipſe tamen crederem, lanceam, de qua Cencius, lipſanon potiùs fuiſſe, cujus meminit Nicolaus Seniorilis in catalogo Reliquiarum Urbis Martini PP. V. juſſibus compoſito. *In eccleſia Theodori ſunt infraſcriptæ reliquiæ, videlicet, in una caſſetta cum reliquiis Sancti Georgii: & de reliquiis S. Agathæ: item unum ferrum lanceæ.* Ita codex Vaticano-palatinus ſignat. 3536. Hoc igitur *ferrum* ex ritu Eccleſiæ exponebatur (*f*) occaſione ſupplicationis. Hinc pro tali incommodo, aut, ſi vis, obſequii, vel impenſæ ſpecie, aucta Cleri illius Diaconiæ præſtatio. Ceterùm id ſtatuo ſequutus Mabillonianam Cencii lectionem, quam in hoc ſinceriorem puto lectione Turrigiana, maximè quòd iſthæc etiam mendoſa appareat circa numerum ſolidorum, & denariorum appellationem. *Il Card. Cencio Savelli, che fu poi Onorio III. notò*: unicuique Diaconiæ undecim ſolidi (*parla della proceſſione di S. Marco*) excepta S. Maria nova, quæ pro lecto XII. denarios habet, & excepta eccleſia S. Teodori, quæ pro palatio debet habere duodecim denarios provenientes. Verba ſunt eruta de cit. hiſtoria (cap. 13. pag. 202.) Turrigii, qui ſuper cauſſa augmenti ſic ludit: *Perche deſcendeva dal palazzo* (loquitur de Clero S. Theodori) *ſe gli davano di più* XII. *altri denari chiamati proviſini, o provenienti, come anche a S. Maria nova &c.* Addit inde alia jam a nobis (5) deſcripta.

(5) *Sect. præced.* §. 11.

IX.
De portione Clericorũ participabant Officiales ad eoſdem deſcribendos deſtinati.

Summa illa viginti quinque librarum, ſive quævis alia, juxta ſcriptores in diſtributionem eccleſiis competentem aſſignata, non integra prorſus ad manus Clericorum tradebatur. Officiales, qui crucibus deſcribendis vacabant, de eadem participaſſe narrat Benedictus poſt locum ſupra (6) allatum. *De unaquaque* (cruce, ſeu eccleſia) *habent*, inquit, *unum lucenſem, de quibus habent Acolythi medietatem, & medietatem baſilicarii*: X. *ſolid.* (Diaconi): *Subdiaconi regionarii* VI. *ſolid.*

(6) *Ibid.* §. 13.

X.
Et alii participabant.

Officiales hujuſmodi, alioſque ætate ſua participantes ſic exprimit Cencius tit. 40. §. 68. pag. 207. &c. *Virgarii debent habere pro lecto* X. *ſol. proveſ. Scholæ Guidonum* X. *ſol. Scrinarii* IX. *ſol. Scriptorii* XII. *den. Rectores fraternitatis de Rectoribus* XII. *ſol. qui tamen ſibi a paucis annis hoc uſurpavere; ipſi*

(*f*) Mos iſte perſeverat adhuc. Vidi ego reliquias Sanctorum ſuper altare expoſitas apud titulum S. Crucis in Hieruſalem occaſione ſupplicationis actæ pro complendo Concilio Romano &c. ſed de hoc more paſſim eruditi.

ipſi etenim, licèt quandoque, ſicut dictum eſt, PRESBYTERIUM *iſtud* (eccleſiarum) *diſtribuatur* (legendum, *diſtribuant*) *non debent aliquid inde recipere: nec etiam Cantorum ſchola, Mappulariorum, Cubiculariorum, Addextratorum, Oſtiariorum, neque ulla alia ſchola, vel perſona, excepto Priore Subdiaconorum cum Acolytbis, qui de* PRESBYTERIO *eccleſiarum, quando datur, ut ſupra dictum, recipit manum; prout in antiquis rationibus Innocentii, Eugenii, Hadriani, aliorumque Romanorum Pontificum ſcriptum plenariè invenitur.*

XI. Super illis, præſertim Guidonibus, obſervanda.

Recipere *manum* quid ſonet, aptiùs exponetur (7) inferiùs. In *Priore Subdiaconorum cum Acolytbis*, in *ſcriniariis*, & *ſcriptoriis* agnoſce, lector, Officiales ad deſcribendas cruces *ſummo mane* miſſos juxta prænotatos (8) & ipſius Cencii, & Benedicti Canonici locos. In *Virgariis* habe, qui ante eccleſiam S. Mariæ ad gradus S. Petri *lobium*, ſeu *cantbarum* parabant (qua de re (9) ſupra) extremò quieſcenti Papæ, nec de cetero portio erant Clericorum Urbis. *Guidonum* ſcholam fuiſſe reor, quibus officium, ducere (id quod *guidare* dicunt Itali; unde barbarioribus annis *Guidones*) ad tumulum Piſcatoris, aliaque ampliſſimæ baſilicæ Vaticanæ ſacratiora loca, quotquot illuc oraturi accederent. Legatur Severani liber de 7. Urbis eccleſiis, Turrigii opuſculum de cryptis &c. Ab his *Guidonibus*, quos e Presbyteris, & Clericis conſtaſſe reputat Turrigius, *guidonea* porta inter Vaticanas notiſſima. *Dicitur porta guidonea; quoniam Guidones, qui ducebant oratores venientes per porticale ... per eam intrabant*, ait (cap.7.num.126.) Manlius Bollandianorum Patrum, qui ad to. 7. Junii in commentario ſuper baſilica S. Petri num. 38. & duobus ſequentibus primi §. varia de porta *guidonea*, & *Guidonibus* congerunt, reprehenduntque Turrigium eorum inſtitutionem trahentem a diplomate Caroli Magni, nothis ſcriptionibus, ut illi cenſent, annumerando. Quinam *Rectores Romanæ fraternitatis de rectoribus* dicti, quos de oblatis Clero Romano aſſignatis uſurpaſſe quidpiam admonet Cencius, conjicietur Parte ſequente (10) opportuniùs.

(7) Par. 3. ſect. 7. §. 14.

(8) Sect. præced. §. 13.

(9) Ibid. §. 9.

(10) Sect. 8. §. 9.

XII. De diſtributoribus presbyterii.

Hic, qui factum ſit, ut Rectores iſti uſurpatores evaſerint, divinare percommodum eſt. Cencius ait, *quandoque* permiſſam Rectoribus alienorum *presbyteriorum* diſtributionem. Fac illud, *quandoque*, paucos ante annos, quos enunciat, in perpetuum, frequentiuſve commutatum; quod evenire potuiſſe,

tuiſſe, ipſa ſuadet conditio viri pro munere ad diſtributionem deputati. Erat enim vir celſiſſimæ dignitatis, & multò gravioribus Apoſtolicæ Curiæ negociis impeditiſſimus, nempe, S.R.E. Cardinalis Camerarius, qui & Papæ propria manu, & palatinis Ordinibus per manus Archidiaconi Vaticanas largitiones, ut prænarrata (11) ſatis declarant, ſuggerebat. Anne ergo credibile, vacuos abire voluiſſe per eam occaſionem diſtributores illos? quum præſertim paratus eſſet obviuſque omnibus rationis color, videlicet, novi, indebitique incommodi ſarcina. Accedebat, quod aliis, quos oneris ſocios habere jubebantur, *preſbyterii* portio ſingularis non deerat. Quodſi quæras, quinam ejuſmodi ſocii, laudatus Cencius reponet, fuiſſe, quos ad Cruces deſcribendas *mane ſummo* acceſſiſſe ex commiſſione Prioris baſilicæ meminimus (12) alibi, & *preſbyterio* donatos advertimus §. proximo. *Miſſa de more cantata D. Papa revertitur ad palatium. Si verò Camerarius voluerit, diſtribuet vigintiquinque libras in* PRESBYTERIUM (eccleſiarum) *ſupradictum. Sin autem Priori baſilicæ, & Rectoribus Urbis diſtribuendum committet, iis, qui interfuerunt ad ſcribendum adjunctus*. Ita Cencius, & de ſociis hiſce, &, quod ſine teſte aſſerueram, de diſtributionis actione ad jus, officiumque Camerarii pertinente teſtimonium perhibens tit. 39. num. 66. pag. 205. &c.

(11) *Sect.* 8. §. 7. & *hic* §. 1.

(12) *Sect. præced.* §. 13.

XIII. Quicumque forent, Curia diſtribuebat.

Cur verò non ſolis Rectoribus commiſſa diſtributio? Exiſtimo, quòd, quum omnia oblata, maximè ad Vaticanum, forent in poteſtate S. Sedis, ſeu Papæ, ſicuti monitum (13) ſupra, decebat, ne ullum lateret veritas, atque ut ſervaretur Sedis, & Apoſtolici dignitas, ac poteſtas, addidiſſe Clericis diſtributuris Camerarii vice viros, quos inter miniſtros Romanæ Curiæ deſcriptos ſcirent omnes. Hinc verum oſtenditur, Camerario ſive per ſe ſe, ſive per vicarios illos rem exequente, generatim datam largitionem per *Curiam* dici potuiſſe a Benedicto Canonico. Numero enim 56. poſt expoſitum proceſſum Clericorum Urbis cum crucibus ab eccleſia S. Marci *uſque ad S. Petrum*, de quo (14) ſuperiùs, ait: *& accipiunt a Curia Domini Papæ* PRESBYTERIUM *ſecundùm conſuetudinem hujus diei*. Quod obſervandum videbatur.

(13) *Sect.* 8. §. 2.

(14) *Sect. præced.* §. 7.

XIV. De loco, ac tempore diſtributionis.

Sed neque ſine obſervatione prætereundum, quàm bellè & per hæc Benedicti, & per exſcripta Cencii verba, locus, tempuſque diſtributionis diei 25. Aprilis referetur. Diſtributio-

Digitized by Google

ti onem actam ad S.Petri ſatis ſuperque inſinuat contextus narrationis Benedicti. At Cencius diſertiſſimè ſignificat, eamdem agi conſueviſſe poſt cantatam pontificiam miſſam. Ex quo confirmatur, imò demonſtratur quidquid ſupra(15) pro certo ponebam de univerſo ſecundi ordinis Clero, præcipuè eccleſiarum Patriarchalium, & Cardinalium, toti ſtationali celebritati adſtante. (15) *Ibid.* §. 12.



PARS

PARS II.

Origo Ritus tradendi presbyterium *Papæ frequentiùs apud baſilicam S. Petri auguſtè celebranti, necnon Clericis Urbis illuc accedentibus die 25. Aprilis; ejuſque vetus, ac nova forma, & ratio diſquiritur, aſſeritur, explanatur.*

SECTIO I.

§. I. Dicta præced. Parte colliguntur. Rememoratur offerendi diſciplina Eccleſiæ adoleſcẽtis.

IAMQUE poſt longum iter, dumis, vepribuſque ſublatis, fons detegitur, ideſt origo panditur nobiliſſimi Ritus, de quo primùm inquirimus. Liceat, quæcumque diximus perbrevi complecti epitome. Viſum eſt, inter conſuetudines Eccleſiæ ab ipſis chriſtianitatis exordiis uſum offerendi fuiſſe annumeratum: offerendi ſcilicet ad ſanctas ſynaxes, ſeu conventus, neque partem bonorum, ſed omnia, eaque impendenda in ſubſtentationem ſingulorum, hoc eſt, vel ſponte, vel reapſe pauperum, ac miniſterium ſacrorum per manus Præſidum Eccleſiæ, quorum ſub poteſtate ponebantur.

II. Sequentis ætatis.

Ille quidem, paullatim decreſcente charitate, variavit ſequentibus ſeculis. At conſuetudo ipſa generatim ſervata eſt. Quid exploratius, quàm fuiſſe collata dona ad eccleſias, maximè ſuper altaria, tum extra tempus miſſarum, tum quando eædem celebrarentur: oblatum ab omnibus fidelibus, vel illud expreſsè, quod materies futura eſſet ſacrificiorum: omnes denique fideles, præſertim Clericos, etiam Epiſcopos, ac egenos de oblatis aliquomodo participaſſe; excluſis tamen communionis non capacibus, ac indignis, præcipuè quos Eccleſia tamquam putrida membra e ſuo corpore reciddiſſet? Quàm verò ordinatè, & quàm opportunè oblata potiſſimùm ad

Digitized by Google

ad miſſas inferebantur! Quàm propriè dona cuncta, penès miniſtros ad hoc electos cuſtodita, ex unius Epiſcopi manu, ac ordinatione in ceteros derivabant!

III. Ac minùs antiquæ. Reminiſcimur ſpecitim oblata Romæ.

Annon probata hæc prioribus præcedentis Partis ſectionibus, & quidem ex documentis morem univerſi ferme Orbis, præſertim Latini, atteſtantibus? In iis non pauca ſunt, quæ e ſcriniis, ſcriptoribuſque Romanæ Eccleſiæ petita vidimus. Sed, quam non diſcordaſſe ab aliis, imò in hoc præluxiſſe omnibus fatendum eſt, ea minùs antiquis ſeculis præclara nobis tranſmiſit diſciplinæ oblationum teſtimonia, quæ ideam primigeniæ conſuetudinis apud ſe demonſtrant ſervatam, aliàs aut obſcuratam ubique, aut parcè nimiùm poſteritatis memoriæ commiſſam. Nonne conſtitit, ferè ſingula capita diſciplinæ oblationum antiquioris ævi per baſilicas Romanas, aut pontificium ſacellum ad praxin fuiſſe redacta temporibus extremo conterminis? Offerebatur a fidelibus vel ad miſſas, ac aliquando pro ipſa tremendi ſacrificii materie comparanda, & ſæpiſſimè ad altaria. Illinc autem excerpta cum ceteris omnibus a Pontificum diſpoſitione pendebant, quibus jubentibus, diſtribuebantur (nedum veteri more in ſacrorum, templorumque commodum) inter fideles, potiſſimè Clericos, alioſque eccleſiis utcumque miniſtrantes, ac pauperes. Reminiſcere, quæ narrata ſunt ſectione tertia.

IV. Maximè ad Vaticanum.

Certiora verò, & lucidiora teſtimonia capeſis e Vaticanis uſibus per ſectiones reliquas copioſè notatis. Ad Vaticanam baſilicam magnus oblationum acervus a quibuſcumque fidelibus (remotis indignis) congerebantur per omnem retroactam ætatem: ſervabatur hic juxta generales mores apud deputatos miniſtros: in conſuetos tota Eccleſia uſus impendebatur, & ad juſſum, nutumque Pontificis. Peculiare aliàs habebant illud Vaticanæ oblationes medii ævi ſupra ceteras ad Romana templa collatas, quod Vaticanis præcipuè frueretur Papa cum nobilioribus Curiæ ordinibus, præſertim quoties illuc ſacris vacaturus accederet: ad hæc, quod oblationes maximè ad altare majus, ſeu ad tumbam S. Petri cumularentur, indeque ſumerentur potiſſimùm portiones per ſollemniores dies Clericis ſpeciatim diſtribuendæ.

V. Et die S. Marci.

Talia comprobantur per expoſita ſectionibus quinque commemoratæ proximioribus. Sed quæ duarum poſtremarum materies ſingulare nobis præbuere ſpectaculum; nimi-

rum Pontificem , miniſtros S. R. E. & Clericos ſacrarum quamplurium Urbis ædium ſemel quotannis , videlicet die 25. Aprilis honori S. Marci dedicata , poſt ſtationem litaniarum majorum , ritu maximo participantes oblata præciſè ad aram principem , ſive Confeſſionem S. Petri , ac in ipſo baſilicæ gremio , Papæ Officialibus rem exequentibus .

VI. Rememoratur , quod pars oblatorum, ad eccleſiaſticos præcipuè pertinens , *presbyterium* appellaretur .

Nemo porrò hanc eſſe præcedenti Parte dictorum ſummam inficiabitur . At nec etiam , quod ex collatione omnium pateat , oblationum diſtributionem viris eccleſiaſticis , aliiſque fortè miniſtris factam ſub nomine *presbyterii* pernotuiſſe in Eccleſia , Latina ſaltem , & ſingillatim Romana , ac apud Vaticanum , necnon mox rememorata die . Teſtis , quoad perantiquam, eamque univerſalem, locus epiſtolæ magni Gregorii ſectione II. (1) prolatus . Teſtis , quoad uſum Romano-vaticanum, non unus Scriptorum textus datus ſectione quinta (2). Teſtis, quoad uſum diei S.Marci, tota conſuetudinum ejuſdem hiſtoria poſtremo loco (3) deſcripta .

(1) §. 12.

(2) §§. 7. 13. 15.

(3) *Sect.* 9. & 10.

VII. Ac pro ſtipendio daretur cuique congruo .

De reliquo & patuit , quas oblationes Clericis , vel miniſtris eccleſiarum traditas meminimus , quaſque *presbyteria* nuncupatas rememoravimus , ſub idea ſtipendii laborantibus debiti per eaſdem , aliaſque ſcriptiones oggeri paſſim : inſuper , ejuſmodi *presbyteria* , ſeu ſtipendia non ad rationem laborum tantùm tributa ; verùm etiam juxta gradus perſonarum , officiorumque . Revideſis cit. II. ſectione (4) canones Bracarenſis , ac Emeritenſis Synodorum , atque integrè excurre denuo ſectiones Vaticanos uſus deſcribentes , præſertim ſtationis litaniæ majoris .

(4) §. 11.

VIII. Eruitur origo *presbyterii* Papæ concedi ſolliti in Vaticano .

Et ecce tandem reſeratam *presbyterii* Vaticani germanam originem . Ubi viderit quiſpiam Romanum Pontificem donari aliquando *presbyterio* apud baſilicam S. Petri poſt celebratam ritu maximo ſacram ſynaxim , intelliget poſthac , præſtationis hujuſce dandæ conſuetudinem perantiquæ veſtigium eſſe , qua portio oblatorum ad eamdem baſilicam Papæ frequentiùs olim tradebatur , & potiſſimè , quum ſacris operaretur , iiſdemve adſtaret .

IX. Et illius , quod Clericis traditur die S. Marci .

Intelliget præterea , ubi viderit quotannis die S. Marci Clericis plurium eccleſiarum aliquid *presbyterii* quoque appellatione diſtinctum , & quidem intra baſilicæ præfatæ ambitum , ac proceſſionis litaniæ majoris occaſione conſignari ; intelliget , inquam , manaſſe hunc morem ex pervetuſta præſtan-

ſtantiſſimaque conſuetudine, qua Clerici de oblatis ad eccleſias participarent, & (quod rem propiùs tangit) ejus eſſe ſequelam qualemcumque, ſeu veſtigium exercitæ quondam celeberrimè conſuetudinis ejuſmodi paribus nomine, loco, & opportunitate.

X. Cur utrumque inſtitutum, deducendū a cauſſa inſtitutæ diſciplinæ oblationum. Quænam, & quotuplex iſthæc?

Ecce itaque noſtri ritus origo. Sed inſimul ecce compertum, cur inſtitutus, ſeu quæ fuerit talis originis ratio. Eadem nempe, quæ diſciplinam oblationum induxit in adoleſcentem Eccleſiam, in eaque adulta, quoad conditio cujuſque ætatis pertulit, ſervavit. Quodſi petis, quid intenderint Patres noſtri in hac inſtituenda, ſervandaque diſciplina, nequaquam cunctabundus ajo, traditam generatim ſub ejus velamine fidelibus repræſentationem quamdam charitatis, unitatiſve chriſtianæ, quam ubicumque, & quomodocumque poſſet, inſpirare ſemper conſuevit Eccleſia, veluti peculiarem ſacroſanctæ Religionis noſtræ notam; ſpeciatim verò Clericis documentum graviſſimum datum, quo jugiter perfectam fontis ſtipendii, mercediſve ſuæ, necnon propriæ conditionis ideam animo retinerent. Quiſquis, propoſita epitome duce, quotquot narravimus præcedenti Parte, rurſum oculis, menteque verſabit, non aliam inveniet, meo judicio, eximiæ conſuetudinis rationem.

XI. Charitas, & unitas chriſtiana expreſſa in diſciplina oblationum adoleſcentis Eccleſiæ.

Profectò, ſi, quæ fuerit hujuſce diſciplinæ œconomia temporibus Apoſtolicis, attendatur ex dictis, quàm præclarè charitas, unitaſque per illam repræſentaretur, innoteſcet confeſtim. Quid enim aptius ad ſervandam non minùs, quàm imprimendam Chriſtianorum pectoribus unitatis, charitatiſve ideam eo inſtituto, quo ex omnium, & cujuſque bonis ad unius pedes, ſeu poteſtatem collatis, atque per unius diſpoſitionem, manumve diſtributis, tamquam unum corpus, fidelium turba accipiebat alimentum? Scitè propterea tale commemorans inſtitutum Claudius Fleurius to. 1. hiſt. eccl. lib. 1. num. 4. *Toute la multitude des fideles n' avoit qu' un coeur, & qu' un ame*: & in tractatu de moribus Chriſtianor. Par. I. tit. ſeu cap. 1. pag. 9. *La ſource de cette communication des biens... eſtoit la charitè, qui les rendoit tous freres, & les uniſſoit, comme une ſeule famille* &c.

XII. Etiam ſequentis ætatis. Probatur ab uſu offerendi pro ſacrificio.

Equidem evanuit poſtmodum maxima ex parte mos pulcherrimus, atque utiliſſimus. Sed, quæ ad ſecuta ſecula permeavit, undique ſpirat unitatis, charitatiſve ſpeciem.

Digitized by Google

Nonne id ſuggerunt narrata de antiquo uſu offerendi pro ſacrificio? Ad eccleſias deferebantur oblata, panis ſcilicet, ac vinum, quæ cum aqua manibus tradebantur Antiſtitum, & locabantur ſuper altare. Occaſio, miſſarum ſollemnitas poſt lectionem evangelii, & cantum ſymboli. Clerus, & populus, quamquam diverſa a diverſis apportarentur, integram offerebant materiem ſacrificandam. Exin fidelium quilibet, aut oblata ipſa cum Sacerdote participabat conſecrata, aut per eulogiarum diſtributionem, aut communicationem ſuperfluorum.

XIII. Ex diſciplina reliquorũ oblatorum.

Unitatis etiam, ſanctæque charitatis proditur ſpecies memoria repetentibus univerſam hiſtoriam collatorum ſive ad miſſas, ſive extra eaſdem, præter uſum ſacrificii. In ejuſcemodi quidem oblatis ad miſſam gravior ſpecies; quippe quæ commune aliquod habent cum prædeſcriptis. Sed tum illa, tum cetera ſuum unitatis, charitatiſve characterem exhibent. Ad eccleſias, ad altare importabantur. Eorum cura, ac diviſio ab uno pendebant Epiſcopo: demum partiebantur præcipuè inter Clericos, & populum, pauperiorem potiſſimè.

XIV. Atque conditione excluſorum ab offerendo.

Nihil tamen evidentiùs oſtendit, qua mente oblationum diſciplinam invexerit Eccleſia, quàm conditio variorum excluſorum ab offerendo. Excludebantur maximè hæretici, ſchiſmatici, publicè excommunicati, diſſidentes, Poteſtatibus inobedientes, pauperum oſores, inimicitias profeſſi, aliique palam enormiterque peccantes, ideſt charitatis, unitatiſque hoſtes. Quod per ſe patet.

XV. Proprium ſtipendium, & Dignitatis Cleri vera Idea per diſciplinã oblationum etiam deſignata.

Ceterùm mens Eccleſiæ, reſpectu Clericorum (quos aliàs, utpote corporis fidelium potiora membra, & charitatis exempla præcipua, ad unitatem, charitatemve eamdem excitare primariò intendebat) proceſſit ulteriùs. Per diſciplinam oblationum documentum graviſſimum Clero præbebat ſupra (5) leviſſimè indicatum. Nam quorſum, amabò, ſub ipſis Chriſtianiſmi primordiis, ſeu diſciplinæ ortu, tamquam cenſus pauperum habitus eſt oblatorum immenſus cumulus: ſecutis temporibus ſuperflua illatorum ad altare pro ſacrificio in alimoniam Cleri impenſa: ferè omnes aliæ cujuſvis ætatis oblationes (uti canones, & authores teſtantur) Clericis, & pauperibus aſſignatæ: quod oblatum, quod tam largiter effuſum in Clericos, importatum potiſſimùm ad altare: portio Clericorum ſtipendii vocabulo diſtincta: quorſum? ite-

(5) §. 10.

iterum quæro. Siquid ſapio, ſiquid capio, ſancta mater Eccleſia ſub hac rerum nube duo, quæ in illud reſolverentur graviſſimum documentum, declarabat: primum (quod optimè prænovit Hieronymus Bignonius, innuitque (*a*) in notis ad Marculphum to. 1. capitular. Francor. Baluzii) Clericis, veluti qui altari deſervirent juxta Patrum idioma, vivendum de altari: ſecundum, altare reputandum æquè Clericorum, ac pauperum gazophylacium. Quæ, ſi introſpiciantur attentè, in id reſolvuntur, ut doceant, debere Clericos congruum ſtipendium militiæ ſuæ, laborumque unicè ſumere, & expectare e manu cenſuque ſummi Sacerdotis, Ducisve latitantis ſub imagine altaris; ideſt, *vivere de patrimonio Jeſu Chriſti*, *cujus obſequio deputantur*, quemadmodum ait Innocentius III. c. *cùm ſecundùm*, *de præbendis*; ſeque, licèt ad ampliſſimam planèque cœleſtem Dignitatem evectos, non alios exiſtimare, ac oſtendere, quàm quos revera ſanctioris ævi Clericos ſe eſſe in Domino gloriabantur; nimirum pauperes, ſeu pauperum fratres, & huic ſtatui convenientis humilitatis cultores.

XVI. Concluditur charitatem, & unitatem Chriſtianam, necnon ſtipendii, & dignitatis clericalis conditionem ſignari per *presbyterium* Vaticanum.

Noſti, quid Patres egregiæ diſciplinæ inſtitutores intenderint: collige jam, quò tendat Vaticani *presbyterii* conſuetudo. Si, ut demonſtratum eſt §§. ſuperioribus, hæc eſt veſtigium tam ſanctè adinventæ, ſervatæque diſciplinæ oblationum: ſi inductam hanc modò demonſtravimus ad unitatis, charitatiſve chriſtianæ neceſſitatem ſignandam, ad alendos præcipuè Clericos, eiſque ſtipendiorum ſuorum fontes reſerandos, necnon propriæ Dignitatis conditionem; conſequitur planiſſimè, quod, quotieſcumque contigerit ſuſpicere Pontificem Maximum, aut Clericos aliquot ſtata die *presbyterium* accipientes intra baſilicam S. Petri, libera voce, ac tutò pronuntiare poſſimus, in ejuſmodi præſtantiſſima conſuetudine inſignem unitatis, & charitatis teſſeram, ſtimulumque cuicumque fidelium: Clericis verò inſimul documentum, quo (juxta explicata §. proximo) diſcant, quæ eſſe debeat alimoniæ ſuæ, præmiorumque ſcaturigo, & ratio, atque inſuper vera propriæ Dignitatis conditio, proponi, atque inculcari. Ad iſta collimant omnia, ſi res tota ad vivum, ut ita dicam, & ad medullas uſque perſecetur.

SE-

(a) *Hoc referri poteſt ad illud, qui altari ſervit, de altari vivat*, inquit vir doctiſſimus multitudinem cernens oblationum Clericis tradi ſolitam.

SECTIO II.

§. I. Quædam dicta confirmantur. Eccleſiæ ſpiritus unitas, & charitas. Liquet ex Evangelio.

HOc equidem abſolutè confectum videbitur perſpicacioris ingenii viris. Tardioribus fortaſſe non ita. Apertior iis res fiet, probatis, aut paullò latiùs explicatis aliquot, quæ veluti certa, & explorata principia poſuimus. Sanè abſque probatione aſſertum eſt, ſingularem Chriſtianiſmi notam, Chriſtianiſmi ſpiritum in unitate, & charitate (quæ aliàs idem refert) neceſſariò conſiſtere. Crebrò id præmonitum, expreſſum, commendatum a Chriſto, ab Apoſtolis, a Patribus. Memorandum, quod Chriſtus Dominus apud Marcum cap. XII. 29. 30. & 31. omnia ſub dilectionis præcepto legis, noſtræque ſalutis remedia concluſit. *Dominus in evangelio* (verba Sancti Cypriani) *cum ſpei, & fidei noſtræ viam compendio breviante dirigeret*: Dominus Deus tuus, *inquit*, Deus unus eſt: *&*: diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, & de tota anima tua, & de tota virtute tua. Hoc eſt primum mandatum, & ſecundum ſimile huic; diliges proximum tuum, tamquam te. In his duobus præceptis tota lex pendet, & prophetæ: *unitatem ſimul, & dilectionem magiſterio ſuo docuit: prophetas omnes, & legem duobus præceptis incluſit*. Lib. de unit. Eccl. to. 2. operum Cypr. pag. 235. edit. Pamelii. Memorandum, quod apud Johannem cap. XIII. 35. hæc leguntur: *In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem*. Quibus nihil magis perſpicuum effingi poteſt ad innuendum, quæ nota, qui ſpiritus ſacroſanctæ Religionis.

II. Ex epiſtolis S. Paulli.

Nec tacendum, quàm eadem explicatè demonſtrata ſint per Apoſtolum, potiſſimè 1. ad Corinthios XIII. 1. & ſeqq. ubi de charitatis neceſſitate talia magnificè prædicat. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens: & ſi habuero prophetiam, & noverim myſteria omnia, & omnem ſcientiam: & ſi habuero omnem fidem, itaut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum: & ſi diſtribuero omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, itaut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*. Sic ibi: & ad Romanos cap. XIII. 10. ubi: *Plenitudo legis eſt dilectio*: & ad Galatas cap. V. 14. ubi: *Omnis in uno ſermone im-*

impletur : *diliges proximum tuum ſicut te ipſum* : & 1. ad Timoth. cap. I. 5. ubi : *Finis præcepti eſt charitas* : & ad Coloſs. cap. III. 14. ubi : *Super omnia . . . charitatem habete* , *quod eſt vinculum perfectionis* : & iterum 1. ad Corinth. x. 17. ubi ad unitatem fideles provocat inquiens : *Unus panis* , *unum corpus multi ſumus* , *qui de uno pane participamus* . Quod latiùs in epiſtola ad Epheſios IV. 4. & ſeq. *Unum corpus* , *& unus ſpiritus* , *ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ* , *unus Dominus* , *una fides* , *unum baptiſma* , *unus Deus* , *& Pater omnium &c.*

His , aliiſque notiſſimis tum Apoſtolorum , tum Chriſti verbis , & exemplis , maximè quæ in Actibus exhibentur , perſpectis , nil mirum (quod etiam non tacendum videbatur) ſi B. Cyprianus cit. libro hæc auribus ſchiſmaticorum intonare non dubitat : *Eccleſiæ unitatem qui non tenet* , *Dei legem non tenet* , *non tenet Patris* , *& Filii fidem* , *vitam non tenet* , *& ſalutem* : ac ſi B. Auguſtinus , ſummus ille charitatis unitatiſque aſſertor , petentibus diſcordibus ab Eccleſia catholica Donatiſtis , quid accepturi forent , ad eamdem regredientes , egregiè (lib. de correct. Donatiſtar. ſeu epiſt. 185. to. 2. edit. Sammaurinæ num. 43. col. 660.) reſpondet : *Accipitis unitatem ſpiritus in vinculo pacis* , *ſine qua nemo poterit videre Deum* , *& charitatem* , *quæ* , *ſicut ſcriptum eſt* , *operit multitudinem peccatorum* . Alibi Chriſtum loquentem inducens præclarè collocat Auguſtinus veri Chriſtiani notam in dilectione . Vide tractatum 15. in Joh. XIII. to. 3. par. 2. col. 675. num. 3. Quid multa ? Vix quicquam frequentiùs ſeriùſque urgetur a viro ſanctiſſimo , imò & a ſubſequentium Patrum turba , quàm unitatis , charitatiſve neceſſitas . Volve pretioſa eorum monumenta , quod ad hoc intendat Religio Chriſti ſanguine ſancita , per eadem ſtabiliri percipies . *Tantum bonum eſt charitas* (verba S. Hieronymi in cap. 5. ep. ad Galatas) *ut omnis lex in ea recapituletur* . *Lex nova eſt lex perfectionis* , *quia eſt lex charitatis* . . *Lex nova eſt lex amoris* , inquit S.Thomas 1.2. quæſt.107. art.1. in concl. & reſponſ. ad 2.

III. Et Patribus.

IV. Idem Spiritus expreſſus ab Eccleſia in ſuis Inſtitutis . Exemplum in Inſtituto R. E. tranſmittendi Fermentum .

Dubium ergo non ſit , quin Chriſtianiſmi ſumma , arcanum , ſacramentum , character denique in charitate , ſeu unitate conſiſtat . Aliàs hoc etiam ex eo patet , quòd Eccleſiæ mos obtinuit (ut omittam ejus rememorare conſuetudinem , qua tam ſæpè in ſuis precibus , tam apertè , tam amplè charita-

tatem ipſam, unitatem, concordiam, pacem, unanimitatem, & ſoboles reliquas maximi præcepti fidelibus publicè commendat, & a Domino poſtulat) per inſtitutas peculiares actiones, ritusque (ne typos ceteros innuam) eadem figurandi, præſentandique animis. Unum reminiſci placeat inter (a) plurimos, ceterò notum, & ab Eruditis * elucidatum, præſertim Ciampino in libello conjecturarum de azymo, & fermentato, ac Ven. Thomaſio quum in impreſſa ibidem diſſertatiuncula, tum in notis ad capitulare Evangelior. pag. 160. apud volumen antiquor. libror. miſſarum R. E. Hic erat mos apud Romanam omnium matrem, & magiſtram Eccleſiam. Qualibet Dominica, quum Papa celebraret, portio panis conſecrati, quem Clerus, & populus adſtans cum celebrante Pontifice participabat, Acolythorum regionariorum miniſterio Presbyteris tranſmittebatur ad Titulos, ut de illo pariter participes redderentur eorum curæ permiſſæ plebes. Morem teſtatur percelebris epiſtola 29. S. Innocentii PP. ad Decentium Eugubinum Epiſcopum. Semel verò quotannis (nimirum ſabbatho Dominicam palmarum præcedente) ſimilis portio mittebatur e Lateranenſi conſiſtorio ad finitimos Epiſcopos. Videſis citatas notas Thomaſii. Quid autem per hoc? Declarat Cardinalis ampliſſimus (cap. 5. Ciampiniani opuſculi) per illud exprimi *communionis chriſtianæ teſſeram* quamdam, *charitatis mutuæ vinculum*, *membrorumque cum capite nexum*. Optimè hinc, ut idem ediſſerit Cardinalis in præcit. notis, vocabatur tranſmiſſa portio *fermentum*, quòd *communionis eſſet eccleſiaſticæ ſymbolum*, ſicut idem affirmat eo loco, quo fermenti hujuſce uſum, quum ad manus Presbyterorum, ac Antiſtitum perveniſſet, ſic deſcribit: *In publica miſſarum celebratione poſt canonem, dicitur: hæc commixtio corporis &c. in calicem conſecratum* (fermenti particulam) *immittebant; & inde tum illi, tum plebes illis creditæ, Sanguinem Domini bibentes communionem cum Romano Pontifice præſeferebant; dum de ejuſdem conſecratione utcumque communicabant.*

V. Quod etiam per eccleſias reliquas frequentatum.

Fermentum ejuſmodi tranſmittebatur aliquando etiam ad Eccleſiaſticos longè ab Urbe poſitis diœceſibus præſidentes. Quod certè diſertiùs pandit intentam ab Eccleſia unitatis ideam

(a) V. illuſtrem typum in ſacris Urbis templis expreſſum infra ſect. 10. §. 11.

* V. Petrum Le-brun to. 1. explicat. miſſ. P. 1. art. 5. pag. 585. edit. anni 1725. Cajetanum Mariam Meratum in Gavantum parte 1. tomi 1. pag. 22. edit. Vatic. &c.

ideam. Videndum S. Irenæi teſtimonium apud Euſebium lib. 5. hiſtor. eccl. cap. 42. Ceterùm Sedis Apoſtolicæ inſtitutum (cujus radix non dubiè fuit illud Paulli 1. ad Corinthios x. 17. ſupra (1) annotatum) imitabantur ** reliqui Epiſcopi, ita inſtillantes concreditis populis unionem, mutuamque charitatem. Legantur (iterum moneo) collecta per Card. Thomaſium cit. cap. 5. operis Ciampiniani pag. 129.

(1) §. 2.

VI. *Ex hoc illatio viri clariſſimi.*

Quæ omnia, quum animo revolveret doctiſſimus, piiſſimuſque alius Cardinalis, *tanta erat*, ajebat, *mutuæ unionis, & ſocietatis inter fideles religio, ac zelus, ut, ſi omnes de uno, ac eodem pane, ab eodem Sacerdote conſecrato, participare potuiſſent, id libentiſſimè in toto terrarum orbe feciſſent, quo ſic oſtenderent omnes in Chriſto unum eſſe*. Verba Cardinalis Bonæ lib. 4. rerum liturgic. cap. 22.

VII. *Unitatis ſpecies in exceptoribus, & diſtributoribus oblationum.*

Veluti certa indicia de expreſſa per diſciplinam oblationum unitate, ſeu charitate poſuimus conditionem quorumdam oblatorum: occaſionem ac tempus, quo offerebatur, maximè ex conſuetudine vetuſtiore: locum ad id electum: ipſumque exceptorem moderatoremque collatorum. Et nonne iſthæc etiam perſpicua ſunt? Quis, obſecro, quis (ut a poſtremo incipiam) oblatorum ſupremus exceptor, & moderator? Ille, qui, quum commiſſi ſibi corporis, turmæque fidelium ſit caput, ac ductor, unitatem ſatis commendat officio ſuo: Adde, quod juxta laudatum Cyprianum Epiſcopi eſt ſervandæ, vindicandæque unitatis ſollicitudo. *Unitatem firmiter tenere, & vindicare debemus, maximè Epiſcopi, qui in Eccleſia præſidemus, ut Epiſcopatum quoque ipſum unum, atque indiviſum probemus*, inquit B. Antiſtes lib. de unit. Eccleſiæ.

VIII. *In eccleſia, ad quam iſtæ conferebantur.*

Locus unitatem rememorat. Offerebatur ad Eccleſiam. Hæc autem habetur tamquam unitatis, charitatiſve chriſtianæ ſignaculum. Dubitas? Audi, quid proteſtetur Epiſcopus, dum in ipſo conſecrandæ cujuſque baſilicæ limine veteri more ſic orat. *Omnipotens ſempiterne Deus, qui per Filium tuum, angularem ſcilicet lapidem, duos ex diverſo venientes ex circumciſio-*

O

** In Eccleſia Orientali aliquando ad exteras diœceſes pro Euchariſtia in ſignum communionis tranſmittebantur eulogiæ, quod innui per canonem 14. Concilii Laodiceni an. 367. celebrati obſervat Fleurius lib. 16. hiſtor. eccl. num. 12. Eulogias mitti ſolitas etiam in Occidente ab Epiſcopis in magnis ſollemnitatibus monet Bignonius in cit. notis ad lib. 2. cap. 42. formularii Marculphiani. Sed illæ erant potiùs charitatis, & lætitiæ ſigna, quàm communionis.

ciſione, & præputio parietes, duoſque greges ovium ſub uno eodemque Paſtore uniſti; da famulis tuis per hæc noſtræ devotionis officia indiſſolubile vinculum charitatis, ut nulla diviſione mentium, nullaque perverſitatis varietate ſequeſtrentur, quos ſub unius regimine Paſtoris unus grex continet, uniuſque, te cuſtode, ovilis ſepta concludunt. Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen. Parte 2. Pontifical. Rom. tit. *de Eccl. dedic. ſeu conſecr.*

IX. In altari, quo potiſſimùm collatæ, & unde deſumptæ.

Altare unitatem monet. Chriſtum enim repræſentat corporis Eccleſiæ inviſibile caput, ipſius unitatis, & charitatis centrum, ac ſcopum. *E lapide eſt altare, quia Chriſtum refert: quia etiam petra nuncupatur, tamquam fundamentum noſtrum, & caput anguli, & lapis angularis* &c. ait Orientalis traditionis teſtis Symeon Theſſalonicenſis (ne magis antiquos ſollicitem) apud to. 22. biblioth. Patrum Lugdunenſis. Quod ad Occidentalis teſtimonia pertinet, clarè tradit, exprimi *per altare chriſmate delibutum Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui altare, hoſtia, & Sacerdos noſter eſt, figuram*, eccleſiaſticus Romanus Curſus in lectione 4. officii dedicationis baſilicæ Lateranenſis. At gravius, quod ſuggerit cit. Pontificale. *Altare ſanctæ Eccleſiæ ipſe eſt Chriſtus, teſte Johanne, qui in Apocalypſi ſua altare aureum ſe vidiſſe perhibet ſtans ante thronum, in quo, & per quem oblationes fidelium Deo Patri conſecrantur. Cujus pallæ, & corporalia ſunt membra Chriſti, quibus Dominus quaſi veſtimentis pretioſis circumdatur, ut ait Pſalmiſta: Dominus regnavit, decorem indutus eſt* &c. Hæc ad tit. *de ordinatione Subdiac.* in admonitione per Epiſcopum agenda. De altari tamquam Chriſti figura paſſim Docti, præcipuè Jacobus Evellionius cap. 12. libri de proceſſionibus, clariſſimus Meldenſis Epiſcopus Boſſuetus in ſua explicatione Apocalypſeos ad verſ. 9. capitis VI. & verſ. 3. capitis VIII. &c.

X. In occaſione, ſeu tẽpore, quo oblata colligebantur.

Tempus, ſeu occaſio offerendi juxta antiquiorem uſum, ideſt, ſollemnitas miſſarum, ampliſſimum ſummumque unitatis, & charitatis excitamentum erat; quippe quòd per illam pretioſiſſimum nobis datur SS. Euchariſtiæ pignus, ab Œcumenica Tridentina Synodo Eccleſiæ omnium ætatum mentem exponente *Symbolum* appellatum ejus *unitatis, & charitatis, qua* (Salvator) *Chriſtianos omnes inter ſe conjunctos, & copulatos eſſe voluit ... Symbolum unius ipſius corporis, cujus ipſe* (Chriſtus) *caput exiſtit, cuique nos tamquam membra arctiſſi-*

ctiſſima fidei, ſpei, & charitatis connexione adſtrictos eſſe voluit, ut idipſum omnes diceremus, nec eſſent in nobis ſchiſmata ... Unitatis ſignum, vinculum charitatis, concordiæ ſymbolum, in quo conveniant, & concordent, omnes & ſinguli, qui chriſtiano nomine cenſentur. In hanc veritatem expreſſam ſeſſ. 13. *de Euchariſt.* ante caput 1. & capite 2. ac 8. figens oculos laudatus Meldenſium Epiſcopus, ubi loquitur de perfecta in ſacrificio miſſæ conſecratione, ſapienter inquit. *Il ſort du corps naturel de notre Sauveur un impreſſion d'unité pour aſſembler, & unir en un tout le corps myſtique, & on accomplit le myſtere du corps de Jeſus Chriſt, quand' on unit tous les membres pour l'offrir en luy, & avec luy.* Sic in explicatione orationum miſſæ ſect. 37. pag. 225.

XI. Præcipuè panis, & vinum.

Ipſum quoque momentum, quo oblationes collectæ, unitatis ideam ingeſſiſſe probè noſcet, qui in lectione Evangelii, & cantu Symboli unius fidei proteſtationem, & uniformis actionis propoſitum latere recordabitur. Sed multò magis ejuſcemodi ideam fovet princeps illa oblatorum ſpecies, nimirum panis, & vinum, quæ in fideles omnes (licèt abundantiùs in Clericos) profuſa vidimus. De his oblatis pro conſecratione adhibendis ibidem mox cit. Boſſuetus pag. 222. & ſeq. *Les Saints Peres ont remarquè dans le pain, & dans le vin un composè des pluſieurs grains de bled reduits en un ſeul corps pour l'offrir à Dieu en unité d'eſprit*. Thomaſſinus libro 3. cap. 3. num. 4. pag. 375. operis de diſciplina &c. edit. an. 1679. *Les offrandes* (non conſecratæ) *eſtoient tousjours des ſacrifices de charitè, & de propitiation, & on pouvoit dire, que, elles ſervant de nourriture aux membres de Jeſus Chriſt, elles eſtoient en quelque façon changèes en ſon corps. Auſſi bien il n'eſt pas vraiſemblable, que meſmes dans les premiers ſiecles on conſecraſt tout le pain, & tout le vin, qui s'offroit a l'autel. Il eſt treſprobable, qu' on n'en conſacroit, qu' une petite partie, le reſte ne laiſſoit pas d'être une boſtie de charitè, & une gage de paix, & de concorde entre touts les membres de Jeſus Chriſt. C' eſt apparemment le ſens du Concile de Mayence*: Oblationem, & pacem in Eccleſia facere jugiter admoneatur populus Chriſtianus; quia ipſa oblatio ſibi, & ſuis magnum remedium eſt animarum, & in ipſa pace vera eſt unanimitas, & concordia demonſtratur. *Can. 44. & capitular. lib. 5. cap. 94.*

XII. Clerici præcipua chriſtiani corporis membra, & charitatis exempla.

Sunt & perſpicua, quæ liberè jactavimus poſtremò; videlicet, potiora chriſtiani corporis membra, & præcipua

exempla charitatis eſſe Clericos: Patrum eſſe vocem, ut Clerici ex altari vivant: militiam eſſe Clerum: ſub imagine altaris ſummum Sacerdotem, ſeu Clericorum Ducem abdi: veterum Clericorum gloriam fuiſſe, annumerari pauperibus, & humilitatem ſequi. Nam, quod attinet priorem theſin, perſpicua ejus veritas viſa eſt jamdudum SS. Patribus. *Pars membrorum Chriſti prima* vocabantur Clerici a S. Gregorio Magno lib. 14. moral. cap. 16. & ne in re nota teſtes producam plures, *ſanctiora membra Eccleſiæ* dicebantur a S. Petro Damiani in opuſculo contra Clericos intemp. diſſert. 1. cap. 7. Epiſcopus, quum Presbyteros ordinat, veſtem cuilibet imponit, *per quam charitas intelligitur*, ut habet cit. Pontificale in ordinatione Presbyteri. Patres Concilii Mediolanenſis *charitatem inprimis amplexandam* a Clericis *omni ſtudio* ad titulum *Monitiones* inculcant. *Tenendam* a Sacerdote *ſupereminentem donis omnibus charitatem* docet S. Iſidorus lib. 2. de off. cap. 5. necnon charitatis *ignem in altari cordis nutriendum jugiter* ait Petrus Bleſenſis ſerm. 56. ad Sacerdotes.

XIII. Ex altari ſtipendium, ſeu alimonia Cleri.

Alteram quod reſpicit, Paulli potiùs vox illa videtur, quam Patres adoptarunt. *Qui altari inſerviunt* (ait Apoſtolus 1. ad Corinth. IX. 13.) *cum altari participant*. Hinc author canonis quadrageſimi: *Lex Dei hoc habet, ut, qui altari aſſident, ex altari alantur*. S.Hieronymus in epiſtola 2. ad Nepotianum; *altari ſerviens altaris oblatione ſuſtentor*: & loco, qui refertur cap. 10. Concilii Aquiſgranenſis; *qui altario ſerviunt, de altario vivant*: S. Bernardus epiſt. 2. ad Fulconem: *Conceditur tibi, ut, ſi bene deſervias, de altario vivas* &c. Ceteri Patres, quorum ſenſum collegiſſe videntur congregati Sacerdotes in Synodo Colonienſi an. 1536. dum (par. 1. cap. 13.) ajunt: *Non adimit Chriſtus, ſed decernit operanti mercedem ſuam. Dignus eſt operarius mercede ſua: & qui altario deſerviet de altario & vivet*: & congregati in Synodo anni 1549. cap. 2. tit. 9. *Divini juris eſt, ut, qui ſervit altari, de altari vivat; nec bono jure is, qui non ſervit altari, de altari vivit; ſicut ſtipendium non debetur, niſi militanti*.

XIV. Clerus militiæ comparatus.

Clerus verè militia eſt. *Le Clergè eſt un milice* &c. inquit pluries cit. Boſſuetus libro 7. politices artic. 5. prop. 15. Quidni verò? quum & hæc Apoſtoli formula ſit, cui omnis accinit Eccleſia, Patrumque cujuſcumque ætatis chorus. Paullus Timotheum, in eoque cunctos Sacerdotes inſtruens 1.epiſto-

ſtola 1. 18. eum hortatur, ut *militet militiam bonam*, & altera ad eumdem epiſtola 11. 3. 4. ait: *Labora, ſicut bonus miles Chriſti Jeſu . . . Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus.* In Pontificali ſæpè allegato non ſemel *militia* dicitur Clericorum ſtatus, imò *cæleſtis militia*. Vide orationem effundi ſolitam ſuper Subdiaconos ordinandos. Antiquiores Patres, licèt (*b*) *militiam* generatim Chriſtianam diſciplinam vocitent, transferantque ad explicandum hujuſce ſtatum militaria vocabula, moreſque, nec infrequenter, peculiariter hac utuntur œconomia, dum agunt de Clericis. *Eis, qui militant Deo, fugiendæ divitiæ*, inquit S. Proſper lib. 2. de vita act. & contempl. Sacerdot. cap. 13. S. Leo PP. Clerum apppellat *divinam militiam*, & *caſtra dominica* in epiſt. 1. quæ refertur c. *ex antiquis* diſt. 54. *caſtra ſanctitatis, & fidei* S. Ambroſius lib. 1. officior. cap. ult. qui & Sacerdotes vocat *duces* in lib. de dignit. Sacerdot. cap. 2. Inter recentiores *militiam* abſolutè nuncupat Yvo Carnotenſis clericalem ſtatum in ſermone de excellentia ſacror. Ordinum. *Chriſti militiam* Clerum dicunt Patres Concilii Herbipolenſis an. 1287. & *Dei militiam* Patres primi Mediolanenſis &c. De cetero paſſim ab antiquis, recentibuſque ſcriptoribus Clericorum alimonia Græcis *ὀψώνιον*, Latinis *ſtipendium* dictum invenitur militari more, quod obſervat Bernardus Lamy lib. 3. cap. 17. appar. biblici pag. 558. edit. an. 1723.

XV. Chriſtus Dux, & Sacerdos ſupremus.

Summus Sacerdos, ſeu hujus militiæ ſupremus Dux, verè per altare exprimitur. Quandoquidem, ut paullò ante (2) notatum, altare typus eſt Chriſti, quem ſummum Sacerdotem, ac Ducem prædicant utriuſque fœderis tabulæ. Adi doctiſſimi Abrincenſis Epiſcopi Huetii demonſtrationem evangelicam prop. 9. capp. 28. 69. alibique. Patres nihil moror. Sit pro graviſſimo poſitionis vade acclamatio ſollemnis ſacræ Tridentinæ Synodi emiſſa per os Cardinalis a Lotharingia, poſtquam completa eſſent omnia: *His decretis inhærentes digni reddamur* (ajunt Clericorum apices) *miſericordia, & gratia primi, & magni ſupremi Sacerdotis Jeſu Chriſti Dei* &c.

(2) §. 9.

Ve-

(*b*) Legeſis epiſt. 78. S. Cypr. edit. Pamel. ſerm. S. Auguſt. 312. acta SS. Jacobi, Mariani &c. num. 8. & 10. SS. Lucii, Montani &c. num. 15. ap. Ruinartum &c. & notas Holſtenii ad verba actor. SS. Perpetuæ, & Felicitatis: *an paſſio ſit, an comeatus?*

XVI. Clerici pauperum conſortes, & humilitatis ſectatores.

Verum etiam, quod gloriæ fuerit antiquis Clericis acceſeri pauperibus, & in ſpiritu humilitatis ambulare. Thomaſſinus par.3. cit. oper. de diſciplina &c. lib.3.cap.3. num.1. *Le concile de Francford ſemble diſtinguer deux ſortes d'offrandes: les uns ſe faiſoient, à l'autel pour l'autel meſme, & pour le ſacrifice, & on portoit les autres* (c) *a la maiſon des Pretres, où des Eveques pour l'entretien des pauvres, entre les quels le Clergè faiſoit gloire d'avoir rang*. S. Auguſtinus epiſt. 50. *compauperes pauperum* vocare non dubitat ipſos Epiſcopos. *Memento* (ait idem, ſeu quiſquis eſt author ſermonis 37. ad fratres in eremo) *quod pauperum vitam Sacerdos gerere debet*. *Glorioſam* appellant in *Sacerdotibus paupertatem* literæ Patrum Synodi 1. Aquilejenſis ad Gratianum, Valentinianum, & Theodoſium Auguſtos. Gloriatur S. Hieronymus ſcribens ſecundò ad Nepotianum, ſe, *quaſi Levitam & Sacerdotem, nudam crucem nudum ſequi*. Philippus Abbas de juſtitia cleric. cap. 41. ait: *Non ſatis verè eſt Clericus, quem non ditat theſaurus paupertatis*: & cap. 48. *Clericis ſuus non prodeſt Clericatus, quos Chriſto. non conformat pauperies*. S. Baſilius cap. 43. regulæ inter præcipua *Antiſtitum inſignia cordis humilitatem* locat. B. Laurentius Juſtinianus *Sacerdotum, atque Pontificum gemmam* nuncupat *humilitatem* cap. 50. libri de inſtitut. & regim. Prælatorum. Sed, miſſis innumeris, peroret Yvo Carnotenſis. *Si extra Deum nihil quæritis, ſi eo contenti fueritis, erit vobis ampliſſimum, & uberrimum prædium, & ſalubrìter ad Clericatum acceſſiſtis. Alioquin, ſi paupertatem, & humilitatem, quam præfert habitus corporis, & figura capitis, in corde non habetis, timeo, ne cum hypocritis ſit pars veſtra* &c. Sic cit. ſerm. de excellentia ſacror. Ordinum.

SECTIO III.

§.I. Stabilitur ex aliis aſſerta ratio originis preſbyterii Vaticani.

STET jam, quod ſancitum eſt. In ritu dandi *presbyterium* Papæ, & Clericis Urbis, veſtigio diſciplinæ oblationum, chriſtiana unitas, chriſtiana charitas repræſentatur, commendatur, urgeretur fidelibus omnibus, maximè Clericis; quibus inſuper exhibetur documentum, quo recordentur, ſe non ex alio cenſu, non ex alia manu, quam ſummi Sacerdotis,

(c) V. ſupra Par. I. ſect. 1. §. 2. in notula *b*.

tis, Duciſque Chriſti vivere, ac ſtipendium accipere, & in magno licèt faſtigio collocatos cum humilibus, utpote pauperum conſortes, ſapere debere. Hoc ſatis probant allatæ hactenus animadverſiones. At demonſtrant propemodum (ſi in re obſcuriſſima, & antiquiſſima demonſtrationi locus eſt) quæ a conditione Eccleſiæ, cui potior cura de alenda ſervandaque tam illuſtri conſuetudine, ſitus, ſeu loci ad illam exequendam a majoribus deputati, ac temporis, quo eadem peragebatur auguſtiore apparatu, imò nunc etiam peragitur, ſponte fluunt.

II. Prærogativa, & Indoles Romanæ Eccleſiæ.

Romana Eccleſia reliquas Orbis anteivit (nedum obſervantia diſciplinæ oblationum, de quo (1) ſupra) frequentia *presbyterialium* præſtationum, & in iis retinendis conſtantia. Conſule narrata Parte I. a ſectione v. ad extremam. Qualis autem Romana Eccleſia? Ecquem latet? Hæc illa eſt, ut cum Tertulliano (lib. de præſcript. cap. *36.*) loquar, *felix eccleſia*, quæ *προκαθημένη τῆς ἀγάπης* (*charitate præcellens*) & Eccleſiæ catholicæ *radix*, *&* *matrix*, necnon *eccleſia principalis*, *unde unitas ſacerdotalis exorta*: *mundi cacumen*: *eccleſia*, *unde exemplaria ſalutis accipere*, *ſeu normam ſumere debeamus*: *eccleſia omnium eccleſiarum mater*, *&* *magiſtra*, *nutrix*, *&* *doctrix* &c. a S. Ignatio M. in epiſt. ad Romanos, S. Cypriano in epiſtolis ad Cornelium 45. & 55. edit. Pamel. S. Fulgentio lib. de incarnat. Dei cap. 11. Jeſſe Ambianenſi Epiſcopo in epiſtola encyclica, Patribus Concilii Trecenſis an. 878. in epiſtola apud Labbeum, Hincmaro Rhemenſi in epiſtola ad Nicolaum I. &c. appellata eſt: eccleſia cathedram, & poteſtatem jugiter poſſeſſura; cathedram inquam, *in qua una unitas* ſervaretur *ab omnibus*, ut prædicat Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum; cathedram, & poteſtatem, de quibus pridem B. Cyprianus cit. lib. de unit. Eccl. *Ut unitatem* (Chriſtus) *manifeſtaret*, *unam cathedram conſtituit*, *&* *unitatis originem ab uno* (Petro ſcilicet) *incipientem ſua authoritate diſpoſuit* ..... *Primatus Petro datur*, *ut una Chriſti Eccleſia*, *&* *cathedra una monſtretur*: eccleſia, cujus Clerici (gradus etiam ſublimioris) reputari minimè refugiebant in cenſu pauperum, quod inſignis locus Anaſtaſianæ vitæ Stephani VI. aliam ob cauſſam producendus (2) inferiùs, ſi attentè penſetur, ſatis ſuperque probat.

(1) *Sect.* 1. § . 3.

(2) *Par.* 3. *ſect.* 2. §. 15.

III. Baſilicæ Vaticanæ decus ex Petri reliquiis.

In Vaticana baſilica *presbyterium* collatum vidimus; nem-

nempe ubi Petri mox laudati cineres, ſeù reliquiæ conquieſcunt: Petri, quem eximium paupertatis, humilitatis, charitatis exemplar, & promotorem nobis produnt ſacræ literæ, præſertim ejus 1. epiſtola III.8. IV.8. necnon Johannis caput XIII. 6. & XXI.15.16. & 17. Lucæ V.8. Actuum III.6. & 5. ac IX.43. Petri, a quo exacta fuit, *quum illi ſumma rerum de paſcendis ovibus traderetur, & ſuper ipſum, veluti petram, fundaretur Eccleſia, nullius confeſſio virtutis alterius, niſi charitatis*, ut ait Origenes in commentar. ad cap. 6. epiſt. ad Rom. ſeu, quem *elevandus in cœlum* (Chriſtus) *amoris ſui veluti Vicarium* reliquit, ut S. Ambroſius lib. 10. comment. in caput ultimum Lucæ: Petri, in quo *Dominus unitatis originem inſtituit* (verba epiſtolæ S. Cypriani 73. ad Jubajanum) *& oſtendit*; ſeu, qui *bono unitatis præferri omnibus Apoſtolis meruit*, quod inquit Optatus cit. opere: Petri, qui poteſtatem ampliſſimam, de qua §. ſuperiori, quia Chriſto egregiè reſpondit, *tamquam perſonam gerens unitatis* accepit juxta ſententiam S. Auguſtini expreſſam num. 18. tractatus 118. in Johannem: Petri, quem non minùs uti caput viſibile primum Eccleſiæ, quàm ſupremum poſt Chriſtum Sacerdotem, & chriſtianæ militiæ, clericalis potiſſimùm, Ducem, ſeu *vexilliferum*, *& perductorem* cum Mallio inferiùs (3) allegando fideles ſemper venerati ſunt, & ad conſummationem uſque ſeculi venerabuntur.

(3) *Sect. ſeq.* §. 7.

IV. Petrus quaſi præſens in eadem baſilica ſemper creditus, poteſtatéque exercens.

Magnum ſanè privilegium loci! Ex quo etiam non ſolùm illud conſequebatur, quod majoribus noſtris perſuaſum eſſet, in Eccleſia Romana, quam plantaſſet, & conſecraſſet ſanguine ſuo, vivere perpetuò, ac reſidere Petrum, uti deprehenditur ex verbis Philippi pontificii Legati prolatis actione III. Concilii Epheſini, S. Leonis Papæ ſerm. 3. in anniverſar. aſſumpt. ſuæ, S. Petri Chryſologi in epiſtola ad Euthycheten cap. 15. Par. I. Concilii Chalcedonenſis &c. verùm etiam ſtylus, ut quicquid fieret ad tumulum Petri, aut illinc traheret originem, putaretur ab ipſo Petro factum, quaſi præſente, ſuamque interponente authoritatem, poteſtatemque. Hinc vox illa (a) S. Bonifacii Epiſcopi ordinati juxta ætatis ſuæ morem

(a) Huic non abſimilis, quæ emittebatur ab omnibus Epiſcopis Romæ ordinandis, ſicuti demonſtrat *indiculus Epiſcopi* apud Diurnum a Garnerio vulgatum cap. 3. tit. 8. pag. 69. col. 1. Sed & ad B. Petrum dirigebant ipſi Romani Pontiff. fidei ſuæ profeſſionem, quum ordinarentur, quod oſtendit formula apud cit. diurn. ibid. col. 2. ſub tit. *Indiculus Pontificis*, cujus excerptum dabitur ſeq. ſect. in not. g.

rem ad tumbam Piſcatoris per B. Gregorium II. *Promitto ego Bonifacius Dei gratia Epiſcopus tibi , B. Petre , Apoſtolorum Principi , Vicarioque tuo B. Gregorio Papæ , & ſucceſſoribus ejus . . . nullo modo me contra unitatem communis , & univerſalis ſuadente quopiam conſentire &c.* V. epiſtolas Gregorii II. & Garnerianum infra citandum Diurnum &c. Hinc formula Leonis III. in Synodo Romana apud Vaticanum congregata , de qua Baronius ad annum 800. *Ego Leo Pontifex S. R. E. . . . purgo me præſentibus vobis* (Patribus Concilii) *coram Deo , & Angelis ejus , & B. Petro Principi Apoſtolorum , cujus in conſpectu conſiſtimus* : ac Leonis IX. plures oblationes uſui baſilicæ Vaticanæ addicentis ; *B. Petre Apoſtole , ego Leo Epiſcopus . . . de tuis donis aliquam tibi offero particulam* , cum reliquis ex tractatu Severani jam (4) deſcriptis: demum Gregorii VII. in Romana Synodo (apud Baronium ad annum 1076. & collectiones Concilior.) celebrem proferentis ſententiam in Henricum : *B. Petre Apoſtolorum Princeps . . . per tuam poteſtatem , & authoritatem Henrico Regi . . . totius regni Teutonicorum , & Italiæ gubernacula contradico &c.* Hinc , quaſi a Petro poteſtatem acciperent , præficiendi patrimoniis R. E. ad ejus tumulum conſtituebantur . *L' Egliſe Romaine avoit de grands patrimoines , où l'on envojoit des Recteurs, où Intendents, qui recevojent cette charge devant le corps de S. Pierre* , inquit Fleurius to. 8. hiſt. eccl. lib. 35. num. 15. edoctus ab epiſtolis magni Gregorii . Hinc , quaſi Petrus coronam imponeret , obligationemque præſtandæ defenſionis exciperet Imperatorum Occidentis , horum omnium primo corona collata eſt , acclamatumque *ante ſacram* ejuſdem *Confeſſionem* , quemadmodum notat Anaſtaſius num. 376. libri pontificalis . Hinc ſummi Pontifices , quaſi per Petrum præberetur a Chriſto authoritas , ordinationes quondam non ſolùm haud procul ab ejus altari agebant (quod liquet evolutis S. Leonis operibus , libris liturgicis antiquioribus , ac hiſtoricis) ſed etiam (teſtibus pervetuſtis Ceremonialibus) imponendos collo Ordinandorum orarios deſumebant ab eodem ſacerrimo loco . *Orarii, qui dandi ſunt*(ſic Ordo 9. inter Mabillonianos num.8. pag.94. to. 2. cit. muſei) *primùm per totam noctem ſuper altare* (S. Petri) *ſunt repoſiti , & de altari ab Archidiacono tollantur , & a Pontifice ſuper eorum* (ordinandorum) *colla ponantur* . Annotaverat antea , ideſt num. 2. pag.90. *Accedens Archidiaconus*

(4) Par.1.ſect.4. §. 10.

unus tollit orarios de Confeſſione, qui de heſterna die repoſiti ſunt ibi: imponit ſuper eos, & Pontifex induit eos planetis, & ſtant induti. Hinc, quaſi & ipſi Romani Antiſtites ſuam acciperent per Petrum poteſtatem, profeſſionem fidei emittere conſuevere, & conſecrari (*b*) ad ejus tumulum (ut nihil dicam, quod primùm coronarentur ad ejus baſilicam, ſicut oſtendent narranda ſequenti Parte) imò pallium, aliis nobiliſſimis Orbis Præſulibus in ſignum communicatæ ad modulum cujuſque Petri poteſtatis tranſmittendum, ab altari ejuſdem proximè accipere minimè repugnarunt. Qua de re laudatus Garnerius diſſert. 2. ſeu append. ad notas capitis 2. Diurni, ubi *de ritu, quo ſummus Pontifex ordinabatur*, num. 4. pag. 158. dicti operis: *Suprema in Eccleſiam univerſam authoritatis indicium fuit, non præcisè acceptio pallii; ſed acceptio ex altari S. Petri, cui Deus ovile ſuum paſcendum commiſit, cujuſque in locum ſuccedit Pontifex.* Hinc à præfatis Pontificibus, quaſi Petrus præeſſet conventibus, cœleſtemque inſpiraret auram, olim ſæpè Concilia, Sanctorum penè omnes apotheoſes, aliaque, per quæ maximè ſeſe vis exerit Sedis Apoſtolicæ, & quorum exempla veteres eccleſiaſticæ hiſtoriæ paſſim oggerunt, catalogumque texuere Veggius num. 3. præfationis ad cit. opus de baſilica Vaticana pag. 62. to. 7. Junii Bollandiani, Panvinius lib. de ſeptem Urbis eccl. &c. ad Confeſſionem B. Petri celebrabantur. Quin ipſa (*c*) *glorioſa confeſſio* allegari ſolebat antiquitus tanquam oraculum Romanæ numquam defecturæ fidei, aut Romanæ Eccleſiæ repræſentatio, ſicut factum videtur in epiſtolis 1. & 7. Gelaſii Papæ ad Euphemium novæ Romæ Patriarcham, & Anaſtaſium Auguſtum percurrendis tom. 4. Conciliorum Labbei; necnon haberi tanquam Roma-

(*b*) Antiquus ritus deſcribitur in præfato diurno Garnerii cap. 2. tit. 8. pag. 24. & verè exactus dicitur ad *Confeſſionem. Ubi* (ait editor) *eſt corpus B. Petri, profeſſio fidei prima emittitur, peragiturque tota ordinatio, quæ prærogativa ſummi Pontificis ex decreto Gregorii Magni*.

(*c*) Ad rem noſtram Meldenſis Epiſcopus Boſſuetus. *Eccleſiam Romanam* (Gelaſius PP.) *nominat a potiſſima parte; ab ipſo ſacrario, quo Petri reliquiæ requieſcunt: quo ex loco Eccleſia Romana Primatum repetebat ſuum. Inde ſcilicet facta eſt eccleſiarum caput, quòd Apoſtolorum Princeps in ea ſedem fixerit, in ea martyrium fecerit, eam ſanguine dedicarit: quem ad locum videas priſcorum quoque Pontificum tempore Synodos celebratas, tamquam a Petro deductis apoſtolicæ doctrinæ ac diſciplinæ rivis*. To. 2. oper. de poteſt. eccl. lib. 11. cap. 7. pag. 337. col. 1.

Digitized by Google

manæ Fidei arcam, ſicuti conſtat (*d*) legentibus epiſtolam 2. Leonis II. ad Epiſcopos Hiſpaniæ &c. Hinc, quaſi a Petro robur, unitatiſque, & communionis ſymbolum relaturi (Latini maximè Orbis) Epiſcopi intra præſcripta a ſummis Pontificibus intervalla ad ejuſdem, ſociique Paulli Confeſſionem accedere, proſternique ſolebant. Qui mos indicitur adhuc Epiſcopis, uti videre eſt in Pontificali Rom. ubi ***de conſecrat. Epiſc.*** ſervaturque a pleriſque. Hinc (ut finis ſit) qui cunctis ferè ordinibus diſtribuerentur cerei Agni, ſumebantur quondam ab altari S. Petri, quod teſtantur ſupra (5) narrata.

(5) *Par. 1. ſect. 6.* §. 4. & 5.

V.
Litaniæ majoris hiſtoria neceſſariò ſcienda.

Olim (quantum colligere licuit e veterum ſcriptionibus) nullo unquam tempore largiùs, & ſollemniùs præſtitum ***presbyterium*** Vaticanum; ſed neque diligentiùs ejus conſuetudo ſervata (cujus rei & nos teſtes ſumus) quàm die 25. Aprilis, ſeu feſto S. Marci Evangeliſtæ. Quodnam verò tantum hujuſce diei meritum? Equidem maximum. In eam olim recidebat ſollemnitas ſingularis, ſollemnitas, per quam Petri, & ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ dignitas mirè commendabatur. Id quod, diſcuſſa expoſitaque hiſtoria ***litaniæ majoris***, ſive ***litaniæ Romanæ*** juxta codicem Vaticanum 44. citatum a Ven. Thomaſio in capitulari Evangelior. par. 2. volum. de antiquis libris miſſar. R. E. pag. 166. col. 2. quæ eodem quoque tempore publico ritu celebratur, facile erit perdiſcere.

VI.
Unde dicta litania major? Super ejus authore, ac origine opinio quorumdam.

Litania, ***major*** appellata ***ad differentiam*** (e) ***minorum; non enim*** (ſic Baronius de eadem diſſerens in notis ad Martyrolog. Rom. ſub die 25. Aprilis) ***una tantùm in anno; ſed plures ſolitæ erant fieri pro conſuetudine cujuſque eccleſiæ***: major, inquam, litania perantiqua eſt in Eccleſia Latina. At non omnes ſuper ejus inſtitutore, & originis circumſtantiis conveniunt. Arridet pluribus, quod eleganter canebat Baptiſta Mantuanus

P 2 li-

(d) *Quum veſtrarum ſubſcriptionum paginas* (inquit Leo ſubſcribenda mittens decreta Synodi VI.) *ſuſceperimus, has apud Petri Apoſtolorum Principis Confeſſionem deponemus &c.*

(*e*) Ideſt, earum, quæ minori pompa, vel frequentia fierent. Quod verum adeo, ut, ſi alicubi fortè, quæ nunc Romæ, & alibi paſſim *minores* vocantur rogationes, quia certè minori cum frequentia rituque comparatè ad *majores* diei S. Marci peraguntur, umquam celebratæ ſint pompa majore, omniumque ordinum concurſu, *majores* quoque nuncupari promeruerint. *Placuit* (habe exemplum in canone Concilii Moguntini coacti an. 813.) *ut litania major a cunctis chriſtianis tribus diebus* (ante aſcenſionem Domini) *diſcalceati, cinere, & cilicio induti, niſi infirmitas impedierit, obſervanda ſit.*

libro de ſacris diebus tit. *litanaa major* ad menſem Aprilis:

Protulit hunc olim morem, dum peſtifer annus
Mauricio Romam premeret ſub Cæſare, major
Gregorius: quando paſſis apparuit alis
Angelus auguſtæ ſuper alta cacumina molis.

Nam indubium illis, *majorem* litaniam e *ſeptiformi* manaſſe, quam, atteſtantibus Johanne Diacono in vita B. Gregorii PP. S. Gregorio Turonenſi, Paullo Diacono, aliquot laudati Gregorii Magni epiſtolis, pluribuſque aliis non recentibus ſcriptis, exploratum eſt, actam fuiſſe occaſione peſtilentiæ, Clero in ſeptem claſſes diſtributo cum populo, habita per diſtincta loca ſeptem collecta, dataque ſtatione ad S. Mariæ majoris, ſub initiis pontificatus, & fortaſſis repetitam ſubſequutis annis. Hæc opinio videtur Amalarii, Pſeudo-alcuini, Belethi, aliorumque multorum minùs etiam antiqui temporis, qui abſolutè magnum Gregorium majoris litaniæ faciunt authorem. Vide illos; nec prætereas, quæ ſcribunt recentiores Serarius lib. 2. de proceſſionib. cap. 7. Bona de divina pſalmod. cap. 14. §. 4. Fleurius hiſtor. eccl. lib. 35. num. 1. &c.

VII. Opinio Card. Baronii.

Aliud opinatur Baronius. *Quum nonnulli dicant* (ita ille in citatis notis) *inſtitutas* (litanias majores) *a S. Gregorio, ſic intelligas, non ut ipſas majores litanias S. Gregorius primus invenerit; ſed quod ad S. Petrum eas indixerit. Extat decretum ejuſdem* * *Pontificis de litaniarum annua celebritate in principio lib. 2. regeſti his verbis: Sollemnitas annuæ devotionis nos, fratres dilectiſſimi, admonet, quæ major ab omnibus appellatur, ſollicitis, ac devotis debeamus (auxiliante Domino) mentibus maximè celebrare &c. Idem S. Pontifex occaſione peſtilentiæ illam litaniam inſtituit, quam ſeptiformem appellavit.*

VIII. Opinio Bailleti.

Verùm neque Baronio, neque præallegatorum ulli prorſus conſentit, qui de hac litania fuſiùs ſcripſit to. 4. vitar. Sanctorum Hadrianus Bailletus. Ille, poſtquam agens de feſtis Eccleſiæ mobilibus multa dixit ad tit. *rogations, proceſſion de S. Marc* &c. §. 2. pag. 89. & 90. num. 1. 2. & 3. addit n. 4. & 5. pag. 91.

* Optimè doctiſs. Baronius decretum M. Gregorii vocat, quod habetur lib. 2. epiſtolar. indict. 10. in epiſtola præſcripta *de litania majori*. Quàm enim frivolæ ſint rationes, quibus moti poſtremi Operum Gregorianorum editores Sammaurini eamdem inter ſuppoſititias collocarunt, nullus non eruditus advertet. Qui dubitaverit, legat obſervata a Cl. Merato ad opus Gavanti edit. Rom. an. 1738. pag. 1204. & diſſertationem I. H. G. C. R. T. *de nova editione S. Gregorii M.* impreſſam an. 1740. Venetiis inter opuſcula ſcientifica, & philologica to. 21. pag. 422. & ſeqq.

pag. 91. *Il y à de la difficultè à juger, ſi la proceſſion de la 2. annèe de ſon pontificat* (de qua primo loco Baronius) *annoncèe par luy même au mois de Septembre, où commencoit la dixieme Indiction, eſtoit cette grand proceſſion ſeptiforme, où de ſept corps des fidelles. La raiſon d' eu douter en eſt, qu' il l' appelle la grand litanie; ajouſtant, que c' eſtoit le nom, que tout le monde luy donnoit. Outre, qu' il n' y eſt point parlè de diviſer les fidelles de la Ville en bandes, & qu' il s' y eſt contentè d'ordonner, que la proceſſion partiroit le vendredì de l'egliſe de S. Laurent en Lucine pour aller a celle de S. Pierre aù Vatican, où etoit la ſtation. S' il falloit les diſtinguer, on ſe porteroit aiſement à croire, que la grand litanie auroit dejà etè etablie a Rome avant l'inſtitution de la litanie ſeptiforme, & ſe pourroit faire, qu' elles aurojent etè reunies dans la ſuite, & fixèes enfin au 25. d' Auril ſous le nom ancien de grand litanie, en aboliſſant la ceremonie de ſept corps de proceſſion avec le nom de ſeptiforme. C' eſt ainſi, que l'on pourroit expliquer la penſèe de ceux, qui ont attribuèe l'inſtitution de la proceſſion de S. Marc, où du 25. Auril, a S. Gregoire le Grand; quoique de ſon temps elle ſe fiſt en Aouſt, où en Septembre, où peut etre encore en d'autres temps de l'annèe, ſelon qu' il jugeoit plus a propos de l'indiquer. Ce qu' il y à de certain eſt, que de la fin du ſiecle ſeptieme il n' eſtoit plus queſtion a Rome de la litanie ſeptiforme, & que la grand litanie ſe pratiquoit tous les ans au 25. d' Auril long temps avant, que ce jour euſt etè deſtinè pour la fête de S. Marc. Le choix, que l'on fit de ce jour au ſiecle ſuivant pour celebrer la memoire de ce Saint, ne porta aucun prejudice a la proceſſion de la grand litanie, qu' il eſt tellement demurèe fixe, que, quand il arrive quelque concours de Dimanche, ou de fête, qu' oblige a tranſporter a un autre jour la fête de S. Marc, jamais la proceſſion ne ſe remet, au moins, que ne ſe rencontre avec la feſte du Dimanche de Paque au 25. d' Auril* &c.

IX. Quæ valde probabilis. Aliqua de ſeptiformis litaniæ denominatione.

Hucuſque Bailletus, cujus opinionis ſumma eſt, duas, quæ ſub Gregorio celebratæ ſint, litanias (alteram eductam e diverſis templis, nec ad Vaticanum directam, cui *ſeptiformis* nomen; *majoris* alteram diſtinctam nota, conſuetam olim iniri ab eccleſia S. Laurentii in Lucina, & compleri ad S. Petri: ſeu alteram, quippe quòd Gregorium inſtitutorem nacta fuerit, tanto Pontifici coævam; antiquiorem alteram) in unam tandem coaluiſſe agendam die 25. Aprilis, haud ſubitò

bitò collectæ, quæ *majoris* fuiſſet, loco immutato: & hinc dici poſſe magnum Gregorium ſuo modo inſtitutorem ſollemnitatis, de qua loquimur. Quæ mihi videntur adeo probabilia, ut hac in re erudito hagiologo me conſentire profitear; licèt non in ſingulis apicibus. Nam, quod ille putat, redacta ad unam duplici litania, abolitam fuiſſe penitus *ſeptiformis* memoriam, non uſquequaque verum judico. In ſcriptis liturgicis, ſeculo VII. poſterioribus, neſcio quæ methodus notatur canendi litanias intra ipſam celebritatem *majorum*, quæ ſaltem denominationem *ſeptiformis* rationis utut ſervatam oſtendit. Niſi fortè credas, aliunde repetendam expreſſæ ibi *ſeptiformis* appellationis derivationem. Video enim varias litanias commemorari ab antiquis. Alia *ſimplex* dicitur, alia *triformis*, *quinqueformis* alia, ſollemnior *ſeptiformis*. De his mentio fit in antiphonario Gregoriano apud cit. libros miſſales R. E. Cardinalis Thomaſii pag. 182. alibique. Quicquid ſit, *ſeptiformis* rationem in litaniis majoribus indicatam habes allegato ſuperiùs (6) loco Benedicti Canonici.

(6) Par. 1. *ſect.* 9. §. 5.

X.

Verè, & propriè dici poſſe S. Gregorium M. inſtitutorem litaniæ majoris die 25. Aprilis.

Diſſentior pariter a Bailleto remittente ad finem seculi VII. ſeu ad tempora pontificatum magni Gregorii ſubſecuta, præexpoſitam litaniarum unionem, affixionemque. Verum eſt, jam eo ſeculo inclinante ad occaſum, nullam ampliùs fieri cœpiſſe a Scriptoribus mentionem *ſeptiformis* litaniæ; multam quidem *majoris* tamquam agendæ ad S. Petri die 25. menſis Aprilis, quod vel ſolum kalendarium Frontonis, dicti ſeculi (ſicuti eruditi plerique exiſtimant) fœtus, probare poſſet. Attamen nihil ſuccurit, quod impediat, credamus, ipſum S. Gregorium aliquomodo rememoratæ variationis authorem; hoc eſt, credamus, illum in decurſu pontificatus ſuam ſuppreſſiſſe *ſeptiformem*, utpote temporaria occaſione, videlicet, graſſantis peſtilentiæ, natam, ac *majorem*, quæ antea Septembri ageretur menſe, aut alio pro arbitrio uſque illuc Romanorum Antiſtitum, Aprili affixiſſe, certa quoque aſſignata die, nimirum vigeſima quinta, aliquam forſan ob cauſſam, quam ipſe graviſſimam arbitraretur. Citatus codex antiphonarius ejus præſeferens nomen hanc habet rubricam pag. 181. VII. *kal. Maii in letania majore. Collecta ad S. Laurentium in Lucina. Ad miſſam, ſtatio ad S. Petrum*. Quinetiam apud Gregorianum ſacramentarium Pamelii, quod veluti antiquius, & incorruptius commendat lau-

laudatum toties rerum liturgicarum * * lumen Thomaſius in præfatione ad codices ſacramentorum, legitur: VII. *Kalendas Maii. Litania major ad S. Laurentium in Lucinæ*: & in codice miſſali, conflato e ſacramentariis Gelaſiano, & Gregoriano, qui inter Vallicellanos notatur B. VIII. allegaturque ab eodem Thomaſio cit. par. 2. volum. de antiquis libris miſſar. R. E. pag. *166. Die* XXV. *menſis ſupraſcripti* (Aprilis) *in letania majore. Ad S. Laurentium in Lucina. Ad miſſam, ad S. Petrum.* Prænoſco, quid inquient. Eæ ſunt additiones poſterioris ævi. Sed (præterquamquod hoc eſſet probandum) proximitas Gregoriani pontificatus ad ea tempora, per quæ cœperunt in libris ritualibus frequentari ſimiles rubricæ: certitudo, quod plurimùm in ordinandis Romanis ſtationibus, Sacriſque Magnus idem laboraverit: veſtigium epochæ nullum, cui affigi poſſit nova inſtitutio, mihi pro comperto reddunt, verè litanias majores ad præfatam diem addictam fuiſſe, ipſo Sanctiſſimo Pontifice decernente.

XI. Cur ad eamdem agendam electa ea dies?

Quare primùm ſub magno Gregorio, præmiſſa ſollemnioris, majoriſque ritus modulatione litaniarum, ad habendam ſtationem in baſilica Vaticana per Clerum omnem Romanum, inſequente juxta conſuetudinem populo, die 25. Aprilis proceſſum eſt. Jam, cur Gregorius hanc elegerit, veſtigandum. Ante annum 1723. vix divinando aſſequi audebam talis cauſſam delectus. Sed, quum eo tandem anno in ingens literariæ reip. bonum, & ornamentum prodierint numquam ſatis commendandi Præſulis Franciſci Blanchini notæ ad vitas Anaſtaſianas to. 2. editionis Vaticanæ, ad illam aſſequendam facta eſt mihi lux magna. Demonſtrat ibi Chronologus accuratiſſimus recidere in vigeſimam quintam Aprilis anniverſariam diem, qua S. Petrus Romam invexit ſupremam Eccleſiæ ſpeculam, aut qua ſui Primatus divinitus inſtituti explicuit apertiùs, declaravitque poteſtatem. Vide ſect. 1. num. 6. notarum ad vitam S. Petri pag. 8. col. 2. & paginis ſeqq. Ex quo conjicere licet, ſub ipſis liberatæ a moleſtia perſecutorum Eccleſiæ crepundiis memorabilem diem non ſine aliqua ſollemnitate cœpiſſe honorari; nempe ſtatione ſecundùm ætatis morem, & quidem ad illud ſacrarium, quo fundamentum tanti beneficii collocatum erat; ideſt, ad corpus B. Petri.

* * Quàm rectè in Ven. Cardinalem quadret hoc elogium, novo argumento probabunt inedita ejus ſcripta propediem vulganda a P. J. Blanchino mox laudando.

tri. Hæc ſollemnitas agebatur (ut veroſimillimum *** eſt) florente, atque ordinante Romana ſacra magno Gregorio, non ea tamen fortaſſe pompa, quæ tam ſplendidæ reſponderet origini. Quocirca conſtitutum, celebrandam fore poſthac per conventum Cleri, & populi juxta vetuſtiſſimam ſollemniorum

*** Sollemnitatem hanc verè fuiſſe Romæ celebratam ante Gregorium M. jam non ex conjectura tantùm cum laudato Præſule; ſed ex documento præſtantiſſimo, eoque ſupremæ authoritatis elicio. Anno 1735. vulgatum eſt in prolegomenis ad tomum 4. cit. collectionis Anaſtaſianæ a clariſs. Congregationis Oratorii Romani Presbytero P. Joſepho Blanchino Franciſci nepote, ac virtutum doctrinæque hærede, pretioſum S. Leonis, ſeu alius eidem proximi Pontificis prædeceſſoris magni Gregorii, ſacramentarium, ubi inter miſſas menſis Aprilis, quæ eſt XXIV. pag. 16. col. 1. rem penitus demonſtrat. Libet hìc illam excribere.

Deus, qui B. Petri Apoſtoli dignitatem ubique facis eſſe glorioſam, quæſumus, ut & doctrina ſemper ipſius foveamur, & meritis. Per.

Suſcipe Domine, quæſumus, hoſtias, quas majeſtati tuæ in honorem B. Apoſtoli Petri, cui hæc eſt baſilica ſacrata, deferimus, & ejus precibus nos tuere. Per.

Verè dignum, qui & in omni loco dominationis tuæ B. Petri Apoſtoli magnificas poteſtatem, non ſolùm, ubi venerabiles ejus reliquiæ conquieſcunt, ſed ubicumque pretioſa reverentia fuerit invocata, tribuis eſſe præſtantem, ut nunc etiam perſeverare demonſtres, quod in omnem terram ſonus ejus exeat, & toto Orbe ſalutaria verba decurrant. Per.

Benedicimus, Domine, miſericordias tuas, qui nos inceſſabiliter B. Apoſtoli tui Petri ſinis commemoratione foveri, ſupplicites exorantes, ut cujus ſolemnia gerimus, patrocinia ſentiamus. Per.

Viden', lector, ut hæc miſſa tota ſit in laudem Petri, & quidem univerſum Orbem illuſtrantis? Quod oſtendit, eam compoſitam ob declarati Primatus, vel Romam illati epiſcopalis apicis celebritatem. Viden' deſcriptam illam ad menſem Aprilis, & præcisè poſt miſſam S. Georgii martyris, cujus feſtum, ut ſapienter monet editor doctiſſimus, agitur die 23. Aprilis? Id quod prodit, digitoque ſignat, vigeſima quinta die, quæ a veſperis inciperet vigeſimæ quartæ, eam habitam ſollemnitatem. Nec moveat quemquam miſſæ titulus ad marginem ferens, *In dedicatione.* Nam τὸ *in dedicatione* abſque additamento *baſilicæ S. Petri* perbellè innuit miſſam inſtitutam pro celebranda ejus momenti memoria, quo Roma fuit a Petro conſecrata, ſeu dedicata in caput Eccleſiæ. Hoc interpretamentum, credo, effecit, ut ex eo marginali titulo confirmari velit eruditus Abbas Cennius opinionem ſuam de figenda ad diem 25. Aprilis non præcisè Primatus, ſed Romanæ Cathedræ antiquiori feſtivitate. Conſule ejus diſſertationem *de Romana Cathedra* §. 11. pag. 150. col. 2. apud cit. to. 4. collect. Anaſtaſ. ſect. 169. in notis ad vitam Siſinnii PP. num. 6. Aliud argumentum mihi præſto fuiſſet, ſi certum foret, quod notat ad marginem ipſum laudatus editor, videlicet, diverſi antiquarii manu ſcriptum videri titulum illum. Tunc enim exiſtimari potuiſſet, antiquarium hunc ætatis non adeo remotæ, ab iis fortaſſe verbis ſecundæ Orationis, *B. Petri, cui hæc eſt baſilica ſacrata,* deceptum, miſſam *dedicationis* baſilicæ in miſſa Primatus declarati, vel Cathedræ introſpexiſſe. At ruit fundamentum. Idem editor, & annotator inſtructior factus per epiſtolas amicorum ſincerè fatetur, unius verè eſſe ſcriptionem antiquarii textum ſacramentarii, & marginalem titulum. Vide ejus retractationem ante prolegomena ad vitas ſub epigraphe: *Menda cod. ſacram. S. Leonis ſic corriguntor.*

ruin ſtationum praxin. Sed, ne augerentur inductæ jam collectæ, & generales ſtationes, ſapientiſſimus ille, & eccleſiaſticæ diſcretionis amantiſſimus Ordinator; quum ſupprimere vellet *ſeptiformis* litaniæ collectas, ſtationeſque, ſeu conjungere collectæ, ac ſtationi *majoris*, & ad aliquam certam diem addicere hanc poſtremam, habitamque pridem pro eadem ſtationem ad Vaticanum: optimum cenſuit, ſi hæc omnia cumularentur in celebritate diei 25. Aprilis. Sic enim & illuſtrior reddebatur adeo memorabilis dies, & Cleri collectæ non multiplicabantur, & ſervabatur poſteris veteris litaniæ ſtationalis meta.

XII. Aliqua dictorum confectaria.

Perobſcuram ſic ego explicarem originem, ideamque ſollemnitatis litaniarum majorum. Quodſi in hoc conſentiens inveniar veritati, jam & illud verum eſſe pronunciaverim confidentiſſimè, factum ex hac permixtione ſtationum, ac celebritatum, ut memoria vetuſtioris (nimirum inſtitutæ ob declarationem Primatus, vel monumentum delati Romam apicis Epiſcopatus) paullatim evaderet obſcurior ſeu ignotior, ac tandem evaneſceret. Unde patet, cur ſemper quidem ſtatio ad S. Petrum indicta legatur in libris liturgicis magni Gregorii pontificatu poſterioribus ad diem 25. Aprilis, & aliquando cum nota, quòd *vetus* eſſet; ſed cum indicatione tantùm majorum litaniarum. Aliàs conſectarium etiam eſt aſſertionis noſtræ, non poſſe e ſollemnitate harumce Rogationum argumentum trahi prælibatæ feſtivitatis Primatus, quod vult Blanchinus cit. loco, dum ait: *Porrò, quum videam indictam fuiſſe die 25. Aprilis litaniam, quam vocant majorem, non modò ante Gregorium magnum, ſed pluribus ante ipſum ætatibus, ac fermè ab Eccleſiæ incunabulis, in qua Tituli univerſi, ac Diaconiæ, ipſæque baſilicæ* (Patriarchales) *ex ævo Conſtantiniano collectam Cleri, ac populi in campo Martio olim in Titulo S. Laurentii in Lucina, nunc in S. Marci frequentantes, inde procedunt ad S. Petrum, judicavi, per eos dies recoli jam tum conſueviſſe Romanæ Sedis ſuper ceteras Primatum ab ipſo Apoſtolorum Principe conſtitutum*. Nam probandum fuiſſet priùs, verè ante pontificatum magni Gregorii ea die majores litanias fuiſſe celebratas. Quæ res certa ponitur, nullo tamen allato documento. Quod ſanè afferri nequit. Siquidem indubia ſunt, quæ de origine earumdem diſſeruimus. Meliùs (quod nobis placuit) ex conjectura ſummè probabili reciden-

tis ad ejuſmodi momentum anniverſariæ declarati Primatus, aut ad Urbem invecti pontificalis apicis commemorationis arguitur, quàm conveniens fuerit, collocaretur ad illud vagans antea, aut Septembri menſe utplurimum compleri ſolita præfatarum litaniarum ſollemnitas.

XIII. Collectæ locus, immutato Proceſſionis litaniæ majoris tempore, idem manſit. (7) §. 10.

Ceterùm B. Gregorius, aut quiſquis fuit antiquus illarum reordinator, immutavit nihil, quoad locum collectæ. Fiebat, uti pridem, in Lucinæ, inſtitutis litaniis ad 25. Aprilis, ſicuti teſtantur ſupra (7) tranſcriptæ rubricæ. Quin mos diu perſeveravit. Profectò, cadente octavo ſeculo, per hanc occaſionem facinus accidit execrabile, cujus memoriam duobus complectitur verſiculis Godofridus Viterbienſis in chronicis par. 18. to. 7. Scriptor. rer. Italic. Muratorii col. 416.

Papa Leo capitur, proceſſio dum celebratur:
Corpore conteritur: radicitus exoculatur.

Intellige hîc S. Leonem III. Latiùs ad annum 799. Chronographus Saxo apud tomum 2. acceſſionum hiſtoricarum Godofridi Guillel. Leibnitzii pag. 129. *Cùm* (Leo III.) *in letania majore proceſſurus de Lateranis* (f) *ad eccleſiam S. Laurentii, quæ ad craticulam* (g) *vocatur, equo ſedens pergeret, in inſidias a Romanis diſpoſitas juxta eamdem eccleſiam incidit*, cum reliquis e ſynchrono biographo apud Anaſtaſium commodiùs clariùſque percipiendis. Ibi præ aliis declaratur, fuiſſe Romanos illos Paſchalem Primicerium, & Campolum Saccellarium, qui ſacrilegas injecerunt manus in SS. Pontificem intentum litaniis majoribus; ad *quas agendas omnes, tam viri, quàm fœminæ devota mente catervatim in eccleſiam B. Chriſti martyris Laurentii, qui Lucinæ nuncupatur, ubi & collecta inerant, occurrerunt*, inquit author num. 668. collect. Anaſtaſianæ.

XIV. Lucinæ Titulus quare pro eodem loco antiquitus aſſignatus.

Quare autem anteriori oevo colligerentur fideles in Lucinæ, & poſteriori ad Titulum Marci, quis effabitur? Si & circa hæc indulgere liceat conjecturis, opinarer, ſelectum primis ſeculis Lucinæ Titulum, quòd opportuniſſimus eſſet exci-

(f) De Papa procedente ad locum collectæ in litania majore jam nos Par. I. ſect. 9. §. 3.

(g) Titulus Lucinæ appellatur S. Laurentii *ad craticulam* ob craticulam adhuc ibi aſſervatam, ſolitamque proferri quotannis die 10. Auguſti, ſuper quam uſtulatum perhibent fortiſſimum Chriſti pugilem Laurentium. Adi Martinelli Romam ex ethnica ſacram, ubi de eccleſia S. Laurentii in Lucina &c.

excipiendis Clero, & populo per viam Flaminiam proceſſuris ad Vaticanum. Plane eam fuiſſe vetuſtiorum temporum agendis majoribus litaniis aſſignatam viam, fidem faciunt rubricæ perantiquæ apud orationale Ven. Thomaſii pag. 32. VII. *kal. Maii . . . Litania major. Collecta ad S. Laurentium in Lucina. Statio ad S. Petrum. Oratio ad collecta. Oratio ad* (h) *S. Valentinum. Oratio ad pontem* (i) *Molbi. Oratio ad Crucem. Oratio in atrio. Oratio ad ſtationem, ſeu miſſam ad S. Petrum.*

XV. Quando, & quare dicta collecta translata ad Titulum S.Marci.

At nimis tandem incommoda apparuit extramurana ejuſmodi via, imò plena periculorum; quum fuerit tempus, quo ipſi barbari ad portas uſque Urbis diſcurſarint. Decretum hinc, ut procederetur intra moenia. Quod veroſimiliter evenit primò, ſupremi pontificatus clavum tenente Leone IV. qui muris B. Petri baſilicam, regionemque circumjacentem cinxit, Leoninamque ſuo nomine fecit, uti fert ejus biographus apud cit. Anaſtaſium. Sed jam tùm in Latina eccleſia celebrabatur feſtum S. Marci, ſi vera narrat prææallegato (8) loco Bailletus. Viſum propterea conveniens, ut futuris temporibus litania major initium ibi ſumeret, ubi Sanctus honoraretur, qui diei jam ob annexam ſibi celebritatem valde decoræ novum adderet decus. Fortè & conveniens viſa res, conſiderata Primatus, ſive culminis epiſcopalis Romæ per Petrum collocati memoria cum ſtatione litaniæ termino permixta. Recordatio enim & tunc quodammodo inſtaurabatur eorum omnium, quæ tam arctè cum Petri rebus, Romæ geſtis, Marci (ab Euſebio in Chronico *interpretis Petri* nomine ornati) colligabant geſta ſub ipſis Romani ſupremi Pontificii exordiis, aut declarati Primatus. Super his conſulendus neceſſariò laudatus Blanchinus cit. to. 2. Anaſtaſii Vaticani ad pàg. 9. col. 1.

(8) §. 8.

XVI. Quæ primigenia ſollemnitas diei 25. Aprilis.

Satis interim de celebritate majoris litaniæ. Sat enim conſpicuum ex dictis, ſingulare feſtum, illudque ampliſſimè commendans, ut (9) prænunciavimus, dignitatem poteſtatemve Petri, & Romanæ Eccleſiæ, celebrari voluiſſe olim a ma-

(9) §. 5.

(*h*) Conſpiciuntur adhuc in villa Patrum S. Auguſtini extra Flaminiam hujuſce eccleſiæ veſtigia, de qua (ceterò memorata ſæpe in antiquis hiſtoriis) loquitur in ms. marginali notula, appoſita ad catalogum Bucherii extantem penès bibliotecam Angelicam, doctiſs. Card. Noriſius.

(*i*) Olim pons iſte, *mulvius*, & *milvius*, nunc *molle* appellatus, ut antiquarii paſſim, & Romanas. rerum veſtigatores omnibus noti.

majoribus noſtris die 25. Aprilis. Non litaniæ, non feſtum S. Marci (quandoquidem hæc additiția ſunt, ſeu poſterioribus nata temporibus) hujus diei lucem vetuſtiori ætate, ideſt ab origine, præclaram reddebant apud Romanos; ſed ſtatio, ſeu concurſus generalis Cleri, & populi, ad celebrandam ſollemni ritu memoriam declarati per Petrum pontificii Primatus, aut invecti Romam ſupremi faſtigii Epiſcopatus convenientium. Hæc primigenia, & propria perilluſtris diei ſollemnitas.

XVII. Inductio ex dictis.

Hinc verò, imò ex delibatis tota hac ſectione, mirum in modum ſtabilitur (ne demonſtrationis verbo iterùm utar) quod ſancitum, probatumque jam affirmabam §. primo. Eccleſiæ, quæ morem dandi *presbyterium* peculiariùs obſervavit,& ſolertiùs cuſtodivit,nota, & officium eſt, ad unitatem & charitatem movere fideles, verbo, & exemplo paſcere, docere, ac regere maximè Clerum, quod utique manifeſtè deducitur ex collectis §. ſecundo: decus, & prærogativa loci, quo *presbyterium* perpetuò præſtitum, præſentem in cineribus habere (uti oſtenſum §§. tertio, & quarto) ſummum primum viſibilem quondam Sacerdotem, ſeu caput, Ductoremque univerſi Dominici gregis, præcipuè Cleri, unitatis cuſtodem, & eximium humilitatis, ac paupertatis exemplar: ratio, atque inſtitutio ſolemnitatis, ſive temporis, cui *presbyterii* ad eum locum exhibendi largitio addicta, & in quo celebriùs, ac diutiùs exercita, revocare quotannis ad memoriam (quemadmodum animadverſum §. primo) hujus exemplaris, cuſtodis, ductoris, capitis, ſeu viſibilis primi ſummi Sacerdotis, necnon hujuſce Eccleſiæ muneris tam illuſtris, ac notæ, poteſtatem dignitatemque. Et erit poſthac, qui jure diffiteatur, per inſtitutum Vaticani *presbyterii* ſymbolum, ac teſſeram chriſtianæ unitatis charitatiſve, imò de hac ſervanda ſtimulum tradi fidelibus, potiſſimè Clericis, hiſque addi genus documenti ſingulare, ne umquam dediſcant, ſe ſub Ductore, ſeu Sacerdote ſummo ſtipendia ſumere tantùm debere ſua, & eſſe pauperibus in humilitate, & conditione ſocios? Quod eatenus ſancitum, probatumque erat.

SE-

SECTIO IV.

§. I. Vaticanum *presbyterium* ſic dictum a Chriſto, & Petro.

ALTE' hanc animo fige rerum ſummam; quin ſingula, quæ ad illam contrahendam produxi, meditare ſæpè. Sunt enim veluti fax, & clavis, quibus ceteras ſuper hoc ritu emerſuras quæſtiones ſine ullo prorſus labore aperias, ac elucides. Id mihi ſaltem eventurum commodi præſentio. Fac ſiquidem, percontetur quiſpiam, cur Vaticana præſtatio *presbyterium* appelletur, expeditè reponam (quum recorder aſſertorum de Chriſto, & Petro) hoc dictum, quòd a ſupremo *Presbytero*, ſeu Sacerdote tradi videretur, ea planè ratione, qua publicis largitionibus nomina appingebant majores noſtri. Certè *ὑπαττία*, *conſularia*, ſeu *ὑπατεῖαι*, quas *ὕπατοι*, latinè *Conſules*, profunderent, *auguſtatica*, *βασίλικα*, per Auguſtum, Græcis *βασίλεια*, diſtributæ vocabantur, uti advertunt paſſim lexicographi, Cangius præſertim in utroque gloſſario, Hadrianus Valeſius in notis ad panegyrin Berengarii n. 62. pag. 412. tomi 2. Scriptor. rer. Italic. Muratorii &c.

II. Fortè & a Clericis.

Sed nec repugnabo (quum recorder, quæ de Clericis potiſſimùm *presbyterii* participibus aſſerui) quod ab iis dici potuerit. Congregatio Clericorum, quamvis non conſtet e ſolis Presbyteris, ſolebat ab antiquis nuncupari *presbyterium* juxta monita (1) in Prologo. Generatim ſub vocabulo Presbyteri vulgò Clericus quivis comprehendebatur, maximè apud Italos. Cencius Camerarius (unum producam teſtem) Lateranenſe deſcribens dandum Clericis omnibus eccleſiarum Urbis *presbyterium* nuncupat, *quod datur Presbyteris Romanis* tit. 18. ſui Ordinis num. 40. pag. 190. to. 2. cit. muſei &c. Manavit ſtylus ad poſteriores ætates. Marcus del Guazzo pag. 154. hiſtor. rerum memoria dignarum, quæ per varias Europæ provincias geſtæ ſunt ab anno 1524. ad 1544. enarrans celeberrimam proceſſionem habitam Pariſiis die 17. Octobris an. 1531. pro transferendo ab eccleſia S. Antonii extra mœnia ad baſilicam B. V. *Notre dame* nuncupatam cadavere Aloyſiæ Reginæ Franciſci I. matris, ibi exequialibus ceremoniis honorandæ, memoratis ordinibus religioſis, inquit: *Et a loro drieto andarono ventiquattro Capitoli de Preti, e tutti della città di Parigi* &c. Angelus Pientinus O. P. in tractatu piarum operum memorabilium anni Jubilei 1575. Cle-

(1) Sect. 2. §. 7.

Clerum eccleſiæ Liberianæ cum Canonicis aſſociantem Confratres ſodalitii *Confalonis* dicti commemorans: *Vi furono tutti i Canonici, e Preti di Santa Maria maggiore*. Lib. 3. cap. 12. pag. 181. edit. an. 1583. Hieronymus Ghilinus Marcum Antonium Muretum inter Clericos primùm ſimpliciter adſcitum, atque inde Presbyterum ordinatum annotaturus ſic ſe explicat. *Ne gl' ultimi 9. anni di ſua vita ſi fece Prete, e poi Sacerdote, al quale uffizio angelico atteſe con tanta integrità di vita, e divotione, che pareva un idea di religione, e un ſpecchio di bontà*. Pag. 165. to. 1. Theatri viror. illuſtrium edit. an. 1647.

III. *Presbyterium appellabatur ſalarium*.

Quæ expoſuimus de alimonia Clero debita, per *presbyterium* expreſſa, ſtatim edocent; quare illud nonnumquam *ſalarium* dictum ſit. Verè *ſalarium*, & *presbyterium* Vaticanum idem eſſe agnoſces, ubi legeris literas plurium Pontificum infra (2) excribendas. *Salarium* autem interpretantur Icti, quicquid traditur pro alimento comparando. Vide Cujacium ad L. 1. C. *de præben. ſalar*. l. 10. Calvinum in lexico juridico &c.

(2) *Sect. ſeq.* §§. 2. 3. & 4.

IV. Atque *emeritum ſtipendium*.

Vocabatur etiam *presbyterium* Vaticanum *emeritum ſtipendium*. Sub ea notione indicatur a Veggio hæc dicente, quamquam non in ſingulis (*a*) apicibus probanda. *Maximum, & præclariſſimum videtur, quod a SS. Patribus conſtitutum ſit, ſolemnes omnes, majoreſque ſupplicationes, & proceſſiones ad baſilicam S. Petri fieri. Et, cùm jure cautum ſit, eam eſſe cujuslibet civitatis primariam, & cathedralem eccleſiam, ad quam in proceſſionibus ceteræ convenirent, manifeſtiſſimum hinc certè nobis conſtabit, ac indubitatiſſimum argumentum ſummæ dignitatis, & eccleſiaſticæ, qua eam ſupra ceteras cunctas, utpote unicam ſanctamque omnium matrem Romani Pontifices eminere voluerunt. Quod ut evidentiore etiam ſigno demonſtraretur, decreverunt inſuper, ut omnibus, quotquot ad eam tunc convenirent, quaſi emeritum ſtipendium ex oblato ære majoris altaris ſolidi* XX. *darentur, ſicut & publicum ejus rei cauſa confectum apoſtolicum* (b) *documentum teſtatur*. Hæc Veggius cit. lib. 3. hiſtor. de baſil. Vatic. num. 88. pag. 75. to. 7. Junii Bollandiani. Quare autem *emeritum ſtipendium*? Quia *ſalarium* Clericorum

(*a*) Vide Par. 1. ſect. 10. §. 6.

(*b*) Hoc documentum videre non potui, ſed fortè illud non diverſum a diplomate Alexandri IV. Eugenii PP. literis renovato, de quo ſect. ſequente.

rum militaris veluti præſtatio (id verò (*c*) explicatur per voces *emeriti ſtipendii*) & alimonia eſt, ſi manus, a qua traditur (Chriſti nempe, & Petri ſupremi Ducis) necnon comparati Cleri militiæ meminerimus.

V.
Militibus comparati Clerici *presbyterio* donandi.

(3) *Sect. ſeq.* §. 2.

Ex hoc capite colligo, atque intelligo, cur Alexander IV. in literis inferiùs (3) deſcribendis percepturas *presbyterium* Vaticanum turmas Clericorum appellarit *devota ſacerdotalis militiæ agmina*: & cur iiſdem præſcribatur tum in his literis, aliiſque, tum per Ordines Romanos, delatio *crucium*, delatio *vexillorum*, & *inſignium*, cujus videbatur ſequela acceptio *presbyterii*, ſeu *ſalarii*, ac *emeriti ſtipendii*. Siquidem decebat, ut milites non ante ſtipendium ſumerent a Ducibus ſuis, quàm ſe, &, qua pollerent, poteſtatis dignitatiſque ſigna in obſequii, ac ſubjectionis teſtificationem militari more ſiſterent, curvarentque coram illis. Cruces quis neſcit a Scriptoribus dici chriſtianorum militum ſigna, ſeu vexilla? Adi rationale Durandi, Evellionii librum de proceſſionibus &c. Cruces *vexilla Regis* Chriſti vocat Venantius Fortunatus in hymno, quem ſuis inſeruit curſibus Eccleſia ad dies honori Crucis conſecratos. Juliani Pomerii celebris eſt locus libro 3. prognoſticorum, ubi de poſtremo Chriſti adventu. *Quemadmodum* (ſic ille) *ingrediente Rege in civitatem, exercitus præcedit, ſigna, & vexilla regalia, & ambitus præparationis armiſona annuntiat Regem venientem; ita, Domino deſcendente de cœlis, præcedet exercitus Angelorum, & Archangelorum, qui ſignum illud triumphale Crucis vexillum ſublimibus humeris præferentes divinum Regis cœleſtis ingreſſum ſonis trementibus nuntiabunt*. Vexilla, & inſignia (quæ idem plerumque ſonant) aliter appellantur (*d*) *papiliones*, vel *tentoria*, & *ſinnichia*, ſeu *zinicha* magni umbraculi, ſive tabernaculi ſpeciem referentia, quibus præferri ſoleat *campanula*, ſeu tintinnabulum portatili veluti turri infixum, & jugiter,

(*c*) V. noſtram hiſtoriam inſignis baſilicæ S.M. trans Tyberim diſquiſit. 1. pro voce *emeriti*, & pro *ſtipendii* relege ſupra ad ſectionem 2. §. 14. &c.

(*d*) Clemens XI. in bulla, *Salvatoris*, qua concedit eccleſiam S. Johannis de mica aurea Clericis regularibus miniſtris infirmorum, meminit ſollemnes proceſſiones, in quibus *Capitulum* (verba bullæ) *&* *Canonicos* (S. M. Tranſtyb.) *una cum Clero, zinicho, ſeu tentorio, & campanula exire contingat*. Candidus Caſſina in ſuis mss. diariis referens quotquot aſſociarunt cadaver Cardinalis Leandri Colloredi ſummi Pœnitentiarii d. 14. Januarii 1709. *Poſtea Clerus, Beneficiati, & Canonici baſilicæ S. Mariæ trans Tyberim cum propria cruce ſine papilione &c.*

giter, Clero procedente, pulſari conſuetum. Hæc autem militaribus * tentoriis, ac tubis correſpondere, notaſque eſſe dignitatis & juriſdictionis amplioris, etiam ſecularis, plerique opinantur Eruditorum. Vide de his Macrum ad vocem, *Proceſſio*, Evellionium cit. lib. de Proceſſionib. cap. 3. pag. 37. & ſeq. Bonannum de numiſmatis pontificiis numiſm. xxxvi. Paulli III. pag. 236. & ſeqq. Bollandiſtas to. 2. Maii pag. 459. col. 2. &c. Antonius Stephanus Chartarius lib. 3. prodromi gentilitii cap. 10. pag. 346. papilionem appellat *contraſegno proprio di ſuprema giuriſdizione*. In itinerario Gregorii XI. a Petro Amelio compoſito, & impreſſo apud librum 6. de Epiſcopis Urbis Papirii Maſſoni, eccleſiarum Romanarum ſigna, & tintinnabula *papalia*, & *imperialia* nuncupantur. Locum proferam ſequenti (4) Parte. Quod reſpicit quum eccleſiaſticam, tum ſecularem poteſtatem, qua principes nonnullæ eccleſiæ potiebantur.

(4) *Sect. 6.* §. 12.

VI. S. Petri *intereſſe*, & ejus baſilicæ *honor* in *presbyterii* præſtatione.

Eruitur præterea ex dictis de Petro *presbyterii* diſtributore, de baſilicæ Vaticanæ dignitate, & feſto diei 25. Aprilis, aptè, & congruè pronunciatum aliquando, acceſſum Cleri ad *presbyterium* percipiendum die S. Marci *reſpicere quodammodo intereſſe Apoſtolorum Principis, cæleſtis Clavigeri;* necnon *prærogativam eſſe honoris eccleſiæ tanti Principis*. Lege in anteceſſum cit. Alexandri IV. (5) diplomata.

(5) *Sect. ſeq.* § 2. & 3.

VII. Canonicis S. Petri datus locus princeps in Clero procedente die S. Marci.

Supremi fidelium (maximè Clericorum) Ducis conditio in Petro declarat, quare Canonici Vaticani, non uti nunc, atque etiam antiquitùs, poſt Clerum S. Mariæ majoris in generalibus proceſſionibus reliquis; ſed ante illum (e) procederet juxta nar-

* Ab hac notione minimè diſtant, qui cenſent, *papiliones* Clericorum inſtitutos, ut ſub iis, quaſi ſub tabernaculis, ſtarent pluviæ ſupervenientis tempore. Grancolaſius to. 2. commentar. in Breviar. Rom. tit. *des rogations* &c. pag. 357. loquens de vexillis nunc contractis inquit: *La banniere, qu' on porte aujourduy n'eſt, qu' un racourci du Gonfalon, qui eſt un tente ronde, que l'on portoit devant les proceſsions en cas de pluye, pour mettre le Clergè à couvert. On en porte encor devant les proceſsions des cinque principales egliſes collegiales de Rome* (ideſt S. Johannis Lateran. S. Petri, S. M. majoris, S. M. Tranſtyb. & S. Laurentii in Damaſo) *une devant chacun; mais deux devant celle de S. Jean, come Cathedrale, & où l'on ſuppoſe, qu' il y à un plus grand nombre des perſonnes a mettre a couvert en cas de pluye*. Sic ille hac poſtrema periodo non ſatis verè, & ſcienter. Sed de hoc alibi.

(e) Fugiſſe mos iſte videtur Paullum de Angelis Liberianæ baſilicæ hiſtoriographum. Aliàs ex illo quoque induxiſſet, opinor, ſecundum locum inter Patriarchales tenuiſſe quondam Sanctam Mariam majorem. Quod oppidò falſum, vel ipſis

narrata præcedenti (6) Parte, ideſt, loco præiret agmini Patriarchalium, cum Papa, & ordinibus Cappellæ procedentium ab ipſo ſupplicationis majorum litaniarum initio. Audiatur vetus author, rerum Vaticanarum utique ſcientiſſimus. *Non modica B. Petri baſilica lætari debet prærogativa, quòd in majore letania tamquam navis propria, & aliarum vexillifera* ** *omnes de navi præcedat, Domino Papa tamquam principali & præcipuo Gubernatore ex puppe veniente. In quo nimi-rum*

(6) Sect. 9. §. 3. &c.

---

ipſis penſatis ratiunculis, quas de ſuo, aut alieno cenſu profert. *Quod hæc Patriarchalis* (inquit pag. 116. hiſtoriæ lib. 6. cap. 5.) *ſecundum locum obtineat, ex illo valde cognoſcitur: quia, cùm prima fuerit Salvatori dicata; poſt ipſam altera ſedes potiùs matri ejus, quàm alicui ex Sanctis competit.* Cum Petro de monte Martyrum (lib. 2. miraculor. imaginis B. M. majoris) ait: *Major idcirco, quia poſt Lateranenſem SS. Salvatoris eccleſiam major dignitate non ſolùm Romanis, ſed & totius Orbis eccleſiis eſt* &c. Hæ ſunt ratiunculæ Paulli de Angelis, qui & ſuæ ſententiæ ſuffragatorem fuiſſe vult Baronium, quòd recenſeat ad annum 1057. poſt Lateranenſem Liberii eccleſiam. Sed ejuſmodi nihil decernit Baronius. Tantùm ibi producit e Vaticanis chartis Anonymi ſcriptionem, denuo vulgatam poſtea ſecundùm lectionem codicis bibliothecæ Thuanæ per Carolum a S. Paullo ſub tit. *notitia antiqua Provinciæ Romanæ* cap. 8. lib. 2. Geographiæ ſacræ, & fortè exſcriptam a Cajetano num. 19. commentar. ad vitam Gelaſii II. pag. 54. ſcriptionem, inquam, non tam accuratè exponentem hierarchiam S. R. E. quæ dici non meruerit in diſſertatione de *optione ſex Epiſcopatuum* pag. 60. collectionis diſſertationum Card. Braucatii in pleriſque manca, & diſcors aliis ſimilibus elenchis. Certe (quod rem noſtram tangit) concors non eſt *provinciali* Cameræ apoſtolicæ codici, quem ſequitur Panvinius pag. 56. libelli de Epiſcopatib. Titulis &c. edit. an. 1557. & excerpto Petri Mallii apud cit. muſeum to. 2. pag. 160. cap. 31. ubi quarto recenſetur loco S. Maria major. Cæterùm, unde *major* dicta hæc baſilica, aperit Breviarium Romanum. *Cùm multæ jam eſſent in Urbe eccleſiæ ſub nomine B. M. V.* (ita lectione 3. nocturni 2. in officio S. M. ad nives) *ut, quæ baſilica novitate miraculi, ac dignitate ceteris ejuſdem nominis baſilicis præſtaret, vocabuli etiam excellentia ſignificaretur, eccleſia S. M. majoris dicta eſt.* Prorſus verò ridiculum, quod a titulo eccleſiæ deduxit argumentum eruditus de Angelis. Cui enim ignotum, eccleſiarum dignitates æſtimari ſemper conſuevifſe, non a titulis, aut Patronorum conditione, ſed à prædilectione ſupremorum Antiſtitum, ab antiquitate ædificii, vel collegii, amplitudine juriſdictionis, privilegiorum conceſſione, eorumve communicatione? At de his alibi nos copioſiùs. Unicè addamus, futurum ſemper ſuaſu difficillimum, quod Clero S. Petri præceſſerit quondam ex vi dignitatis ſuæ Clerus Liberianus. An ea prærogativa ſpoliatum credam poſtea, & quidem oſcitanter, quem adeo ſui honoris ſollicitum oſtendunt dura tot perpeſſa, geſtaque ad evitandam acceptionem *presbyterii* Vaticani, quæ ſequenti ſectione referentur?

** Quod lego excerptum diariorum Blaſii Martinelli de Ceſena vulgatum anno 1736. ab erudito P. Caſimiro Romano Ord. Minorum obſervant. cap. 10. monimentor. hiſtoric. S. Mariæ de aracœli pag. 327. nonnihil affert lucis Vaticanæ prærogativæ, de qua hìc Manlius. *Die veneris* (ſic excerptum e ms. cod.) XII. *Martii* (an. 1518.) *fuit prima proceſſio ſolemniter* (a templo S. Auguſtini ad

rum facto (f) *ſignificatur B. Petrum vexilliferum, & totius Eccleſiæ eſſe perductorem, & Chriſti reſurrectionis primum prædicatorem.. Sicuti enim in paſchali proceſſione cruces, & Sanctorum reliquias ad vitæ præparationem, & munimenta contra hoſtes inviſibiles præmittimus; ita in hac generali proceſſione B. Petri baſilica, ut ductrix, & rectrix ceterarum, præambula invenitur*. Sic ad caput ſeu titulum: *Quare B. Petri baſilica præcedat in proceſſione*: hiſtoria Petri Manlii.

VIII. Etiam datum *presbyterium* copioſius.

Et illinc palam fit, conditione pariter inſpecta præcipui feſti diei, cur uberiore aliarum quarumcumque eccleſiarum Clericis dando *presbyterio* tunc fruerentur Canonici Vaticani. Quandoquidem æquum erat, ut *domeſtica* ſupremi Pontificis, Ducíſque *familia* (ita appellatum vidimus Clerum S. Petri ab Eugenio III.) præ reliqua honoraretur in ejus ſollemnitatis, ac lætitiæ die, gravioraque perciperent ſtipendia, qui veluti Prætoriani milites diu noctuque excubarent ad corporis cuſtodiam. Memora ſolidos xx. traditos Canonicis S. Petri, dum ipſis Lateranenſibus ſex tantùm (quod habes Parte (7) præcedente) traderentur.

(7) *Sect.* 10. §. 5.

IX. Portio *presbyterii*, quæ aliis Clericis dabatur, uniformis non erat.

Inter alios Clericos, ſive ceteras eccleſias non æqualis portio diſtribuebatur *presbyterii*, ſi vera (ut credere par eſt) narrabat Cencius Camerarius ibidem allegatus. Patriarchalis Liberiana, & S. Laurentii extra muros parem, ſed minorem Lateranenſi portione; Tituli minorem data Patriarchalibus, majorem tamen Diaconiis; Monaſteria diverſam inter ſe, graviorem quidem monaſterium S. Paulli, & ſiquod ſitum aliud eſſet extra Urbem; aliæ eccleſiæ diſparem quoque lucra-

S. M. de aracœli) *ordinata, in qua omnes Religiones tam Clericorum, quàm Monaſteriorum, exceptis Fratribus de Pace, omnes Officiales. Caput & ductor proceſſionis Capitulum, & Canonici S. Joannis Lateranenſis, & inde Societates hoſpitalis Salvatoris, Annuntiatæ della Minerva, & alia poſt Fraternitates ſecularium. Deinde Religioſi mixtim: a lateribus officiales Curiæ. Multæ & infinitæ Reliquiæ per Religioſos, & Clericos portabantur. Ultimo loco caput S. Andreæ, & caput S. Joannis baptiſtæ per Canonicos S. Petri, qui finiebant proceſſionem* &c. Hæc Blaſius deſcribens ſupplicationes juſſu Leonis X. peractas occaſione imminentis Turcici belli.

(*f*) Quum vigeret uſus deferendi crucem *ſtationalem* Vaticanam per ſtationes quadrageſimales, illa præibat univerſo Urbis Clero procedenti, & ſumebatur ex altari S. Petri, ut teſtatur Mallii locus promendus num. 8. Appendicis 1. Quæ collata cum dictis ſuperiori §. 5. de crucium ſignificatu mirè comprobant opinionem *Ducis* in Petro, nedum confirmant (quod hìc obſervaſſe juverit) notata §. 3. ſectionis 3.

crabantur. Cujus diſcrepantiæ cauſſam produnt, explanantque ſuperiùs (8) dicta de *presbyterio* juxta dignitatem Clericorum diſtribuendo. Dignitas autem, ſeu potiùs decora ſpecies eccleſiarum, & Clericorum Urbis omnium æqualis prorſus in omnibus numquam fuit, quod ex infra (9) narrandis patebit.

(8) *Sect.* 1. §. 7.

(9) *Sect.* 10.

X. Clericis Urbis nihil alibi *presbyterio* Vaticano ſimile traditum.

Aſſerta de unitate, ceteriſque per actionem collationis *presbyterii* expreſſis, de laudato toties Apoſtolorum Principe, de Romanæ Eccleſiæ feſto, aliiſque ad eadem fovenda, rememorandaque ſummè idoneis, perſpicuum faciunt, quàre Clerici omnes Urbis ad Vaticanum ſolummodo accedere debuèrint ritu publico *presbyterium* ſumpturi. Accipiebant quidem & alibi *presbyterium*. Scio, & ſequenti Parte demonſtrabo. Verùm hoc munus erat Papæ diverſiſſima ſub idea concipiendum. Aliquid diſtributum ex oblationibus aliarum eccleſiarum nonnumquam infra annum, haud recentes tradunt ſcriptores. Novi, quin & exempla jam (10) quædam notavi. At non illud ſub *presbyterii* nomine, ſpecieque, nec Clericis omnibus præſtitum video. Vaticanæ baſilicæ ſolius prærogativa fuit, ad accipiendum ex oblationibus ſuis, quod *presbyterium*, *ſtipendium*, ſeu *ſalarium* diceretur, traxiſſe univerſum Clerum, ſemel ſaltem infra annum.

(10) *Par.* 1. *ſect.* 3. §. 6. & *ſeqq.*

XI. Non unica dies S. Marci præſtatio Vaticana *presbyterium* nuncupata.

Eidem prærogativæ ex dictis profluenti tribuendum pariter (ut hoc etiam advertam) ſi (quod de alia ulla eccleſia nullus, quem viderim, teſtatur author) diſtributæ aliquot oblationum portiones baſilicæ Clericis, extra quoque communem omnibus partitionem diei 25. Aprilis, *presbyterium* vocarentur temporibus ab ætate S Gregorii Magni, quà nomen illud audiebatur vel inter eccleſiaſticas extraurbanas (uti Parte prima (11) proditum eſt) diſtributiones, valde remotis. Qui poſcit exempla, relegat locos illic (12) productos Benedicti Canonici, & Manlii Bollandiani.

(11) *Sect.* 2. §. 12.

(12) *Sect.* 5. §. 13. & 15.

XII. Papa *presbyterium* unicè accipiebat ad baſilicam Vaticanam.

Pars verò hujuſce prærogativæ maxima, ſummum intueri Pontificem (licèt oblationum cujuſque eccleſiæ Dominus & haberetur, & eſſet) nedum perceptorem Vaticanarum tantùm, cum turba Cleri nonniſi ad altare S. Petri de *presbyterio* participantem. Certè incaſſum volvi plurium ſeculorum ſcripta, ut ſimile quidpiam actum invenirem per alias eccleſias. Unitas, charitas, humilitas, ſive eccleſiaſtica paupertas, indicatio conditionis clericalis ſtipendii in *presbyterio*

 figu-

figurata poſtulabat meritò, ut præformator Cleri, cunctorum fidelium vivum exemplar, ac magiſter Romanus Antiſtes tale nihil negligeret. Sed dignitas ejuſdem non alibi rem agendam optimè ſuaſit præter quàm ad Vaticanum, ubi tam egregiè (ſicuti tota præcedente ſectione animadverſum) ea omnia promoveri, excitarique in animis poſſent.

XIII. Nec illi indecorum, quòd Romanus Epiſcopus.

Sic autem verè præformabat Clerum, eumque cum ceteris fidelibus exemplo confirmabat, inſtruebatque ſuo abſque diſpendio dignitatis. Porrò, ſi Romanus Pontifex uti moderator Urbis, annexæque diœceſeos, ſeu ſimplex Epiſcopus conſideretur (conſiderari verò poſſe inſinuat S. Bernardus in libro de conſideratione ad Eugenium III. quo, etſi Papam non ſemel *Epiſcopum Epiſcoporum* appellet, aliquando vocat *unum ex illis*) nihil penitus derogaſſe videbatur pontificiæ majeſtati *presbyterium* accipiens in baſilica Petri. Siquidem ad Epiſcopatus initii, ſeu radicis monumentum conſtitutus normam præbebat, ac documentum de ſervanda unitate, vivendoque in humilitate pauperum ex altari univerſis Epiſcopis, qui, ut expoſitum (13) ſuprà, de oblationum cumulo cum aliis Clericis participare debebant. In hoc ſaltem cum Fratribus ſuis conveniſſe videbatur, & quidem loco conformitati explicandæ perapto.

(13) Par. 1. ſect. 2. §. 3. & Par. hac ſect. 1. §. 2.

XIV. Aut quod Papa. Quid iſte reſpectu Chriſti.

Quodſi conſideretur tamquam *Epiſcopus Epiſcoporum*, ſeu Paſtor ſupremus catholicæ Eccleſiæ, detrimenti quid caperet tanta dignitas, nemo oſtendet. Non indecorum erat ſummo Pontifici ex altari Petri reliquiis ſuperimpoſito ſtipendium ſumere, videlicet, e manu Chriſti, ipſiuſque præſentis Principis Apoſtolorum. Nam, reſpectu Chriſti Domini, Antiſtes in tanto collocatus faſtigio non deſinit eſſe Eccleſiæ membrum ſub capite Chriſto, ſicut reliqui Epiſcopi, & (proportione ſervata) fideles alii. Magnus Gregorius libro 6. epiſtolarum epiſt. 38. ad Johannem CPolitanum, dum Petrum (adeoque unumquemque ſucceſſorum ejus) tamquam *univerſalis Eccleſiæ primum membrum*, hoc eſt, caput; & alios Apoſtolos (adeoque ſucceſſores Epiſcopos) tamquam *ſingularium plebium capita* commemorat, inquit: *& tamen ſub uno capite* (Chriſto) *omnes membra ſunt Eccleſiæ*. Patres Baſileenſes ante ſchiſma: *Nos unum Eccleſiæ corpus ſumus*, *& ipſe* (ſummus Pontifex) *bujus corporis caput ſub capite Chriſto*. V. tom. 12. Concilior. Labbei pag. 706. inter epiſtolas ſynodales.

Pe-

XV. De ſummorum Pontificum humilitate, ac obſequio erga S. Petrum.

Petrum quod attinet, gloriati ſunt ſemper Romani Pontifices, ſive (ut caſtigatiùs loquar) exultarunt ; quoties obſequii ſui in tantum Principem ſollemne aliquod publicumque promerent documentum, & ejus (g) humilitatis imitatores effici poſſent. Propterea Lupus Ferrarienſis Benedictum III. dicere non abnuit in epiſtola 103. pag. 154. operum editionis Balu*z*ianæ *non tantùm poteſtatis B. Petri participem ; verùm etiam humilitatis*. Propterea, ut humilitate ceteris Epiſcopis præcellerent (quibus honor ſupremus juxta Theodoretum q. 20. in II. Regum τοὺς δούλους ὀνομασθῆναι θεοῦ : *dici Dei* (h) *ſervos*) imò aliis minoribus Clericis (quos *Dei ſervus* quandoque nuncupatos docent multa, præſertim epiſtola Caroli M. legenda apud Mabillonium to.4. actor. O.B. p.402. vetus membrana ad calcem Operis num. x. deſcribenda &c.) ac obſequium Petro exhiberent præcipuum, tum *ſervi ſervorum Dei* inſcribi voluerunt Romani Epiſcopi, tum ſæpè non Chriſti, ſed *Petri Vicarii*. Quæ vox ſimul *vice* aut *loco* Petri præſidentem, ſeu ſucceſſorem ſonat, ipſo Pearſonio atteſtante ad annum 253. in annalibus Cyprianicis, & *ſervum* ſecundùm obſervationem Angeli de Nuce, quæ extat in notis ad chronicon Caſſinenſe num. marg. 556. & 557. Denominatio *Vicarii Petri* innumeris probari poſſet teſtimoniis. Unum habes ſectione (14) præcedente. Diſertiùs *Petri* ſe nominat *ſervum* Leo IX. in decreto, quod dudum (15) protuli, & diu ante illum S. Martinus I. in epiſtola 1. inter inſertas Commemorationi actorum adversùs eumdem. *Si peregrinos illic* (ideſt, Romæ) *ita reficit S. Petrus, quid dicemus de nobis, qui proprii ejus ſervi ſumus, & ſaltem ad momentum miniſtravimus?* inquit epiſtola to. 12. Bibl. PP. maximæ pag. 847. Lingua majorum loquutus eſt Paullus V. quum Vaticanæ Confeſſionis epigraphen

(14) §. 4.

(15) Par. 1. ſect. 4. §. 10.

(g) De humilitate S. Petri paſſim etiam recentiores. Vide Dominicum Raynaldum apud Allatium lib. de Eccl. Orient. & Occid. conſenſ. cap. 6. num. 12. Battellium in opuſculo ſuper ſarcophago Probi Anicii, & Probæ Faltoniæ &c. De humilitate ſummorum Pontificum S. Bernardus lib. 2. de conſid. cap. 6. *Nulla ſplendidior gemma, in omni præcipuè ornatu ſummi Pontificis, humilitate. Quo enim celſior ceteris, eo humilitate apparet illuſtrior.* Electus in Papam *humilem* ſe ſtatim profitebatur. *Ego Presbyter, & electus, futuruſque per Dei gratiam humilis Apoſtolicæ Sedis Antiſtes, tibi profiteor B. Petre &c.* Initium eſt indiculi apud Diurnum Garnerii cap. 2. tit. 9. pag.26. &c.

(h) Per denominationem *ſervorum Dei* indicantur Epiſcopi a Carolomanno de Synodo Germanica an.742. loquente. V. ejuſdem Capitulare, & to.6. Concilior. Labb. pag. 1534.

phen apponi juſſit relatam a Turrigio Par. I. operis de cryptis pag. 104. *Sacra B. Petri Confeſſio a Paullo PP. V. ejus ſervo exornata A.D.* MDCXV. *Pontificatus* XI. Sed, præteritis notiſſimis humilitatis pontificiæ, & obſequii in Petrum argumentis aliis, nefas duxerim, non annunciare, quod nuper vidit Roma ſpectaculum. Die 29. Maii anni 1724. vix ad ſupremum Pontificium aſſumptus Benedictus XIII. in Vaticanam baſilicam priſco more deſcendens, actionis ceremonias aliquot completurus, dodecaphoro vectus, ſubſtitit ad principem januam, atque e ſublimi dimitti voluit, limen oſculari, & reliquum itineris ad Apoſtoli uſque tumbam pedibus perficere. Quæ ubi accuratè quiſpiam contemplatus fuerit, diſpeream, ſi non ille decori, & gloriæ tribuiſſe cenſuerit Antiſtites maximos, percipere *presbyterium*, præſertim cum toto Romano Clero die 25. Aprilis, in baſilica Vaticana.

SECTIO V.

§. I. Falli opinantes, quod per acceſſum ad Vaticanum Clerici *presbyterium* accepturi ſubjicerentur Canonicis S. Petri.

PRODEANT modò, qui exiſtimant, fuiſſe quondam Clericis Urbis probroſum ſuarum eccleſiarum, nullo modo baſilicæ Vaticanæ ſubjectarum, ſigna ad eamdem conferre, ut ſalarium, ſtipendiumve caperent; quaſi hoc ſpeciem præſetuliſſe videatur ſubjectionis omnium, & potuiſſe a Clericis S. Petri pro indicio jactari ſupremæ in ceteros dominationis, & authoritatis. Poſtrema dictorum ſuperiùs capita, aut potiùs quæcumque ſuperiùs congeſſimus, inſigniter ab eis extra verum aberrari demonſtrant, rerumque ideas permiſceri mirificè. Salarium, & ſtipendium (aliàs *presbyterium*) non a Clero Vaticano diſpenſabatur: non illud ex redditibus ejuſdem conflabatur; ſed a pontificiis, & præcipuis miniſtris S.R.E. ex oblatis ad tumulum Piſcatoris. Præſtabatur ab ipſo Chriſto, præſtabatur ab ipſo Apoſtolorum vertice. Hoccine eſt probroſè ſubdi Vaticano Clero? An Pontifex & huic ſe ſubjectum eſſe geſtiebat? An ordines Curiæ nobiliſſimi? An idem ipſe S. Petri Clerus ſe ſibi ſubditum profitebatur? Namque hos omnes de *presbyterio* participaſſe conſtitit, & quidem reliquis Urbis Clericis tradita copioſiore portione. Aſt procul ab ætate noſtra hujuſmodi nugæ, ac deliramenta.

II. Ex hac opinione turbæ ſub Alexandro IV. Ejuſdem pro iis ſedandis literæ.

Tempus fuit, quo iſthæc animos quorumdam vexarunt. Circa medium ſeculi quartidecimi ea ſerpere cœpit, aut præ-

con-

concepta invaleſcere opinio, confuſioque. Hinc turbæ, hinc ſcandala, hinc jurgia liteſque in Clero, quibus compeſcendis fruſtra deſudarunt eccleſiaſtici Judices. Eo res devenerant anno 1360. ut nonniſi ſuprema Pontificis authoritate tempeſtas ſedari poſſet. Interceſſit ergo Alexander IV. ſequenti promulgato diplomate.

ALEXANDER EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Dilectis filiis Archipresbytero, & Capitulo baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe

Salutem, et apostolicam benedictionem.

„ JURGIA litium quibus turbatur in Clero nonnumquam „ humanitas eccleſiaſticæ unitatis, libenter Apoſtolicæ „ Sedis cura ſtudioſa diſſolvit, eaque, veluti peſtiferos cha- „ ritatis fraternæ languores, ſanæ pacis conſilio medicatur; „ ut in obſequiis munerum divinorum, quæ oportet ordina- „ biliter ſuaviterque diſponi, contentionis zelus ſinceritatem „ non inficiat miniſtrorum, & miniſterii ordinem diſſenſio- „ nis tumultuatio non corrumpat. Ubique ſanè ſuper hoc vi- „ gilantiæ noſtræ deſudare debet attentio, &, quantum poſſe „ ſinit humana fragilitas, procurare, ut in tranquillitate „ concordiæ Patri luminum *devota ſacerdotalis militiæ agmina* „ famulentur. Super vos autem tantò inſtantiùs hæc ſollici- „ tudo nos urget, quantò propinquiùs vos affectioni noſtræ, „ curæque ſubnectit injunctum nobis officium Apoſtolicæ ſer- „ vitutis, quantoque ſingulariùs Eccleſiæ oculi ex omnibus „ partibus ſuis deberent mores veſtros, velut quædam ſaluta- „ ris eruditionis exemplaria, intueri. Sanè dudum inter vos „ parte una, & dilectos filios *Rectores Romanæ Fraternitatis*, „ & Clerum Urbis ex altera ſuper *crucibus*, *inſigniis*, & *ve-* „ *xillis* portandis ad veſtram baſilicam in proceſſione, quæ „ in feſto S. Marci fieri conſueverit, & denariis, qui eccle- „ ſiis, monaſteriis, & cappellis ipſorum pro *ſalario*, quod „ *presbyterium* vulgariter dicitur, exhibentur, quæſtiones „ ſubortæ, & ſuper hoc nonnullis teſtibus hinc inde coram „ deputato a nobis Auditore productis, per depoſitionem „ eorumdem teſtium non potuit plenè de partium intentione

„ li-

„ liquere. Verùm, quia hujuſmodi controverſia, quæ aliis
„ ponere ſcandalum, & diſceptantium lædere poterit cha-
„ ritatem, eſt potiùs, prout nobis videtur providentiæ con-
„ ſilio, quàm judicio dirimenda, dignum fuit, & congruum,
„ ut de Sede Apoſtolica pro cauſa, quæ quodammodo re-
„ ſpicit *Apoſtolorum Principis cæleſtis Clavigeri intereſſe*;
„ proteſtativus reconciliationis ſermo in medias partes no-
„ ſtri deſiderii proſiliret, & per eum concertationis veſtræ
„ murmura perpetuæ pacis ſilentio premerentur. Provida
„ igitur deliberatione decernimus, & irrefragabili conſtitu-
„ tione ſancimus, ut Canonici tam ſeculares, quàm regula-
„ res, & Monachi omnium Patriarchalium eccleſiarum cum
„ crucibus, & aliis inſigniis conſuetis; eccleſiarum verò
„ presbyterorum, & diaconorum Cardinalium, & monaſte-
„ riorum cum crucibus propriis, & vexillis; Archipresbyte-
„ ralium autem eccleſiarum, prioratuum, & cappellarum
„ exemptarum, & omnium aliarum, quæ duodecim dena-
„ rios, vel plures pro hujuſmodi ſalario recipiunt, cum pro-
„ priis omnino crucibus *argenteis*, *aureis*, vel aliis, quas ha-
„ beant, & cum vexillis, ſi habent, & portare conſueverint;
„ Clerici quoque aliarum cappellarum, quarum ſingulæ tan-
„ tum octo denarios pro eodem ſalario recipiunt, vel cum
„ propriis crucibus, & vexillis, vel *cum alienis* etiam, ſicut
„ fuit hactenus conſuetum, induti veſtimentis (*a*) ſericeis,
„ aut ſuperpelliceis, ſive cottis in eodem feſto veniant pro-
„ ceſſionaliter annuatim ad baſilicam ſupradictam recepturi
„ ſalarium, vel *presbyterium* conſuetum, quod eis per vos,
„ & *unum de familiaribus noſtris* volumus exhiberi. Alii au-
„ tem Monachi, Fratres minores, Prædicatores, & Here-
„ mitæ, ac Religioſi alii cujuſcumque Ordinis cum crucibus
„ in

(*a*) Collegia eccleſiarum Patriarchalium, & Cardinalium, necnon Cappellani earumdem cum *ſuperpelliceis* ſive cottis incedebant; ſed agmini univerſo intermixti erant haud dubiè, qui pluvialibus, aliiſve ſericeis veſtibus induerentur. Ex loco Paridis de Craſſis, cujus tempore antiqui moris reliquiæ (poſtea extinctæ) ſervabantur, apparet, *Vicarios* eccleſiarum proceſſiſſe in pontificalibus; eorumque *aſſiſtentes* cum pluvialibus; atque itidem cum pluvialibus *Archipresbyteros* omnes Collegiatarum. V. infra ſect. 7. §. 3. Nec fortaſſe deerant alii ſic amicti Clerici. Quod mihi compertum, præter Archipresbyterum ſuum, ſeu priorem Canonicorum, præter Vicarium cum aſſiſtentibus ſericis ornatos, ad ſupplicationem mittebat baſilica S. M. Transtyb. ſacrario Præfectum amphibalo ſerico circumvolutum, de quo nos in cit. hiſtoria &c.

Digitized by Google

„ in eodem feſto proceſſionaliter veniant ad baſilicam memoratam. Quicumque verò fraude, ſeu malitia contra „ hujuſmodi noſtram conſtitutionem venire, aut facere, ſeu „ ipſam violare præſumpſerit, eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrat, a qua a nemine, niſi per Romanum „ Pontificem, vel eum, cui hoc ſpecialiter commiſerit, „ abſolvatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri decreti, noſtræque conſtitutionis infringere. „ Siquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem „ omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum „ ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Anagniæ xII. kal.Maii „ Pontificatus noſtri anno vI.

In literis Eugenii IV. infra deſcribendis legitur Alexandrinum hocce ſtatutum, quod tamen haud omnimodam turbatis rebus genuit tranquillitatem. Licèt pars maxima, ut par erat, continuò mandatis Apoſtolicis morem geſſerit, quidam exulcerati nimiùm, præjudicatæque mentis Clerici reſtitere audaciſſimè: quin etiam alios ad ſeditionem concitare non erubuerunt. Reſcivit Alexander, ſtatimque, vibrato fulmine per literas ſequentes, propriam, ſuæque contemptam Sedis majeſtatem ultus eſt.

III. Reliquiæ turbarum aliis Alexandri literis deletæ.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Dilectis filiis Rectoribus Urbis Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

„ SUPER orta olim inter dilectos filios Capitulum baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe ex parte una, & „ Clerum Urbis ex altera quæſtione ſuper eo, quod in proceſſione, quæ in feſto S. Marci ad ipſam baſilicam fieri conſuevit, cum crucibus, aliiſque eccleſiarum inſigniis, & „ vexillis idem Clerus, prout moris eſt, ad eamdem baſilicam contendebat, & ſuper *ſalario* eccleſiis, & monaſteriis, & cappellis Urbis propter hoc debito, quod *presbyterium* vulgariter dicitur, cùm fuiſſet aliquandiu a partibus „ litigatum, nec per depoſitiones teſtium productorum coram Auditore, ſuper hoc deputato a Nobis, nec per alia „ utrinque propoſita planè potuiſſet ſuper præmiſſis a No-

„ bis de partium intentione liquere ; aliàs quoque hujuſmodi „ controverſia pluribus eſſet in ſcandalum , & providentiæ „ ipſa conſtitutione potius , quàm judiciali calculo indigeret, „ ad hujuſmodi contentionis , & quæſtionis perpetuò ampu- „ tandam materiem , & ſoliti *prærogativam honoris* in feſto „ prædicto eccleſiæ tanti Principis conſervandam ſuper his „ per perenne ſtatutum , prout in litteris noſtris apparet, de „ Apoſtolicæ providimus plenitudine poteſtatis , credentes „ cuilibet quæſtioni , altercationi , vel contentioni ſubortæ , „ vel quæ ſuboriri circa præmiſſa , vel recidivum incurrere „ poſſet , inpoſterum per proviſionis noſtræ remedium adi- „ tum concluſiſſe . Sed , licèt ad robur ipſius ſtatuti contra „ quoslibet tranſgreſſores ejuſdem duxerimus decernendum, „ quod quiſquis fraude , vel malitia venire , aut facere con- „ tra ipſius noſtræ conſtitutionis tenorem , aut ipſam quovis „ modo violare auderet , ſententiam excommunicationis in- „ curreret ipſo facto , a nemine , niſi per ſummum Pontifi- „ cem , vel ab eo , cui ſuper hoc vices ſuas committeret , re- „ laxandam : nuper tamen , ſicut accepimus , & turbamur, „ quidam de Canonicis S. Mariæ majoris ; videlicet , Philip- „ pus Paparoni , Johannes Caputii Presbyter Romanus , Ro- „ manus Archipresbyteri , Andreas Buccabelle , Lauren- „ tius Leonardi de Galganis , Paulus Perdimedalla , & Jaco- „ bus Arcioni , facti inobedientiæ filii , & diſcordiæ relato- „ res , non ſolùm in proceſſione primo , & proximè præteri- „ to feſto S. Marci contempſerunt accedere ; ſed impedire „ nequiter præſumpſerunt , ne crucem , quæ deferri in pro- „ ceſſione hujuſmodi conſueverat , alii Canonici , qui in „ ejuſdem ſolemnitate proceſſionis reverenter accedebant „ cum aliis Clericis , deportarent . At , cùm ipſi poenitudi- „ ne nulla ſuper tantæ præſumptionis exceſſu ducantur , & „ obnoxii prædictæ excommunicationis ſententiæ , quam in „ noſtri decreti mandato ſic delinquentes incurrere noſcun- „ tur , divina celebrare , imò potiùs , & quantùm in eis eſt , „ profanare præſumant in ſalutis ſuæ diſpendium , & ſcanda- „ lum plurimorum , Nobis extitit humiliter ſupplicatum , ut „ adversùs tantæ præſumptionis reatum providere, ſicut con- „ venit , curaremus . Quocirca diſcretioni veſtræ per Apo- „ ſtolica ſcripta mandamus in virtute ſanctæ obedientiæ di- „ ſtrictè præcipiendo , quatenus Philippum Papparonis , & „ ce-

„ ceteros ſupradictos, quos nunc ex officio, beneficioque ſu-
„ ſpenſos eſſe decernimus, diebus Dominicis, & feſtivis ex-
„ communicatos publicè denuntietis, & faciatis ab aliis in
„ locis, in quibus expedire videbitis, publicè denunciari, &
„ ab omnibus arctiùs evitari, aliis ejuſdem eccleſiæ Canoni-
„ cis, qui ordinationi noſtræ obedientes fuerunt, in eadem
„ eccleſia remanentibus pro divinis officiis celebrandis. Ni-
„ hilominus citantes excommunicatos eoſdem, ut infra de-
„ cem dies poſt citationem noſtram perſonaliter compareant
„ coram Nobis de tantæ temeritatis exceſſu pro meritis re-
„ cepturi. Diem verò citationis, & quidquid feceritis Nobis
„ per veſtras patentes literas horum ſeriem continentes ſtu-
„ deatis fideliter intimare. Datum Anagniæ II. (fort. III. *vel*
„ *aliter*) Nonas Junii Pontificatus noſtri anno VI.

IV. Bulla Eugenii IV. pro firmandis cõſtitutis ab Alexandro IV.

Per has litteras, quarum tenorem ex archetypo penès ſe aſſervato deſcriptum produxere Canonici S. Petri occaſione litis inferiùs (1) memorandæ, confectum eſt penitus clericale bellum. Nec poſtea (quod ſciam) recruduit umquam, id ne fieret, data opportunitate, proſpicientibus Pontificibus Alexandri ſucceſſoribus. Illuc certè tendebat Eugenius IV. quum de præſervando a temporis injuria deceſſoris decreto ſollicitus ita conſtituit.

(1) *Sect.* 7. §. 13.

EUGENIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

„ AD hæc nos divina miſeratio, licèt immeritos, ſupremæ
„ poteſtatis eccleſiaſticæ præ ceteris mortalibus princi-
„ patum obtinere diſpoſuit, ut ſuam cuique juſtitiam, prout
„ debitores exiſtimus, ubilibet miniſtremus, &, quæ circa
„ dignitatum præſertim inſignia eccleſiis impartita vetuſtis
„ per prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices geſta compe-
„ rimus, illorum inhærendo veſtigiis, dum a Nobis petitur,
„ reſtaurationis, & innovationis munimine ſolidemus. Hinc
„ eſt, quod nos fel. rec. Alexandri Papæ IV. prædeceſſoris
„ noſtri de modo eundi ad proceſſionem, quæ in feſto San-
„ cti Marci fieri conſueverit, & crucibus ferendis ad baſili-
„ cam Principis Apoſtolorum de Urbe, ac denariis, qui ec-

 „ cle-

„ cleſiis, monaſteriis, & cappellis pro ipſorum *ſalario*, quod
„ *presbyterium* vulgariter dicitur, exhibentur, litteras, quas
„ in Cancellaria Apoſtolica diligenter inſpici fecimus, tenoribus de verbo ad verbum, ſignis, ſubſcriptionibus, &
„ characteribus dumtaxat exceptis, præſentibus adnotatis,
„ eas, cùm incipiant vetuſtate conſumi, ad dilectorum
„ filiorum Archipresbyteri, & Capituli præfatæ baſilicæ inſtantiam auctoritate Apoſtolica tenore præſentium innovamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus. Tenor
„ verò litterarum hujuſmodi talis eſt: Alexander &c.

Sequitur Sanctio deſcripta §. 2.

„ Per hoc nullum volentes jus cuiquam acquiri de novo; ſed
„ antiquum, ſiquod eſt, tantummodo conſervari. Nulli ergo
„ omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ innovationis, commutationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu
„ temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & BB. Petri, &
„ Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum
„ Florentiæ anno Incarnationis Dominicæ MCCCCXXXIX.
„ XV. Kal. Junii Pontificatus noſtri anno IX.

Gratis de mandato SS. D. N. Papæ.

Bar. Palavicinus.

Auſcultata per me D. Martini, & concordat...

...Julii de mandato Domini noſtri Papæ...

Sic apud chartophylacium Canonicorum S. Petri capſa 5. faſciculo 262. Eugeniana bulla, perennitati ſtatutorum per Alexandrum proſpiciens.

V. Aliis Nicolai V. Eugenii ſollicitudinem alia de cauſſa imitatus eſt Nicolaus V. Accipe rei teſtimonium, hoc eſt, diploma, quod litis ſupra enunciatæ tempore productum quoque reperi.

NICOLAUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

„ QUANTÒ baſilica Apoſtolorum Principis, cœleſtis re-
„ gni clavigeri, alias Urbis, & Orbis eccleſias ſpecialis
„ dignitatis privilegio antecellit, tantò illam a Nobis,
„ utpote *eccleſiarum caput, & matrem, ac ſedem propriam*
„ *Apo-*

,, *Apoſtolicæ Dignitatis*, prædeceſſorum noſtrorum Romano-
,, rum Pontificum veſtigiis inhærentes convenit Apoſtolicæ
,, providentiæ ſtudiis protegi, ac illius, & perſonarum ejuſ-
,, dem indemnitatibus ſic obviare, earumque jura tueri de-
,, bemus, ut, ſublatis ab eis ſiniſtris quibuslibet, perſonæ
,, ipſæ quietiùs valeant Altiſſimo famulari. Dudum ſiqui-
,, dem fel. rec. Alexander Papa IV. prædeceſſor noſter ſuper
,, quæſtionis materia inter dilectos filios Archipresbyterum,
,, & Capitulum dictæ baſilicæ ex una, & Rectores Romanæ
,, Fraternitatis, & Clerum dictæ Urbis ex alia partibus ſu-
,, per crucibus, & inſigniis, & vexillis portandis ad ipſam
,, baſilicam in proceſſione, quæ in feſto S. Marci fieri con-
,, ſueverat, & denariis, qui eccleſiis, monaſteriis, & cappel-
,, lis ipſorum pro *ſalario*, quod *presbyterium* vulgariter dici-
,, tur, exhibentur, ſuborta, quæ potiùs providentiæ conſti-
,, tutione, quàm judicio dirimenda fore videbatur, per quaſ-
,, dam ſanxit, & decrevit, ut Canonici tam ſeculares, quàm
,, regulares, & Monachi omnium Patriarchalium cum cru-
,, cibus, & aliis inſigniis conſuetis; Presbyterorum verò, &
,, Diaconorum Cardinalium, & Monachorum cum crucibus
,, propriis, & vexillis; Archipresbyteralium verò eccleſia-
,, rum, Prioratuum, cappellarum exemptarum, & omnium
,, aliarum, quæ duodecim denarios, vel plures pro ſalario
,, hujuſmodi percipiebant, vel cum propriis crucibus argen-
,, teis, aureis, vel aliis, quas haberent, & cum vexillis, ſi
,, habent, & portare conſueverint; Clericos quoque aliarum
,, cappellarum, quarum ſingulæ tantùm octo denarios pro
,, earum ſalario recipiebant, vel cum propriis crucibus, &
,, vexillis, vel cum alienis etiam, ſicut fuerat hactenus con-
,, ſuetum, induti veſtimentis ſericeis, aut ſuperpelliceis,
,, ſive cottis in eodem feſto venirent proceſſionaliter annua-
,, tim ad baſilicam ſupradictam recepturi ſalarium, vel *pres-*
,, *byterium* conſuetum, quod idem Prædeceſſor eis per Ar-
,, chipresbyterum, & Capitulum prædictos, & *unum de Fa-*
,, *miliaribus ſuis* voluit exhiberi; alii autem Monachi, Fra-
,, tres Minores, Prædicatores, Heremitæ, ac Religioſi alii
,, cujuſcumque Ordinis cum crucibus in eodem feſto proceſ-
,, ſionaliter venirent ad baſilicam memoratam. Et inſuper
,, prædictus Prædeceſſor per alias litteras ſuas contra quosli-

,, bet

Digitized by Google

„ bet tranſgreſſores conſtitutionis ejuſdem duxit decernen-
„ dum, quod quiſquis fraude, ſeu malitia venire, aut facere
„ contra ipſius conſtitutionis tenorem, aut ipſam violare
„ quovis modo auderet, ſententiam excommunicationis in-
„ curreret ipſo facto a nemine, niſi per Romanum Pontifi-
„ cem, vel ab eo, cui ſuper hoc vices committeret, rela-
„ xandam, prout in dictis litteris pleniùs continetur, obſer-
„ vari debere. Cùm autem nuper in proceſſione, quæ in hu-
„ juſmodi feſtivitate S. Marci proximè elapſa celebrata exti-
„ tit, nobis in ea perſonaliter intereſſentibus, mos, & ordo
„ conſueti in congregatione Cleri, & aliis præmiſſis obſervari
„ non potuerint; & propterea, ne ex hoc ſanctioni, atque
„ conſtitutioni, ac litteris Prædeceſſoris hujuſmodi in aliqua
„ eorum parte derogatum fore videatur: Nos ſuper his ſta-
„ tui, & indemnitati Archipresbyteri, & Capituli opportu-
„ nè providere volentes, motu proprio, auctoritate Apo-
„ ſtolica, tenore præſentium decernimus, & declaramus,
„ propter non obſervantiam ſolitorum moris, & ordinis in
„ proceſſione hujuſmodi, & alia præmiſſa nullum eiſdem
„ Archipresbytero, & Capitulo præjudicium illatum fuiſſe,
„ nec inferri poſſe; ſed nihilominus litteras prædictas, ac om-
„ nia, & ſingula in eis contenta perpetuò inviolabiliter ob-
„ ſervari debere. Propterea ad hujuſmodi conſtitutionis ro-
„ bur proviſionis noſtræ remedium adhibere volentes Ar-
„ chipresbytero, & Capitulo prædictis, ut omnes, & ſin-
„ gulas perſonas dicti Cleri, quas hujuſmodi excommuni-
„ cationis ſententiam pro tempore incurriſſe conſtiterit,
„ tamdiu in locis, in quibus expedire viderint, diebus Do-
„ minicis, & feſtis excommunicatas etiam nominatim
„ publicè denunciari faciant, donec ab ipſo Pontifice abſolu-
„ tionis beneficium obtinere meruerint, plenam, & liberam
„ tenore præſentium concedimus facultatem. Non obſtanti-
„ bus præmiſſis, ac conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon
„ eccleſiarum prædictarum juramento, confirmatione Apo-
„ ſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & con-
„ ſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli
„ ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſti-
„ tutionis, declarationis, voluntatis, & conceſſionis infrin-
„ gere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc
„ at-

„ attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, „ & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit in- „ curſurum. Datum Romæ apud S.Petrum anno MCCCCXLVIII. „ VIII. Kal. (*b*) Aprilis Pontificatus noſtri anno II.

L. Termada.

P. de Noxeto.

VI. Ejus conficiendę occaſionem ex ipſius textu prodi.

Quæ fert diploma: *mos, & ordo conſueti in congregatione Cleri, & aliis præmiſſis obſervari non potuerint*: affatim declarant, variatum penitus eo anno (unde neceſſitas, & occaſio novæ Conſtitutionis) morem ſollemnitatis litaniarum, & proceſſionis. Scilicet collectæ, & ſtationis locus inverſus, adeoque nec *presbyterium* Clericis Urbis diſtributum; neque enim congruum erat, diſtribueretur in Titulo Marci, ubi nullum jus competeret Canonicis S. Petri, & myſterium hujuſce diſtributionis vacare videretur. Adde, quod ea die indolem mutaverat litania, Pontifice ad adorandum per totum iter exhibente fidelibus manu auguſtiſſimam Euchariſtiam. Qui ritus valde diverſam reddebat illius anni proceſſionem S. Marci. Variaverat etiam hujus proceſſionis ratio. Profectò primigeniæ inſtitutionis ſenſus erat, per preces, & invocationem Sanctorum exorare Deum, ut a Chriſtianorum capitibus mala averteret univerſa, quod per formulam litaniarum a priſcis ſeculis uſitatam facili diſcitur. At proceſſio Nicolai imminentium aliquot calamitatum propulſationem petebat. Italiam bellis agitatam, Turcarum conatus improbos, ſchiſmaticos Baſileenſes nondum attritos, volvebat animo, dolebatque pius, paciſque amantiſſimus Paſtor. Proceſſit ergo tunc extraordinaria ceremonia cum Clero, & populo pacem chriſtianis rebus ubique perturbatis imploraturus.

VII. Quæ & ab auctoritate Scriptorum confirmatur.

Tam fidenter eloquor, quia nihil non horum probare valeo ex annalibus Eccleſiæ, gravibuſque Scriptoribus. Vide Raynaldi Baronianam continuationem ad annos 1447. & 1448. ubi, quæ tunc catholicum Orbem vexabant moleſtiæ, indicantur. Bzovius in opere non diſſimili expoſitam ſupplicatio-

(*b*) Quum verè proceſſio, de qua Nicolaus, celebrata ſit (ut ex Scriptoribus hic §. 7.) anno 1448. & verè anno 2. decurrente; nam electum ſcimus egregium Pontificem die 6. Martii an. 1447. quum verba literarum: *nuper in proceſſione, quæ in feſtivitate S. Marci proximè elapſa* &c. eas non multò poſt actionem editas fuiſſe ſignificent, jam in ecgrapho, quod conſulere licuit, mendum irrepſiſſe conſtabit circa menſem. Fortè autographum habet VIII. *Kal. Junii*. Quodſi *Aprilis* vox retinenda pro *anno* II. legendum III.

tionem meminit ad annum 1448. his verbis: *Pro pace Eccleſiæ, ac totius populi chriſtiani ... ipſe* (Nicolaus V.) *cum univerſo Clero a baſilica S. Petri uſque ad templum Marci pedes proceſſit, multam religionem, & ſingularem pietatem præſeferens* &c. Turrigius, de hiſtoria Vaticana inſtructiſſimus, ſic infit lib. de cryptis par. 1. pag. 100. deſcribens ornamentum ſepulchri Nicolai V. *Queſto Pontefice nel* 1448. *a' 25. d'Aprile fece una molto ſolenne proceſſione da S. Pietro a S. Marco, portando egli il Santiſſimo Sacramento con concorſo di gente quaſi infinita, chiedendoſi da Dio ajuto in un grave biſogno.*

VIII. Privilegium ſingulare per bullā Nicolai conceſſum Archipresbytero, & Capitulo S. Petri.

Præter occaſionem adductam novæ cudendæ Conſtitutionis, tenor ejus novum pandit privilegii genus, quo Capitulum S. Petri, celebritatis litaniæ majoris, annexæque erogationis *presbyterii* cauſſa, ornatum fuit. In litteris ſecundis Alexandri IV. commiſſam vidimus Rectoribus Urbis (nempe collegio in aliquibus curam univerſi Cleri gerenti juxta narranda Appendice I.) poteſtatem denunciandi excommunicatos minimè obtemperaturos Apoſtolicis præceptis. Sed Nicolaus id muneris mandat Archipresbytero, & Canonicis. Quod advertendum cenſui.

IX. Ab univerſo Clero ſub Alexandro IV. certatum, & de ſumma rerum.

Quin ſimul advertam, per Conſtitutiones hactenus datas non obſcurè ſignari, generaliter a toto Clero certatum ſub Alexandro pro excutiendo (ut certò putabatur) jugo, & ſervitute accipiendi *presbyterium*, deferendique cruces in ſignum ſubjectionis; ideſt, certatum de ſumma rerum, non de quantitate *presbyterii*, ejuſdemque ſolius eccleſiæ S. Mariæ majoris, uti mihi perſuadere conatus eſt aliquando eruditus congerro. Quod aliàs aſſerebat epocham aſſignare cupiens decreto cuidam, corruptiſſimè per Paullum de Angelis annotato ad librum 3. cit. hiſtor. baſil. Liberianæ cap. 3. *de Archipresbyteris* pag. 3. *In quodam* (inquit Paullus) *decreto* (Rectorum) *Romanæ Fraternitatis decernitur ſub pœna excommunicationis dandum eſſe presbyterorum*(leg. PRESBYTERIUM) *ſolidorum octo Archipresbytero in* (leg. &) *Canonicis S. Mariæ majoris in litaniis majoribus*. Aſt ego (nedum dubito de ſinceritate, & lectione integra hujus decreti, cujus neque locus, quo erutus, ſcitur, nec gravia occultari poſſunt menda duo) nihil invenio, controverſiam, qualem exprimunt datæ litteræ Alexandri, vel tantillum ſapiens, & pro veroſimili pono, ſiquid ejuſmodi emanatum eſt, emanaſſe per aliam occaſionem, quia, auctis for-

Digitized by Google

fortaſſe favore aliarum eccleſiarum *ἀναλόγως presbyterialis* præſtationis portionibus, aut ſolidorum antea uſitatorum rationibus, juſtum reputatum ſit, ut Canonici prænobilis baſilicæ majus quidpiam lucrarentur aſſignato pridem, ſecundùm propoſitam per catalogum Cencii menſuram, ſtipendio.

Quando autem hæc evenerint, ecquis, aliis deſtitutus monumentis, affirmabit? Haud negarim tamen, fieri potuiſſe, ut generalis illa contentio initium acciperet a decreto mox relato, aliisque nobis occultis, quæ favore aliarum eccleſiarum emanarint per tribunal Rectorum Urbis. Da enim, Capitulum S. Petri exequutionem alterantium veterem ſummam decretorum denegaſſe. En ſtatim turbæ inter Rectores, reliquum Clerum (maximè S. Mariæ majoris) & Canonicos Vaticanos: en occaſio capta non de quantitate *presbyterii* ſolùm diſceptandi, ſed de tota excutienda ſubjectionis actione: en illa confuſio, per quam *non potuerit plenè de partium intentione liquere*, ſicut ait in primis literis Alexander: en ibi quoque expreſſa *quæſtionum* multiplicitas. X. Occaſio hujus concertationis.

Quæcumque verò fuerit occaſio turbarum, ſubjectos ſe Canonicis S. Petri videri exhorrebant reliqui Urbis Clerici. Id præcipuè per Alexandri ſanctionem apparet. Litigium Cleri cum Canonicis præfatis indicat ſatis, jam tum in poſſeſſione hos fuiſſe *presbyteria* diſpenſandi. Conſuetudo vigebat, qua & *presbyterium* caperent Clerici, &, quotquot acceſſuri eſſent ad baſilicam Vaticanam cum crucibus, aliiſque inſigniis ſeu vexillis, aut aliter, accederent ritu ſupplicabundo memorata toties die S. Marci. Quid ſtatuit Alexander, ut rixas componeret? An tantùm præſcripſit, Apoſtolica interpoſita authoritate, ut, quod ſervatum conſtabat ante turbas, ſervaretur inpoſterùm? Minimè gentium. Servandum & illud ſanxit; ſed, ne viderentur Clerici per eam ceremoniam ſubjici Capitulo S. Petri, *ſalarium*, *ſeu presbyterium* conſuetum juſſit, *per unum* ſimul *de familiaribus* ſuis futura ætate exhiberetur. XI. Subjectionis opinionem verè turbaſſe Clerum Urbis, probat ipſum Alexandri decretum.

Aliàs collatio *presbyterii* exerceri cœpta per Canonicos Vaticanos non unica fuit cauſſa de præjudicata Cleri opinione ſubjectionis. Evanuerant, Alexandro regnante, ferè omnia, quæ priſcam eximiæ conſuetudinis indolem ideamque ſuggererent. Non ampliùs ea die *presbyterium* cum palatinis Ordinibus accipiebat, imò nec procedebat ad baſilicam Petri, ſummus Pontifex: non Archidiaconus R. E., non Urbis Re- XII. Varietas inducta in conſuetudine dandi *presbyterium* eam opinionem genuit.

ctores diſpenſandam ſumebant a Camerario *presbyterii* ſummam, uti factum, ſcribente Cencio: num pecunia diſtribuenda ex oblatis ad Confeſſionem Principis Apoſtolorum erueretur, ignorabatur, nec palàm erat, an & ipſi Canonici Vaticani, ut olim, *presbyterio* ipſo, quod traderent, fruerentur. Quæ omnia verè per ætatem illam ſic ſe ſe habuiſſe, ſatis commonſtrat nulla talium vel leviſſima, & perfunctoria mentio facta in literis Alexandri.

XIII. Cauſſæ hujus varietatis veſtigandæ; ſed poſt explanatum recentiorem uſum noſtri Ritus.


Ingens (audio quid muſſitent) varietas & converſio modico nata tempore! vix enim ſexaginta anni effluxerant a ſcripto per Cencium Ordine. Ita equidem. Ingens rerum varietas & converſio; ſed quam demirari nemo jure debeat. Ex namque cauſſæ intercedere, aut ingraveſcere tunc cœperant, quæ tam fœdè deformarunt poſtea ritus noſtri faciem, ut in illo reliqui eſſe quidpiam antiqui uſus vix dignoſci queat. De hujuſmodi cauſſis quærendum. At juverit delineaſſe priùs adeo deformatam faciem, hoc eſt, recentiores expoſuiſſe conſuetudines, per quas vivit adhuc aliquomodo priſci *presbyterii* Vaticani memoria.

SECTIO VI.

§. I. Quid Papa ageret circa initia ſeculi XVI. in feſto S. Marci.

RECENTIORES appello conſuetudines, quas poſt Nicolaum V. in praxi fuiſſe, & eſſe, vel per ſcripta gravium virorum, vel per oculos ipſe meos, alioſque fide digniſſimorum hominum inſtructus affirmare poſſum. Et quod reſpicit conſuetudines Papam, atque ordines Curiæ pertingentes, poſt laudati Pontificis regnum non inſtauratus eſt mos antiquus, ut pergerent ad S. Petrum conſueta die S. Marci, ac *presbyterium* participarent. Ceremoniale Papalis Cappellæ ſuo nomine vulgatum, & in pleriſque auctum, interpolatumque, quum Eccleſiam regeret Leo X. a Chriſtophoro Marcello, Corcyrenſi Antiſtite, hæc tantùm (& quidem perraró) ea die per Pontificem agenda notat: *Hac die ordinariè non fit miſſa ſollemnis publicè. Conſuevit tamen aliquando Romanus Pontifex equitare ad eccleſiam S. Marci de Urbe, miſſamque celebrare aliquis Epiſcopus* &c. Sequitur narratio de cantu litaniæ, de initio miſſæ, & proceſſionis Cleri poſt Communionem: dein: *Interim perficitur miſſa, & in fine Papa dat benedictionem, ſupplicatione ſuo ordine tranſeunte, cujus tranſitum Papa*

Digitized by Google



Joh. Philippus Moreceus delin. Joseph Vasi ſculp.

Digitized by Google

pa conſuevit expectare . Ea finita , ſurgit Pontifex , aſcendit ad palatium , vel , ut placet , revertitur . Ad tit. *de feſto S. Marci* cap. *9.* lib. 2.

Quotieſcumque Papa ſacrum peragit ritu maximo apud baſilicam Vaticanam (quod fieri ſolet ad altare majus , potiſſimùm die natali Principis Apoſtolorum) *presbyterium* accipit. Hæc autem actio ſic perficitur . Abſoluta miſſa , Pontifex , depoſito pallio &c. deſcendit ex altari : ſtatim in parata prope , & ante illud geſtatoria ſella (cujus latera occupant , proprio ſtans quiſque loco, Cardinales Diaconi aſſiſtentes duo, & qui Evangelium cantavit haud procul habens Caudatarium ſuum) componitur : ac Regno tegitur , ad thalamum *paramentorum* utplurimùm (*a*) devehendus , præeuntibus Cappellæ ordinibus . Tunc verò Cardinalis Archipresbyter baſilicæ, ſacrum ſuo Ordini congruum habitum,ſi miſſarum ſollemniis (id autem frequentiùs contingit) adſtitit, indutus, coram Papa ſe ſiſtit cum duobus Canonicis ſacrario Præfectis , veſtibus choralibus amictis , qui illuc præmaturè conveniunt cum marſupio denariis in *presbyterium* dandis gravi : quod accipiens Cardinalis , genuflectentibus Canonicis , Pontifici porrigit verba proferens , quæ Chiapponus vulgavit cum notitia ſubſecutarum aliquot ceremoniarum , ubi deſcribit celebratum auguſta pompa ſacrificium per Clementem Papam XI. in Canonizatione quatuor Sanctorum . *Eminentiſſimus Albanus* (ſic ille pag. *236.* al. cit. volum.) *eccleſiæ* (S. Petri) *Archipresbyter...ſolitum obtulit* PRESBYTERIUM *his verbis*: *Beatiſſime Pater , Capitulum , & Canonici hujus ſacroſ. baſilicæ Sanctitati veſtræ conſuetum offerunt* PRESBYTERIUM *pro miſſa bene cantata ; & oſculatus eſt Pontificis manum, Canonici verò pedem.*

II. Uſus Vaticanus recens dandi Papæ *presbyterium*. Locus Chiapponi.

Declarat ſubinde Chiapponus , quid ejuſmodi *presbyterium* , & cujus tandem utilitati cedat . PRESBYTERIUM (inquit) *eſt certæ pecuniæ erogatio : ſcilicet* XXV. *denariorum ſigno ſignatorum veterum Pontificum , qui aureo textili marſupio incluſi Pontifici , quoties in hac potiſſimùm ſacroſancta baſilica ſollemni ritu celebrat , peracto ſacrificio , ab Archipresbyteris , & Canonicis , ut ſupra , ex antiqua conſuetudine offeruntur . Pontifex acceptum marſupium Diacono Evangelii tradit : Diaconus autem ſuo Caudatario elargiri ſolet .*

III. Definitio , ſumma , & ſors dicti *presbyterii* juxta eumdem.

T 2 An-

(*a*) Devehitur Papa aliquando ad ſublime xyſtum ſpectans aream Vaticanam, ut populo ſollemniter benedicat .

IV.
Et Mucantium, ac fratres Macros.

Ante Chiapponum ita rem tradiderant Johannes Paullus Mucantius, ejus in officio præceſſor, & fratres Macri. Mucantius in ſuis mss. diariis, to. 18. eorum, quæ extant apud archivum ſecretum Vaticanum Sedis Apoſtolicæ pag. 201. *Accepit* (Clemens PP. VIII. celebrata ſollemni miſſa ad Vaticanam baſilicam die 17. Maii an. 1592.) PRESBYTERIUM *a Canonicis S. Petri pro miſſa bene cantata; ideſt, crumenam ſerico rubro, & aureo contextam cum quibuſdam antiquis monetis argenteis, quam Papa donavit Rmo Cardinali Pepulo, qui Evangelium cantaverat*. Fratres Macri: PRESBYTERIUM *dicitur ſerica burſa illa, in qua vigintiquinque julii antiquæ monetæ incluſi præſentari ſolent ab Archipresbytero Vaticanæ eccleſiæ Pontifici, quando ibi ſolemniter celebrat, pro miſſa bene cantata, ut in Ceremoniali dicitur, quam ſolet deinde Papa Diacono Cardinali, qui Evangelium cecinerat, tradere, & is ejus Caudatario erogare*. V. Jerolexicon ad vocem, *Presbyterium*.

V.
Qui notantur, uti etiam in aliquo Angelus Roccha.

Fortè ineditum aliquod innuunt, quod in teſtem proferunt, Ceremoniale fratres eruditi; neque enim quidpiam ejuſmodi legi apud præcitatum Cappellæ, in multis certè nimis jejunum. Qualecumque fuerit, tum illi, tum Mucantius in aliquo errant, quod infra (1) notabitur opportuniùs. Nec rectè ſummam denariorum expreſſit Angelus Roccha hunc ritum ita commemorans: *Miſſa* (ad Vaticanum per Pontificem) *celebrata, S.R.E. Cardinalis Archipresbyter baſilicæ Sancti Petri, nomine Canonicorum, totiuſque Capituli, dat ei pro miſſa bene cantata aliquot julios antiquiores, & alias monetas item argenteas ex antiquioribus, quæ inveniri poſſunt, juxta tamen valorem circiter viginti, vel interdum triginta juliorum*. Hæc in commentario contra ludum alear. pag. 468. to. 1. operum Rocchæ.

(1) §. 5. *Corollarii*.

VI.
Vaticanum papale *presbyterium* componi ex denariis antiquioris ſigni.

Cauſſam conquirendorum veterum denariorum alia ſectione (2) pandemus. Nunc circa illos moneamus, religione tanta (ne dicatur ſuperſtitione) id moris obſervari, ut, quum difficillimum ſit intra annum quandoque pluries antiquos, qui exhibeantur, comparare nummos, iidem ſemper conferri ſoleant totidem aliis ſigni recentioris e manu Caudatariorum redempti: ac, ſi accidat interea vetuſtiores conſuetis reperiri, hi diligenter in eorum locum ſubſtituantur. Talia mihi narrarunt Vaticanæ eccleſiæ miniſtri non ultimi gradus, quibus etiam inſtruentibus didici, denarios tum in hocce, tum in præſtan-

(2) *Sect.* 8. §. 7.

ſtandum Clericis *presbyterium* (de quo ſectionibus ſequentibus) erogandos e maſſa, quæ *ſacriſtia* dicitur, depromi ſemper; eo ſcilicet gazophylacio ex denariis quoque conſlato oblatorum ad truncos baſilicæ, præſertim ad ſuppoſitum pedibus æneæ ſtatuæ S. Petrum repræſentantis, ad dexteram introeuntibus paraſtaten majoris arcus versùs Confeſſionem collocatæ, & prodigiis * celeberrimæ.

VII. De tradente *presbyterium*, ſi abſit Archipreſbyter.

Si abſit Archipresbyter Vaticanæ baſilicæ, & *presbyterium* dandum ſit, Cardinalis in regimine eccleſiæ vices gerens Archipresbyteri ceremoniam explet. Sic anno 1702. Clementi XI. *presbyterium* obtulit ipſo natali B. Petri die Franciſcus Card. Barberinus pro Carolo patruo abſente. Actionem deſcripſit Caſſina to. 5. diarior. pag. 427. autographi. Sed utroque abſente, offerretur a Vicario Cardinalis genuflexo cum Canonicis ſacrario Præpoſitis: aut, ſi & ipſe Vicarius abeſſet, a primo ex iis, aliàs (attentis tum verbis Paridis de Craſſis infra (3) promendis, tum gaza, e qua eruebantur ejuſmodi præſtationes) ab *Altariſta* meliùs dandum.

(3) *Ibid.*

VIII. An liberum aliquid addere ſolitæ tradendi *presbyterii* formulæ?

Formulæ exhibitionis *presbyterii*, quam ex Chiappono protulimus, adduntur aliquando pro libito exhibentium inuſitatæ perbreves adlocutiones. Eodem anno 1702. in natalitia Domini feſtivitate, quam Clemens XI. ad S. Petrum exegit, habita inter miſſarum ſollemnia homilia ad circumſtantem Clerum, populumque, antiquorum Pontificum more, præfatus Carolus Card. Barberinus Archipresbyter conſuetæ formulæ nonnihil aſſuit. *Carolus Barberinus* (ita laudatus Caſſina in cit. mss. diariis ad eam diem) *Archipresbyter conſuetum* PRESBYTERIUM *dedit*: *& hæc verba ad Sanctitatem ſuam ſubjunxit*: *nec ſileam*, *B. P. quantum Sanctitas Veſtra in dies magis lætificet Urbem*, *& Orbem univerſum*; *dum primæva in Eccleſia inſtituta veteris inſtaurat diſciplinæ*, *verbis ſapientiſſimè erudiendo*, *exemplis ſanctiſſimè præeundo*. Uſque huc Caſſina.

IX. Pontifex tradenti nonnunquam reſpondet.

Verbis ab exhibentibus prolatis nihil (quod ſciam) reſpondere ſolet ſummus Pontifex: retribuit tantùm benedictionis ſignum. Urbanitas tamen comitaſque ab hoc uſu recedere

* Poſtremi, quod, Petro intercedente, patravit Dominus anno 1725. prodigii hiſtoriam poſteris permiſit eod. anno typis Vaticanis eruditus piuſque Abbas D. Domi icus Baptiſti baſilicæ S. Petri Beneficiatus, quam contractiùs expoſitam legeſis to. 4. collect. Anaſtaſ. in annotatione V. Cl. Thomæ Aceti ejuſd. baſil. Clerici beneficiati ad vitam Johannis IV. pag. 188.

dere aliquem quandoque compulit. Toties commendatus Clemens XI. (ut notat idem ceremoniarum Magiſter cit. to. 5. pag. 427.) *presbyterium* præbenti ſub conſueta formula laudato Franciſco Card. Barberino præfata die natalis S. Petri anni 1702. hæc repoſuit: *E noi lo diamo a lei per l'Evangelio ben cantato*. Diaconus tunc erat Card. Franciſcus, & miniſterium ſui Ordinis ea die expleverat.

X. Accipitur nunc *presbyterium* a Papa etiam Lateranis.

En recens inſtitutum accipientis Papæ *presbyterium* ad baſilicam Vaticanam, quod antiqui moris manifeſtum veſtigium. Ceterùm nunc illud ad reliquas Urbis eccleſias pertractum eſt. Hoc anno 1725. SS. D. N. Benedictus XIII. pluries auguſto ritu celebravit in Lateranenſi, præcipuè ſabbatho ſanctiori. Tunc autem per manus Canonici (ita mihi narratum) Camerarii, abſente Archipresbytero &c. *presbyterium* cœpit. In diariis mss. Paulli Alaleonis, poſt confecta ſacra myſteria *ſollemniſſimè* Lateranis, a Paullo V. *presbyterium* quoque acceptum ſcribitur die (ni fallor) Reſurrectionis Dominicæ anni 1611. *Illuſtriſſ. Cardinalis Burgheſius Archipresbyter dedit* PRESBYTERIUM *Sanctiſſimo*, inquit Alaleo mox iterùm allegandus.

XI. Apud baſilicam Liberii.

Apud altare majus Liberiani templi an. 1707. die natali Domini pompa ſollemni ſacris operatus eſt Clemens XI. Eo diſcedente, *Emus Othobonus* (ait Caſſina in cit. diariis) *Archipresbyter obtulit Sanctitati ſuæ ſolitum* PRESBYTERIUM *pro miſſa optimè cantata*. Die Aſſumptionis B. Mariæ an. 1724. laudatus Benedictus XIII. in eodem templo miſſam cecinit; ad altare tamen Burgheſiani ſacelli, cui cancellos egreſſo traditum ſimiliter eſt *presbyterium* ab Archipresbytero duobus Canonicis ſtipato.

XII. Dubium ibidem aliquando excitatum.

Scio, rem enarrante mihi laudato ſuperiùs Præſule ** Johanne Baptiſta Gamberuccio, motam hac vice curioſam implexamque difficultatem; videlicet, num ejuſmodi traditio *presbyterii* ad jus pertineret Archipresbyteri, & Canonicorum baſilicæ, an potiùs Cardinalis Protectoris, & Cleri ſacelli, quod *territorium* (ſic vocant ICti) ſeparatum eſſe prætenditur ob famoſam Paulli V. bullam ejus erectionis, plurimarum litium fontem, ac parentem. Verùm ſcio itidem, actionem, uti paucis perſtrinxi, fuiſſe abſolutam. Certè Clero baſilicæ mi-

** Relege notam *b*. Par. I. ſect. 8. §. 10. &c. Apoplexia correptus hic magna mihi neceſſitudine devinctus Præſul non ſine piorum, doctorumque omnium mœrore obiit die 28. Novemb. an. 1738. ſepultuſque eſt die 30. prope januam ſacrarii S. M. majoris, cui tamquam Canonicus miniſtraverat.

mirificè favit locus, ad traditionem prudenter & ex tempore a Ceremoniario delectus.

XIII. In aliis quoque Urbis eccleſiis Papa *presbyterio* donatur.

Aliarum conſuetudinem eccleſiarum atteſtatur præcitatus Magiſter ceremoniarum Apoſtolicus Paullus Alaleo. Narrat ille in dictis mss. diurnis, datum fuiſſe *presbyterium* Paullo V. die 14. Junii anno 1614. in Titulo S. Agnetis extra mœnia via Nomentana. Occaſio, Pontificis obſequium erga B. Agnetem, cujus reliquias pridem inventas cum oſſibus S. Emerentianæ, incluſaſque intra *capſam argenteam ponderis* CCXXV. *librarum* (verba ſunt Alaleonis) *quam Pontifex ſuis expenſis curavit fieri, & quam ſuperioribus diebus benedixit*, ſollemnitate magna recondere voluit ſubtus altare. Quod effectum eſt. Sed ante repoſitionem ſacrorum lipſanon miſſam cantavit Paullus, & *presbyterium* accepit. *Fuit Cappella* (rurſum ceremoniarum Magiſter) *in eccleſia S. Agnetis extra mœnia ... in qua Papa miſſam cantavit pontificaliter de die feſto* (quod eo anno inciderat in prænotatam diem 14. Junii) *SS. Trinitatis cum commemorationibus S. Agnetis, & S. Emerentianæ VV. & MM. & abſoluta miſſa, repoſuit ſub altare, in quo celebravit, ſacra oſſa dd. Sanctarum ... quo peracto, Papa aſcendit ſedem geſtatoriam, &, depoſita mitra, accepit Regnum: & Illuſtriſſimus Dominus Cardinalis S. Cæciliæ* (Paullus Stondratus, Epiſcopus Albanenſis, eccleſiæ S. Agnetis, ut prænunciaverat Alaleo, Commendatarius) *dedit Papæ burſam de tela argentea cum monetis intus pro miſſa bene cantata, & ſolito* PRESBYTERIO, *& gratias egit*. Sic diaria, quorum excerptum, quemadmodum etiam quicquid ex Caſſina producimus, nobis communicavit laudatus Gamberuccius.

XIV. Num diverſa for[m]ula apud eaſdē idem tradendum?

Exhibitionis formula ſiletur in ſcripto Alaleonis. Attamen non dubitandum, quin ſub his verbis concepta fuerit: *Beatiſſime Pater, Clerus hujus eccleſiæ*, cum reliquis apud Patriarchales uſurpatis. Quæ quidem conditioni, & dignitati eccleſiarum, in quibus Papa celebraverit, aptanda eſſent, novis ſupervenientibus *** occaſionibus. Utique ad loca, qui-

*** Anno 1728. Benedictus XIII. ritu celeberrimo peregit ſacrum in Titulo S. Auguſtini die ejuſdem natali acturus Omnipotenti grates de inventis Reliquiis apud Papienſe templum S. Salvatoris in cœlo aureo. Tunc Card. Fr. Gregorius Selleri Titularis obtulit *presbyterium* dicens: *Beatiſs. Pater, Clerus hujus eccleſiæ offert &c.* Idipſum actum, dictumque per Fr. Laurentium Card. Cozza Titularem S. Mariæ de Aracœli, poſtquam idem Pontifex auguſtè celebraſſet in ejus Titulo die 9. Septembris, prima octidui inſtituti ad honorem B. Margaritæ de Cortona, paullò ante in Sanctarum album relatæ.

quibus præſſent Capitula , & Canonici præter Cardinales Titulares , alioſve , ſicubi forent , graves eccleſiaſticos Præpoſitos , eorum nomine munus hocce porrigi deberet , illud exhibentibus cum Titulari , Præpoſitove alio , duobus Canonicis ad normam conſuetudinum Patriarchalium deſignandis .

XV. Utrum *presbyterium* tradi poſſit extra Urbē .

Aſſequimur ex dictis , donari nunc Pontifices *presbyterio* , quotieſcumque extra proprium ſacellum ſacrificaverint pompa maxima per Urbis eccleſias . Quid verò , ſi per alias Orbis ? Res ipſa clamat . Tali ſub idea nunc Papæ confertur *presbyterium* , ut præſtari æquè rectè poſſit haud minùs in Vaticana , ceteriſque Urbis , quàm in ſingulis univerſi chriſtiani Orbis eccleſiis . Quod verum eſſe , manifeſtabunt paullò inferiùs (4) annotanda .

(4) *Sect.* 8. §. 10. & *ſect.* 10 §. 5

XVI. Vel in miſſis pro defunctis .

Utcumque ſit , non in omnibus miſſis per Pontifices cantandis , ſive per Orbis , ſive per Urbis eccleſias , *presbyterium* dandum . Vacant ea ceremonia miſſæ pro defunctis. SS. D. N. Benedictus XIII. die 27. Aprilis labentis anni (1725.) pro requie animarum Epiſcoporum , qui Concilia celebraſſent ante Romanum, quod tunc celebrabatur, miſſam cantavit ad aram majorem baſilicæ Conſtantinianæ , nec *presbyterio* donatus eſt. Vidi ego , & cauſſam a peritis percontatus reſponſum nactus ſum annotandis(mox memoratis) valde conſonum ; videlicet, *presbyterio* locum non eſſe poſt actionem luctus , & mæſtitiæ .

SECTIO VII.

§. I. Ordines Curiæ numquam nunc *presbyterio* donantur .

DEBITI Pontificibus *presbyterii* notitiæ nectērem libentiſſimè , ſiquam proferre poſſem de competente palatinis ordinibus . Sed veſtigavi fruſtra noviſſimas Curiæ conſuetudines , ut antiqui moris reliquias aliquas invenirem , produceremque . Uno verbo ; evanuere penitus quotquot olim tradebantur palatinis ſcholis penès Romanas eccleſias (maximè Vaticanam) largitiones, quas fusè deſcripſimus Par.I. ſect.III. VI. & VII. ac expreſsè largitio *presbyterii* S. Marci , de qua ibidem ſectione decima .

II. Clerici Urbis illud accipiunt die 25. Aprilis poſt proceſſionē litaniæ majoris.

Lætior arriſit fortuna Clericis Urbis non palatinis. Adhuc *presbyterium* Vaticanum accipit eorum pars præcipua ſemel infra annum ; nimirum , poſt ſollemnitatem majoris litaniæ , quæ , ut olim , etiamnum celebratur die 25. Aprilis honori B. Marci conſecrata , niſi hæc cum Dominica paſchali occurre-

rerit: tunc enim litania ex præſcripto rubricarum curſus eccleſiaſtici agenda eſt tertia inſequenti feria, quod tamen perrarò contingit:

III. Proceſſionis hujuſce quæ methodus, uſuſque ſub initiis ſeculi XVI.

Sollemnitatem litaniæ adeo *presbyterii* diſtributioni connexam ita peragi conſuetam reperio in cit. mss. diariis Paridis de Craſſis ad annum 1504. *In proceſſione diei S. Marci proceſſionaliter venire debent omnes Canonici, Beneficiati, & Cappellani tam baſilicæ S. Petri, quàm omnium baſilicarum, & eccleſiarum Urbis cum Vicariis ipſarum omnibus indutis pontificalibus indumentis. Et primò Canonici, & alii S. Petri in Tuſcia. Item Præceptor S. Spiritus in Saxia cum Fratribus, & Cantoribus ſuis proceſſionaliter, ac omnibus ornamentis. Quæ duo collegia poſtquam receſſerunt ex dicta eccleſia S. Marci, miſſa incœpta, Camerarius Cleri pro tempore ordinat proceſſionem, quam, elevato Sacramento, extra eccleſiam mittit ordinatam hoc modo. Societas Confalonis prima eſt cum vexillo B. Virginis: deinde Heremitæ S. Honuphrii: deinde Religioſi SS. Johannis, & Pauli: Fratres de Aracæli: deinde ſub cruce Fratrum duodecim Apoſtolorum Fratres S. Sylveſtri de capite, & Fratres S. Laurentii in Paniſperna ſimul, & mixtim: deinde Fratres S. Stephani in Cœlio monte: deinde Fratres S. Mariæ de Populo: deinde S. Auguſtini: deinde S. Martini, & S. Juliani de Montibus: deinde S. Chryſogoni: deinde S. Mariæ Tranſpadinæ: deinde Fratres S. Petri ad Vincula: deinde Fratres S. Mariæ ſupra Minervam: deinde S. Mariæ novæ: deinde S. Alexii: deinde S. Cæciliæ Tranſtyberim: deinde Canonici regulares S. Mariæ de pace: deinde Monachi S. Laurentii extra muros: deinde Presbyteri S. Salvatoris de lauro: deinde ſubſtituti Fratres: deinde ſubſtituti Presbyteri ſeculares. Deinde Rectores eccleſiarum Urbis. Deinde Canonici SS. Quirici, & Julittæ: deinde Canonici SS. Celſi, & Juliani: deinde Canonici S. Angeli: deinde Canonici S. Nicolai in carcere Tulliano: deinde Canonici S. Marci, & S. Mariæ rotundæ alternis vicibus a dextra, & ſiniſtra. Deinde Canonici S. Laurentii in Damaſo, & S. Mariæ Tranſtyberim ſimiliter alternis vicibus a dextra, & ſiniſtra. Deinde omnes Archipresbyteri cum pluvialibus per ordinem, ut ſupra, collegiatarum eccleſiarum datum, præter eos, qui aſſiſtunt Vicariis, vel ſubſtitutis eorum.* Poſt hos certò ſequebantur Patriarchalium S. Mariæ majoris, & S. Johannis Canonici, quod tamen per oſcitantiam amanuenſis codex, quem conſu-

Digitized by Google

ſului, non habet, uti neque veterum nonnullorum collegiorum recordationem. Aliàs, quæ prædeſcriptis ibi conjunguntur, verè, & ab iiſdem Canonicis proceſſum ad S. Petrum demonſtrant. *Et quando veniunt* (inquit codex eo loco) *iſtæ duæ eccleſiæ* (ideſt S. M. majoris, & S. Johannis) *in proceſſione S. Marci, illo die duo Beneficiati eccleſiæ Lateranenſis aſſiſtunt* * *Vicario Papæ, & Canonici, & Beneficiati dictæ eccleſiæ præcedunt* (hoc eſt, gradiuntur ante) *Vicarium ſupradictum: deinde antedictos Canonicos Lateranenſes antecedunt Canonici, & Cappellani S. Mariæ majoris in dicta proceſſione S. Marci, & ſimiliter in omnibus aliis proceſſionibus, ubi de mandato Papæ, vel Vicarii ſui venire oporteat*. Alibi Codex ad tit. *de miſſa abſente Papa in eccleſia S. Marci* ait: *Finita miſſa Epiſcopus, qui celebravit, data benedictione, reverſus eſt ad faldiſtorium, & ſedit, ſicut erat de toto paratus, expectans, quod de toto proceſſio tranſiret, prout tranſivit, & ſimiliter omnes miniſtri ſederunt in locis ſuis: & ſimiliter Cardinales, Prælati, & omnes de Cappella ... Poſt Canonicos S. Johannis Lateranenſis, qui ſunt ultimi, & capiunt Vicarium Papæ de ſacriſtia S. Marci paratum, & vadunt ad S. Petrum ... veniunt Senator, & Conſervatores Urbis, eodem modo, ut alii, genuflectentes, ſed nihil offerunt hodie ... Et, ipſis expeditis, ſurgit Epiſcopus, vel ſe ibidem diſparat, vel ad ſacriſtiam vadit*. Hactenus ex tomo diariorum Paridis de Craſſis ab anno 1504. die 26. Maii ad primam Auguſti anni 1505. quondam Paulli Alaleonis, nunc archivi ſecreti Apoſtolico-vaticani pag. 27. in tergo, 28. & 89.

IV. Non idem penitus uſus ætatis noviſſimæ.

Poſt Paridis tempora non parum variationis paſſa ſunt, quæ ille narrat. Non ampliùs Vicarii cum indumentis pontificalibus, non Archipresbyteri, ac Vicariis aſſiſtentes cum pluvialibus incedunt. Non ampliùs *alternis* ſe *vicibus* præcedunt collegia S. Marci, & S. Mariæ rotundæ; imò collegium S. Marci non procedit ea die; & in aliis proceſſionibus graditur ante collegium S. Mariæ rotundæ. Quæ rerum variationes

* Nota, quod Vicarius Papæ epiſcopali tunc tantùm dignitate fulgebat; nam, ſi etiam cardinalari, eidem adſtitiſſent duo Canonici baſilicæ Lateranenſis, quemadmodum factum vidi anno 1736. die 7. Novemb. in proceſſione totius Cleri acta ab eccleſia S. M. ſupra Minervam ad S. Antonii in exquiliis, & S. M. majoris occaſione graſſantis per Italiam epidemiæ, in qua duo Canonici dictæ Lateranen. eccleſiæ Fr. Joh. Antonio Guadagni Card. Vicario, aciem Cleri claudenti, dalmaticis induti adſtiterunt.

nes aliæ tardiùs, citiùs aliæ, nec ſine cauſſa paullatim accidere. Collegium S. Spiritus anno 1626. adhuc procedebat, teſte Turrigio in ſuo ms. diario ad menſem Aprilis: *Die 25.* (ſic ille functiones Vaticanas notans) ***in feſto S. Marci ſabbathi venerunt ab eccleſia S. Marci proceſſiones Regularium, & Secularium, præcedente duabus ante horis Clero S. Petri, & unam poſt horam proceſſione S. Spiritus.*** Cauſſa exemptionis, puto, eadem, quam fuiſſe tradit Petrus Saulnierius (cap.12. libri de Capite, & Ordine S. Spiritus argum. 11. tit. *hiſtoria noſocomii &c.* num.6.) exemptionis a communibus Romano Clero proceſſionibus, ſcilicet, ne Clerici publico ægrotorum ſervicio addicti a tam neceſſario miniſterio diſtraherentur.

Nunc (ut prætéream cetera variationum capita cum ſuarum cauſſarum divinationibus, quæ diligens per ſe lector inſpiciet, ac ſcrutabitur) ſollemnitatis litaniæ majoris mores hi ſunt. Mane ſummo collegium S. Petri collectam agit in eccleſia domus Profeſſorum Societatis Jeſu. Illinc progreditur ſupplici ritu ad Titulum Marci: tranſit ante Confeſſionem: & rectâ tendit ad baſilicam. Ibi ante principem januam (intrò tamen eccleſiam) ad latera diſpoſita ſunt ſedilia cuique ex ordinibus convenientia. Super eadem ſedentes Vicarius Archipresbyteri, Canonici, Beneficiati, & Clerici expectant reliquum Urbis Clerum. Ponè ſedilia a dexteris introeuntium aſſurgit exiguus ambo, quem aſcendit unus de Cappellanis, aliiſve eccleſiæ miniſtris, prima vix attingente limen Monachorum, aut ſaltem Romani Cleri acie. Portæ ingreſſum ad idem latus occupant Clericus Cruciger cum duobus Acolythis, & candelabris. Eidem jungebatur præteritis annis ** Acolythus Beneficiatus, ſeù Clericus, qui advenientes aqua benedicta conſpergeret. Sed hoc anno (1725.) nihil tale actum, quòd Pontifex ſimiles procedentis Cleri aſperſiones non probaret. Alterum januæ latus occupant Thuriferarius clericus perpetuo ductu introeuntes aliquomodo thurificans, necnon unus ex minoribus Sacriſtis, & unus ex Vaticanis Ceremoniariis, quorum quiſque manu tenet ſericeam rubri coloris crumenam nummos in *presbyterium* diſpenſandos occludentem.

V. De collecta, & ſupplicatione Cleri S. Petri.

Properant interim eccleſiarum collegia ad S. Marcum. Præ-

VI. De collecta univerſi Cleri.

** Reſtitutus eſt mos iſte poſt obitum Benedicti XIII. Rectene, an ſecus, invidioſum eſſet hic diſquirere.

Præter Orphanos, Canonicorum regularium, Monachorum, & Fratrum mendicantium, ſimiliumve turmæ (quotquot nempe ad accedendum ſoliti ſub uno tecto & aluntur, & dormiunt) ritu ſupplicabundo id exequuntur. Seculares Clerici privatim cruces præmittunt, & vexilla, ſiquæ geſtent. Quilibet inde illuc advolat, proprioque ſe induit eccleſiaſtico extimo indumento, ſtata hora per juſſionem Cardinalis Vicarii pridie cuique eccleſiæ tranſmiſſam, cujus formulam omittere nolo; quum epitome quædam ſit quamplurium gerendorum per totam actionem. Sic ergo juſſionis ſchedula anni 1725. ***

FABRITIO per la miſeratione divina Veſcovo di Porto della S.R.C. Card. PAVLVCCI, della Santità di N.S. Vicario Generale &c.

„ D'Ordine eſpreſſo della Santità di N. S. Papa Benedetto XIII. ſi comanda a tutti li Signori Canonici delle baſiliche Patriarchali, Catedrali, Collegiate, Curati ſecolari, e regolari, Monaci, Frati, & altri del Clero Romano, che mercordì 25. del corrente, feſta di S. Marco, debbano ritrovarſi ad ore dieci, e mezza nella Chieſa di detto Santo per intervenire alla ſolita proceſſione, ſotto le pene a noſtro arbitrio, e che tutti li nominati in queſta intimatione, debbano paſſare avanti Monſig. Vicegerente, mentre ſtà con piviale, e mitra nel coro di S. Marco, e che il detto Prelato *nemini aſſurgat*: ed in oltre, che tutti li ſudetti non debbano partirſi dalla baſilica di S. Pietro, ſe non doppo data la beneditione dal detto Prelato, ed un ora prima ſi ritroveranno nel luogo ſolito per le proceſſioni delle Rogazioni. Queſto dì 21. Aprile 1725.

F. Card. Vicario.

N.A. Canonico Cuggiò Segr.

Quum

*** Ante hunc annum minùs ampla erat ejuſmodi juſſionis formula, quòd eatenus toleratum, ut plerique de Clero minimè tranſirent ante ſedentem Epiſcopum: toleratum, ut hic, licèt pontificalibus indutus, nedum crucibus ſingulis, collegiis nobiliorum aliquot eccleſiarum Canonicis pertranſeuntibus, & ſalutantibus, imò toti Lateranenſi Clero aſſurgeret: toleratum, ut hoc ſolo adſtante, agenda reliqua apud baſilicam Vaticanam per Epiſcopum perficerentur. At hæc (tamquam aperti abuſus) non toleranda viſa ſunt Benedicto XIII. Quamobrem prodiit, qualis hìc habetur, juſſio, cujus tenor hactenus (anno 1740.) intimatur religiosè, mutato Pontificis, Vicarii, & Secretarii nomine præter notam temporis. Verùm de his alibi congruentiùs.

VII. Et initio ſupplicationis generalis;

Quum ferè omnia parata, atque expedita, accedit ad eccleſiam Epiſcopus, Cardinalis Vicarii, ſeu Lateranenſis eccleſiæ *Suffraganeus*, modò appellari ſolitus *Vicesgerens* ob annexum eidem Vicesgerentis diſtinctæ (*a*) quondam dignitatis munus; ſive aliquis alius ex ejus placito, atque exorditur ad aram majorem miſſam ſine cantu. Qua completa, depoſitis ſacrificantis veſtibus, ſumptoque pluviali violaceo, ac mitra, ſedet (aſſurrecturus ad cruces eccleſiarum) in plano presbyterii cum aſſiſtentibus ſibi duobus Beneficiatis Lateranenſis baſilicæ dalmaticis circumamictis, & poſt illos (in ſtallis tamen chori) ad cornu evangelii Prælato locum tenente, ac aliis nobilioribus Officialibus tribunalis Emi Vicarii; ad cornu epiſtolæ Capitulo S. Marci, cui conſuetum, aſſurgere tantùm ad præfatas cruces, & Clerum ſecularem, quod ipſum agitur a laudatis duobus Beneficiatis aſſiſtentibus. His ita diſpoſitis, jubente (ad nutum Epiſcopi) Camerario Cleri, & ceremonias per Antiſtitem explendas moderante Magiſtro Lateranenſi, incipit proceſſio, ſingulis collegiis ſtantibus pridem in dextera introeuntibus navi, ambulantibus, ubi unus ex miniſtris, quos Vicarii Curſores, ſeu Mandatarios vocant, cujuſque nomen altè pronunciaverit, ac pertranſeuntibus (juxta ſchedulam) inter aram maximam, & expectantem Epiſcopum, qui ſe tandem cum Aſſiſtentibus, præfatiſque Officialibus, ultimus agmini conjungit, atque aſſociatus ad cancellos uſque Tituli ab ejuſdem Canonicis procedit cum reliquis ad Vaticanum.

VIII. Rubricæ quorũdam agendorũ, necnon canendorum in litaniis majoribus.

Dum incipit (ſecularis præſertim Cleri, cui ſpeciatim *Romani* nomen tribui ſolet) ſupplicatio, organa pulſantur, eodemque momento diſtribuitur ſingulis impreſſus Cameræ Apoſtolicæ impenſis *Ordo ſervandus in proceſſionibus faciendis in diebus S. Marci Evangeliſtæ, & Rogationum*, in quo agenda ferme omnia, & præcipuè, quid canendum per totam litaniæ majoris actionem, dilucidè præſcribitur per appoſitas ſuis locis rubricas, plurimorum uſu annorum comprobatas, & a nobis hìc exhibendas, ut omnimoda recentiorum uſuum ad Ritum noſtrum quoquomodo pertinentium notitia habeatur.

IN

(*a*) Legatur relatio Rom. Curiæ Cardinalis de Luca, ubi de officio Vicesgerentis &c. In ipſis literis, quibus deputatur etiamnum Illuſtriſs. Vicesgerens, eadem exprimitur duplex dignitas, ſicut ipſe obſervavi in regeſtis carthophylacii Emi Vicarii. Sed circa hoc in opere de Hierarchia &c. diffuſiùs.

IN DIE S. MARCI EVANGELISTÆ.

Diſcedat Clerus ab eccleſia S. Marci iturus ad eccleſiam Apoſtolorum Principis S. Petri in Vaticano cantando litanias, quæ habentur infra, & ubi ſemel abſolutæ fuerint, toties a capite repetantur, quouſque perventum ſit, quò perveniendum eſt.

Et, cùm perventum fuerit in pontem S Angeli, dicatur per Cantores Antiph. Angeli &c. ℣. In conſpectu &c.

Epiſcopus ſtans ſine mitra dicit: Oremus. Deus, qui miro ordine &c. *deinde reaſſumantur litaniæ, & procedatur uſque ad eccleſiam præfatam S. Petri.*

Sequuntur litaniæ.

Ante altare SS Sacramenti in eadem eccleſia poſt ultimum Kyrie eleiſon *litaniarum Epiſcopus genuflexus ſine mitra dicit*: Pater noſter: *ſecretò* ℣. & ne nos &c. ℟. ſed libera &c.

Tum duo Cantores intonant pſalmum: Deus in adjutorium &c.

Epiſcopus adhuc genuflexus dicit preces hujuſmodi: ℣. Salvos fac &c.

Mox ſurgit Epiſcopus, & ſtans ſine mitra dicit: Oremus. Deus, qui nobis &c.

Deinde Epiſcopus intonat hymnum Te Deum laudamus. *Et, facta genuflexione, accipit mitram, & interim Cantores proſequuntur dictum hymnum, & proceſſio dirigatur ad altare majus SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, ante quod Epiſcopus, depoſita mitra, & facta reverentia, ſtans expectat finem dicti hymni.*

Mox Cantores intonant Antiph. Petrus Apoſtolus &c. ℣. Conſtitues &c.

Epiſcopus dicit: Oremus. Deus, cujus dextera &c.

Poſtea Cantores dicunt ℣. Exaudiat &c.

Præterea Epiſcopus, accepta mitra, aſcendit ad altare, & non ſe vertens benedicit populo, dicens ℣. Sit nomen Domini &c.

Quibus factis, Epiſcopus, facta reverentia altari, confert ſe ad ſacriſtiam, & ibi deponit veſtimenta pontificalia, & reaſſumit veſtimenta ſua.

IX. Romanus Clerus propriè nuncupatus deſcribitur. Cleri ſecularis procedentis Ordines, ac methodum qui minutim tenere cupiat, accipiat Chiapponi alibi laudati deſcriptionem ſupplicationis habitæ in Canonizatione SS. acta ſub Clemente PP. XI. necnon quæ intexta eſt libello, cui tit. *Notizie per l'anno* 1720. Romæ impreſſo typis Joh. Franciſci Chra-

Chracaſii, papalis ſupplicationis annuæ Corporis Chriſti. *Crux* (b) *Cleri ſecularis* (ſic deſcriptio Chiapponi ad pag. 218. volum. actor. dictæ Canoniz.) *ſub qua alumni Seminarii Romani : Rectores eccleſiarum parochialium Urbis, & Vicarii* (c) *perpetui : Collegiatæ S. Hieronymi Illyricorum : S. Anaſtaſiæ : S. Mariæ **** in Coſmedin* (*vulgò* bocca della verità): *SS. Celſi, & Juliani : S. Angeli in foro piſcium : S. Euſtachii : S. Mariæ in via lata : S. Nicolai in carcere : S. Marci : S. Mariæ ad martyres* (*quarum nonnullæ almutiis ſuper ſiniſtro brachio decorantur*) : *demum Cleri Camerarius linteatus, ac ſtola ſacerdotali exornatus. Tum collegiatæ inſignes S. Mariæ Transtyberim, ac S. Laurentii unà incedentes, quæ quotannis alternatim inter ſe præcedunt. Tum Cleri, & Collegia Patriarchalium S. Mariæ majoris, S. Petri, & S. Johannis Lateranenſis.* Author libelli ſic pag. 170. & 171. *La croce del Clero, il Seminario Romano, li Parochi ſecolari, e regolari. Canonici delle collegiate. S. Girolamo ***** de' Schiavoni, S. Anaſtaſia, S. Maria in Coſmedin,*

(*b*) Præter crucem ferè ad noſtra tempora Clerus *vexilli* ſpeciem tulit in publicis proceſſionibus. Meminit certè talis vexilli (quo epigraphe legebatur peculiaris) Anonymi enarratio proceſſionis habitæ in translatione ſacrarum reliquiarum SS. Abundii, & Abundantii, quam deſcriptam ex codice bibliothecæ prænobilis familiæ Mandoſiæ dabo ad calcem Operis pro XI. documento.

(*c*) Rectè illuſtris Ceremoniarius poſtremo loco inter Parochos eos ponit, qui Vicarii perpetui dicuntur; haud enim ignorabat, quod reſpectu aliquorum id ſtatuens emanavit decretum Sacræ Rituum Congregationis an. 1693. Tunc quærentibus: *An Rectores perpetui parochialium Urbis eccleſiarum debeant in proceſſionibus præcedere Vicariis perpetuis Patriarchalium, ceterarumque eccleſiarum:* reſponſum eſt: *Vicariis perpetuis S. Johannis in Laterano, S. Petri in Vaticano, S. Mariæ trans Tyberim, & S. Laurentii in Damaſo præcedentiam competere in proceſſionibus ſuper Rectores parochialium eccleſiarum Urbis, ſervata tamen alternativa ſolita inter eccleſias* S. *Mariæ in Transtyberim, & S. Laurentii in Damaſo*. Verba decreti excerpti de regeſto tabularii tribunalis Emi Vicarii. Ceterùm illud memorat Vincentius Card. Petra in commentar. ad to. 1. Bullarii conſtitut. Paſchalis II. num. 45. & 46. pag. 375.

**** Hoc Opere abſoluto, vidi Diaconiam *S. Mariæ in Coſmedin* aliis collegiatis digniorem extemplo evaſiſſe. Quandoquidem ejus Capitulum die S. Marci an. 1726. ſupplicationi interfuit procedens ante cruces duarum baſilicarum inſignium, harumce inſtar, & Patriarchalium, cum propria cruce, ſinnichio, & campanula. Cauſſa, privilegium habitus cappæ amplæ, & rocchetti eidem conceſſum (ut fama tulit publica) per Benedictum XIII. datis literis in forma Brevis, ob quas prærogativam loci, denominationis magis honorificæ, geſtationis tentorii &c. ſibi competere credidit. De hac novitate, quæ (omnium novitatum more) ideam, methodumque Romani Cleri perturbavit, latè nos in cit. tractatione de Hierarchia &c. ubi plures poſtremis temporibus novitates ſubinductæ, earumque cauſſæ numerabuntur, atque expendentur.

***** Die S. Marci memorati anni 1726. hujus collegiatæ Canonici *almutiis* or-

din, SS. Celſo, e Giuliano con almutio, S. Angelo in peſcaria con almutio, S. Euſtachio, S. Maria in via lata, S. Nicolò in carcere con almutio, (*S. Marco con almutio*, quod tamen omiſit incurioſus Typographus), *S. Maria della rotonda, il Camarlengo del Clero con ſtolà. Baſiliche. S. Maria in Traſtevere, e S. Lorenzo in Damaſo con due padiglioni, due croci, e due campanelli, e tra eſſi v' è l'alternativa nella precedenza. S. Maria maggiore, chiamata la Liberiana, con padiglione, croce, e campanello. S. Pietro in Vaticano con padiglione, croce, campanello, e ſuo Seminario. S. Giovanni in Laterano con due padiglioni, trè* (d) *croci, la prima Capitolare, e le altre due delle baſiliche unite* (e) *del SS. Salvatore, e della Conſtantiniana, e campanello, con altri alcuni del Seminario Romano.*

X. Quæ univerſi Cleri methodus in canendis per viam litaniis, aliiſque.

Dele nomen collegii *S. Petri*, & *S. Marci*, authenticam habes deſcriptionem agminis Cleri ſecularis die litaniarum majorum procedentis. Adde quidem, quod hac die, & quotieſcumque litaniæ, preceſque ſingulares canantur, duo ad eas præcinendas cura Camerarii ſelecti Presbyteri pluvialibus induti medium occupant locum in turma, quæ incedit ſub Cruce primùm notata; ideſt, poſt Parochos, ſeu Vicarios perpetuos, & ante Clerum collegiatarum. Qua de re nihil tradunt præmiſſi catalogi. Addendum etiam, per viam a quolibet Regularium collegio repeti litanias, duobus ex illis apto conſtitutis loco præintonantibus. Collegia Patriarchalium, & duarum Inſignium baſilicarum, quum non ſine ſchola propria Cantorum procedant, litanias, aliaſque precationes privatim recitant; quouſque perventum ſit ad molem Hadrianæam, præfata interim ſchola vias auramque opplente ſuavi ſacrorum hymnorum modulatione. Quod pariter fit, quum proceditur per eccleſiam S. Petri. Aſt eo ſpatio, quod a mole ad hanc baſilicam interponitur, duo de qualibet ſchola, reſpondente collegio, litanias cantant.

De-

ornati apparuerunt virtute privilegii ſibi conceſſi (ut mihi retulit Illuſtriſs. Gamberuccius) per os Benedicti XIII. 4. kal. Auguſti, quo idem Pontifex celebratis apud illam divinis officiis interfuit juxta praxin, de qua nos Par. I. ſect. 5. §. 12. not. g.

(d) Ajunt aliqui, eſſe unam ex his veterem *ſtationalem*. An benè, diſcutietur cit. opere de Hierarchia &c.

(e) Putant alii, unam eſſe *baſilicæ S. Laurentii*, cujus canonicatus & beneficia unita fuiſſe per Martinum V. Capitulari menſæ S. Johannis docet Raſponus lib. 4. hiſt. baſil. Lateran. pag. 363. Quod etiam expendetur in eodem opere &c.

XI. Clerus ingrediens baſilicam Vaticanam qua forma excipiatur.

Devenitur tandem ad metam. Singulæ univerſi Cleri turmæ limen attingentes templi, quo litaniæ finis imponitur per verba: *S. Petre, ora pro nobis*: a memoratis Cantoribus, pluvialia indutis pronunciata, ſalutant circumſedentes Canonicos, a quibus diverſimodè reſalutantur. Ordines Mendicantium, ac ceterorum Religioſorum ſimplici honorantur capitis detectione, quæ urbanitatis parſimonia (quapiam addita capitis inclinatione) adhibetur reſpectu pariter aciei Romani Cleri, quam claudit Camerarius ſtolatus. Collegiis Canonicorum duarum baſilicarum Inſignium reſalutaturi, detecto capite, aſſurgunt (*f*) aliquantulum Canonici S.Petri: omnino verò aſſurgentes, ſtanteſque id præſtant Beneficiati, & Clerici, qui ſtant poſtmodum, aſſurgentibus plenariè Canonicis tantùm ad ingreſſum Canonicorum Patriarchalium Liberianæ, & Lateranenſis.

XII. Num ea laudabilis?

Mirantes pleroſque offendi fermè quotannis hanc exceptionis formulam, quaſi maxima ſui parte parum urbanitatis, ſive obſervantiæ erga illuſtres Ordines, Clerique nobilem portionem referre videretur. Quinimò a multis minimè percipi poſſe deprehendi; unde ſit, quod Clerus taliter excipiatur die S. Marci ad templum proceſſionis metam in ipſa Urbe, quæ per conditum a ſe Ceremoniale Epiſcoporum conſuetudinem magis approbarit paribus occaſionibus valde diverſam a Vaticana. Porrò hæc in eo codice mandantur: ***Ibit proceſſio uſque ad eccleſiam, ad quam juxta conſuetudinem civitatis dirigitur, cujus eccleſiæ Clerus, ubi ita conſuetum eſt, procedet obviam uſque extra portam eccleſiæ, ibique ſtans eam recipiet.*** Lib. 2. cap. 32. *de litaniis, & proceſſionib. majorib. & minoribus* &c. pag. 370. & 371. edit. C. A. an. 1651.

XIII. Eadem ex parte per Apoſtolicam Sedem approbata.

Verùm inceſſere deſinant Vaticanam hujus diei conſuetudinem, quæ tamen ab aliis pro exemplo aſſumi nonniſi imperitè, & violenter poterit, ſi quando Cleri exceptiones non ejuſdem indolis acciderint. Ineſt conſuetudini ratio, cauſſaque graviſſima aliis occaſionibus, locisque nullatenus accommo-

X

(*f*) Genus honorandi uſitatum in Eccleſia, quod hic habetur. Si vis exemplum, lege Pontificale Romanum ad tit. de *Conſecrat. Electi in Epiſcop.* quo Electo ad quamlibet præſcripti *examinis* particulam reſponſuro hic indicitur reſpondendi modus, poſtquam Epiſcopus conſecrator loquutus ſit: ***Tum Electus aliquantulum aſſurgens, detecto capite, reſpondet***, ita ex toto &c. ***& hoc ſervabit ad omnes alias reſponſiones ſequentes*** &c.

(1) Sect. 10. §. 8. modanda, quam inferiùs (1) expiſcabimur. Certè portio ejuſdem, aliquando vacillans, per ipſius Apoſtolicæ Sedis authoritatem expreſsè approbata, ſtabilitaque eſt. Nimirum œconomiam exceptionis duarum Inſignium eccleſiarum S. R. Congregatio die 15. Aprilis an. 1606. perpetuo ſancivit edicto, cujus tenorem deſcribere præſtiterit ad calcem Operis num. XII. Illud aliàs memorat Barboſa (ne quempiam alium Ictorum producam) in collectan. deciſionum Apoſtolicar. 89. & in collectan. Bullarum, aliarumque Pontificiarum conſtitutionum, & deciſionum Sacrar. Congregationum pag. 68. ad dictionem, *Beneficiatus*, ac pag. 114. ad voc. *Collegiata* VII. ubi ſumma ſanctionis exprimitur.

XIV. De aliis, ingrediente Clero, actis per miniſtros S. Petri.

(2) §. 4. (3) §. 8. (4) §. 5. (5) §. 2. & 4.

Januam ſubeunte *Romano* Clero, quum prææallegatum (2) diarium ſcriberet Turrigius, hæc præterea agebantur. *Quando Clerus Romanus* (loquitur Turrigius) *incœpit ingredi in baſilicam, cœpta ſunt pulſari organa, ſpargi pavimentum floribus, & frondibus virentibus, & legi bulla* &c. Modò ſilent organa, etiam quando auditur ſtrepitus lætiſſimus hymni *Te Deum*, de quo deſcriptæ (3) ſuperiùs rubricæ. Bulla quidem legitur per miniſtrum, & e ſuggeſtu, de quibus (4) ſupra, eaque Alexandrina ab Eugenio IV. renovata, quam protuli ſexta ſectione (5). Neque omittitur viridantium frondium ſparſio.

SECTIO VIII.

§. I. Secularis Clerus in ingreſſu baſilicæ Vaticanæ accipit *presbyterium*. Quale illud.


POTISSIMUM verò completur, quod eſt ferè totius actionis finis, ideſt, *presbyterii* erogatio. *Et datum eſt* (inquit eo loco Turrigius) *ſolitum* PRESBYTERIUM *Parochis*, *Canonicis* &c. Quale autem illud, & quibus præcisè tradatur, ediſſerat authenticum monumentum. In regeſto *mandatorum ſacriſtiæ* baſilicæ S. Petri tamquam perficiendæ perpetuò diſtributionis norma notatur ſequens catalogus, a me deſcriptus e ſummariis pro Capitulo Vaticano exhibitis occaſione non ſemel memoratæ (1) litis, & aliis indubiæ fidei chartis.

(1) Sect. 5. §. 4. & 5. ſect. præced. §. 13.

Liſta delle chieſe Patriarcali, e Collegiate, che vengono in proceſſione a S. Pietro la feſta di S. Marco, e ſe li dà il ſolito PRESBITERIO.

„ S. Gio. Laterano bajocchi dieci. S. Maria maggiore
„ bajocchi dieci. S. Maria in Traſtevere bajocchi ſette, e mez-

Digitized by Google



Joh. Philippus Morenus delin. Joseph Vasi incid.

Digitized by Google

,, mezzo. S. Lorenzo in Damaſo bajocchi ſette, e mezzo.
,, S. Maria rotonda bajocchi cinque. S. † Marco bajocchi
,, cinque. SS. Celſo, e Giuliano bajocchi cinque. S. Maria
,, in via lata bajocchi cinque. S. Euſtachio bajocchi cinque.
,, S. Nicolò in Carcere bajocchi trè. S. † Lorenzo in Lucina
,, bajocchi trè. S. Angelo in peſcaria bajocchi trè. Scola Gre-
,, ca bajocchi trè. S. Anaſtaſia bajocchi trè. S. † Maria in por-
,, tico bajocchi trè. S. † Giorgio bajocchi trè. S. † Vitale ba-
,, jocchi trè. SS. † Coſma, e Damiano bajocchi trè. S. † Teo-
,, doro bajocchi trè. S. † Appollinare bajocchi trè. S. † Priſca
,, bajocchi trè. SS. † Sergio, e Bacco bajocchi trè. S. † Chirico
,, bajocchi trè. S. † Adriano bajocchi trè. S. † Maria in
,, Domnica bajocchi trè. SS. † Pietro, e Marcellino bajocchi
,, trè. S. Girolamo de Schiavoni bajocchi trè. Al Camerlen-
,, go del Clero bajocchi dieci. A tutti I Parochi di Roma
,, bajocco uno. A chi legge la bolla bajocchi dieci.

Ita catalogus, in quo, quicquid cruce ſignatum eſt, collegium Clericorum ſecularium ſignat non ampliùs *presbyterium* participans, aut, quia non accedit, quale S. Marci ſecundùm narrata paullò ante (2), aut quia ſuppreſſum eſt, ejuſque eccleſia Regularibus conceſſa, vel cujuſque præbenda in claſſem ſimplicium beneficiorum redacta, qualia ſunt reliqua, quorum fortunam exponam in opere de Hierarchia &c.

(2) *Ibid.* §. 4.

II. Clari Scriptoris error circa ſummam hujus præſtationis.

Optimè concordat in omnibus, præcipuè in aſſignanda unicuique portionis debitæ ſumma, idem catalogus cum notulis, quibus miniſtri diſtributores inſtruuntur, ac utuntur, necnon cum vigente, cunctiſque conſpicua conſuetudine. Propterea falli inſigniter dicendum videtur Joh. Marium Creſcimbenium affirmantem, quod *presbyterium* Collegiatarum non excedat ſummam trium obolorum. *Tal donativo* (inquit de *presbyteriorum* erogatione diſſerens) *da gran tempo è andato in diſuſo: nè ve n' è rimaſto altro veſtigio, che la diſtribuzione, che fa ogn' anno il Capitolo di S. Pietro in Vaticano nelle litanie maggiori; allorche la proceſſione nel dì di S. Marco dalla chieſa di queſto Santo và a quella baſilica; la quale diſtribuzione conſiſte in alcune monete non eccedenti, riſpetto alle collegiate, il valore di bajocchi trè per ciaſcuna*. Cap. 16. pag. 118. hiſt. eccleſ. S. Anaſtaſiæ.

III. Quomodo tractatur, & excipiatur *presbyterium*.

Diſtributio *presbyterii* ſic agitur. Inter miniſtros diſtributores, qui unus eſt, juxta notata (3), e Clericis ſacrario adi-

(3) *Sect. præced.* §. 5.

dictis, de crumena, quam manu tenet, extrahit obolos Parochis dandos papyro coloris cærulei obvolutos, illiſque baſilicam ſubeuntibus ordinatim porrigit; ita tamen, ut duos obolos duplici obvolutos papyraceo tegmine proximior e quolibet procedentium pari accipiat, alterum ſibi debitum, tribuendum alterum comiti, quod porrigens ei monere ſolet dicens: *uno per lei, l'altro per il ſuo compagno*. Ceteris Clericis ſuggerit aſſignatas portiones non diſſimili ratione involutas, extractaſque alia de crumena per triplicem diviſa ſectionem (unam ſervantem portiones obolorum trium, quinque ſecundam, reliquorum gravioris ponderis tertiam) qui hanc geſtat, Ceremoniarius, ſuas aliquibus, ideſt Camerario Cleri, & pro collegiatis ſingulis utplurimum Canonico cujuſque Camerario, aliquibus alienas protendentibus manus, quod agunt collegia baſilicarum Inſignium, & Patriarchalium, quarum Magiſtris ceremoniarum *presbyterium* porrigitur.

IV. Duo completæ diſtributionis cōſectaria notantur.

Inſtitutane ſit diſtinctio illa Diſtributorum in gratiam vitandæ confuſionis in actione, quam fortaſſis denariorum conditio progignere poſſet, vel in gratiam dignitatis meritive eorum, quibus *presbyterium* competeret, nondum mihi conſtitit. Conſtat, quod acceptum per collegia Patriarchalia, & Inſignia Magiſtrorum recipientium poteſtati, ac uſui relinquantur, velut ſtrena, ſeu munuſculum, aut, ſi placet, pro laboribus diei debita merces. Conſtat inſuper, quod, diſtributione confecta, ſecedit Vaticanus Clerus, nulloque modo reliquæ ſe immiſcet litaniarum celebritati.

V. Utrum Clerus Vaticanus de *presbyterio* participet.

Cave tamen, credas indonatum illum ſecedere, ſeu *presbyterio* expertem. Suum & ille accipit ea occaſione, & ſanè par conceſſo Patriarchali Lateranenſi, ac Liberianæ, atteſtante prædeſcripto catalogo. Si quæris locum; extrema linea; nimirum, ſub veſamine verborum: *a chi legge la bolla bajocchi dieci*. Hoc eſt *presbyterium* collegio S. Petri aſſignatum a Pontifice, qui novos aut invexit mores, aut noviter inductos comprobavit, per collegium verò lectori Clerico permiſſum in ſtrenam, laboriſque mercedem. Scriptor catalogi expreſſit poſtremum hocce, velut ſibi notum, perviumque omnibus. Summè id mihi probabile, & penè dixerim certum. Qui aliter judicaverit, vel aſſerat neceſſe erit, aliarum eccleſiarum miniſtris, & collegiis a Petro ſalarium ſtipendiumve ſumentibus, nullum ſumi a *domeſtica* tanti Principis *familia*, quæ tot ſe-

Digitized by Google

ſeculorum ſpatio gravius, ac frequentius cœpiſſet, edocentibus hæc adhuc paſſim ejuſdem, & Apoſtolicæ Sedis tabulis: vel comparari Pontificis judicio Clericum ultimæ notæ nobiliſſimis Urbis collegiis, & Camerario per æqualitatem *presbyterii*, aliiſque præferri, ſplendidæ licèt dignitatis, & conditionis decore pollentibus: vel recentem diſtributionis conſuetudinem pro arbitrio privatorum hominum, caſuque natam. Quibus nihil abſurdius & irrationabilius, nihil Romano Antiſtiti, Vaticano Capitulo, totique Urbis Clero probroſius atque injurioſius excogitari effingique poſſet.

VI. Antiquioris, recentioriſque ritus noſtri comparatio inſtituitur, ac primùm obſervatur, an in aliquo omnino conveniant?

Quinam Pontifex ſtabiliverit hujuſce, & Papæ debitæ præſtationis ritus; & an ſapienter, veſtigabimus ultima ſectione. Jam per narrata manifeſtiſſimum evaſit, quàm diverſa nova ſit facies ab antiqua, & quàm levia ſuperſint veterum morum veſtigia, quod ſuperiùs (4) affirmabam præfidenter. Quis enim non deprehenderit, diverſas ætates convenire in pauciſſimis, ferme in omnibus diſſentire? Recentior vetuſtiori concordat, quòd vox *presbyterium* non exolevit: quòd illam adhibemus pro exprimenda præſtationis, ſeu dati ſpecie: quòd hac aliquando fruitur Papa ad primitus inſtitutum locum, ſcilicet, ad baſilicam, ac tumbam Piſcatoris: quòd viget ſollemnitas (*a*) proceſſionis diei 25. Aprilis, ſive S. Marci, iſtaque ad veterem tendit ſtationis metam ex antiquo collectæ loco progrediens: quòd nunc Romani Clerici, qui ſeculares appellantur, famulanturque vetuſtis Urbis eccleſiis, præſtationem hujuſmodi participant.

(4) *Sect.* 5. §. 13.

VII. Cõcordat uterque ritus ex parte circa fontem, rationemque monetarũ

Sunt hæc paucula perfectæ concordiæ capita. Sunt etiam paucula, in quibus priſtini moris emicent ſcintillæ. Profectò, ſi nunc ex maſſa, cujus pars eſt genus aliquod oblatorum juxta (5) dicta, ſumuntur denarii in *presbyterium* erogandi, mos iſte veſtigium videtur illius, quem tota ferè priori Parte latè expoſui, & rememoravi primis hujus ſectionibus. Hoc ipſum dic de indicato jam (6) ſtylo Vaticano componendi papale *presbyterium* ex monetis vetuſtioris ſigni. Quandoquidem non dubiè hoc ideo inſtitutum, ut obſoleta nomina, ſpeciemque ſolidorum, quos ſparſim meminimus ſupra, ſi non reapſe, qualitate ſaltem vetuſtatis præſtatio referret.

Olet

(5) *Sect.* 6. §. 6.

(6) *Ibid.*

(*a*) Quis ſcit, num invocatio, ſeu commemoratio illa: *S. Petre* &c. (de qua ſect. præced. §. 11.) veſtigium, aut indicium ſit primigeniæ ſollemnitatis *Primatus* &c. ſect. 3. §. 11. notatæ?

Olet quoque priſca tempora quantitas *presbyterii* pontificii. Nam, qui nunc XXV. julii dicuntur, aliquomodo congruere ſolidis XL. olim tradi conſuetis ſecundùm notata (7) ſubindicat locus Paridis de Craſſis. Scripſit hic (uti demonſtrabunt, quæ de epocha variationum conjicientur cit. ſectione ultima) gravioribus novis uſibus introductis, adeoque ſtabilita *presbyteriorum* recenti quantitate. Papalis autem quantitatem ita priſco more expreſſit pag. 53. cit. tomi ms. diariorum loquens de *miſſa nativitatis Domini* per Julium II. cantata in S. Petri anno 1505. *Sedenti Papæ in ſede geſtatoria præſentavit D. Britius de Monte Canonicus, & Altariſta S. Petri unam burſam auream parvam cum ſolidis* XL. *ex antiqua conſuetudine dari ſolitam Papæ celebranti, quod appellatur* PRESBYTERIUM. *Illa burſa fuit valoris car.* XV. *ut dixit mihi*.

(7) *Par. I. ſect.* 10. §. 1.

VIII.

Eruditi authoris error circa valorem *presbyterii* quondam Papæ tributi.

Concidit hinc (ut id advertam obiter) quicquid circa primævum valorem *presbyterii* noſtri conjectabat Angelus Roccha cit. commentar. de ludo alear. to. 1. oper. pag. 468. Dicit Præſul eruditus nonnulla de ſolidis uſitatis per tempora Juſtiniani, aliorumque Auguſtorum, quos vult aureos fuiſſe. An bene, examinent alii. Quod nos tangit, ſubdit: *Hujus generis fuiſſe reor ſolidos illos, qui eccleſiaſticis viris, etiam S. R. E. Cardinalibus, & ſummo Pontifici, in aliquibus feſtivitatibus, ac feſtis diebus ob actiones laborioſas in eccleſia præſtitas, & expenſas, atque dignitates, olim dari ſolebant, ut legitur in ms. ceremoniarum libro, quem, Guidone de Typherno ... S. R. E. Cardinale poſtulante, Benedictus Canonicus S. Petri an.* MCXL. *Romæ conſcripſit. In eo libro narratur, quod cuique dari ſolebant juxta cujuſcumque functiones, ac dignitates. Major ſumma erat viginti ſolidorum, & hæc nonniſi ſummo Pontifici dari ſolebat. Ex hoc perantiquo ritu originem traxiſſe videtur mos ille, qui hodie obſervatur, quando ſummus Pontifex ſollemniter cantat* &c. Ita Roccha lectionem codicis Benedicti ſequutus tantùm, notatoſque illic ſolidos veteribus aureis tacitò annumerans. Redeamus in viam.

IX.

Vetus novuſque ritus aliquomodo cōcordat circa munus Camerarii Cleri.

Convenit ex parte cum antiqua ætas noſtra, quod collegium a Cencio, ſicut viſum (8) eſt, appellatum *Rectorum fraternitatis de Rectoribus*, nonnihil agat occaſione ſupplicationis litaniæ majoris. Exquire ſupra (9) de curis Camerarii Cleri, & memora alibi (10) expoſita. Sed quæ, ais, Camerarii hujuſce analogia cum Rectorum collegio? Me judice, magna.

(8) *Par.* 1. *ſect.* 10. §. 10. & ſ.
(9) *Sect. praced.* §. 7. & 10.
(10) *Par.* 1. *ſect.* 10. §. 12.

gna.

gna. Dignitas, ac poteſtas Camerarii Cleri portio non modica veſtigii eſt antiquæ dignitatis, poteſtatiſque ipſius collegii. Quod, penſata utriuſque ratione atque indole, non difficulter concipi valet. At iſthæc modò diſcutere longum, & importunum foret. Utiliùs ea, & commodiùs diſcutiemus Appendice prima.

X. Diſcordat in accommodatione, & idea nuncupationis *presbyterii*.

Diſcordiæ, ſeu diverſitatum capita, uti prænunciabam, numeroſiora ſunt. Vox, *presbyterium*, apud Vaticanum unicè accommodatur præſtationi Pontifici ritu maximo celebranti exhibendæ, necnon diſpenſandæ Clericis in litaniis majoribus. Latior olim ejus uſus, quod oſtendunt Parte prima (11) relegenda Benedicti, Manlii, & Romani Canonici loca. Olim tamquam ſalarium, ſeu ſtipendium a Chriſto, & Petro conceſſum in ſignum unitatis, & charitatis, aliarumque documentum virtutum, habebatur *presbyterium* quum Pontifici, tum Clericis præſtitum, ſi reminiſcimur dictorum (12) ſupra. Nunc verò Pontifici præbetur veluti gratulationis, & obſequii pignus, ſicut ipſa docuit (13) exhibitionis formula. Traditum Clericis baſilicam Vaticanam introeuntibus nil aliud eſt ex eorum opinione, quàm recognitionis, ſive reſponſionis, cenſus, canonis (ſic vocant) genus, quod a Capitulo S. Petri debeatur eccleſiis Urbis. Certè (quemadmodum mihi teſtati ſunt e Clero Lateranenſi plures) denarius Urbis & Orbis eccleſiarum principi debitus die S. Marci apud ejuſdem tabulas proventuum, quas *cataſtrum* dicunt, inter canones ſeu cenſus per annum exigi ſolitos annotatur. Quin hanc talis præſtationis ideam jamdudum inſitam Clericorum mentibus declaravit mihi authentica ſcriptio ſeculi decimi ſexti. Extant penès Notarios fabricæ S. Petri libri denunciationum bonorum cujuſque eccleſiæ Urbis actarum juſſu Beatiſſimi Pontificis Pii V. anno 1571. Ibi autem lib. 2. tit. *Nota di tutte le riſpoſte, e canoni ſi devono alla ven. Chieſa di S. Maria in Traſtevere*, ita legitur: *Item il Capitolo di S. Pietro per la proceſſione di S. Marco paga bajocchi ſette e mezzo. Non ne appariſce iſtromento alcuno, che ſi ſappia.*

(11) *Sect.* 5. §§. 9. 13. 15.

(12) *Sect.* 1. §. 16. *& ſect.* 4. a §. 1. ad 5.

(13) *Sect.* 6. §. 2.

XI. In loco ad diſtributionem deputato.

Hæc recentior Clericorum opinio falſam aliam opinionem penitus ſubmovit tot rixarum cauſſam ſub Alexandro IV. de qua (14) ſuperiùs, effecitque, ut alacriter pacatiſſimèque *presbyterium* accipiatur. Sed inſtitutum diverſitatum ſyllabum proſequamur. Magna illa, quod olim in ſola baſilica Vatica-

(14) *Sect.* 5. §§. 1. 2. 11.

ticana, nunc verò detur Papæ *preſbyterium* apud quaslibet eccleſias; dummodo pari pompa per eum ſacra conficiantur. Confer narrata ampliſſimè pluribus ſectionibus primæ Partis cum narratis hìc ſectione ſexta.

XII. In agendis per Papam, & Curiam.

(15) *Par.* 1. *ſect.* 9. & 10.

Olim ſollemnior occaſio, qua Papa, & Ordines palatini *preſbyterium* ſumebant ad baſilicam Petri, dies erat S. Marci, ſeu 25. Aprilis, & celebritas litaniæ majoris, ut opportuniùs (15) memoratum eſt. Saltem ad extrema fermè tempora, ſive diu poſt Alexandri IV. regnum conſuevit Pontifex cum Curia ea die conſiſtere in Titulo Marci, ac ſupplicationis functioni quodammodo prælúdere, ſicut annotavimus in ipſo ſectionis ſextæ veſtibulo. Nunc verò etiam leviſſimum hoc in tenues evanuit auras.

XIII. In methodo, formaque procedẽtis Cleri.

(16) *Par.* 1. *ſect.* 9. §. 1.
(17) *Ibid* §. 2.
(18) *Ibid.* §. 3. & 4.
(19) *Hic ſect.* 5. §. 2.
(20) *Ibid.*
(21) *Sect. preced.* §. 5. & 6.
(22) *Ibid.* §. 5.
(23) *Ibid.* §. 9.

Colligebantur olim per eam occaſionem Clerici ſeculares in propriis eccleſiis, aut aliis, illinc proceſſuri ad collectæ generalis locum, quod dictum (16) alibi: omnium eccleſiarum cruces (17) illuc afferebantur: Clerus Vaticanus (18) non disjunctus a reliquo Urbis baſilicam petebat: quamplura geſtabantur (maximè a collegiis Diaconiarum, Titulorum, & Patriarchalium) vexilla, ac inſignia teſtibus datis (19) Alexandrinis literis: plerique cappellarum, ſeu parochialium eccleſiarum Clerici ſub crucibus pergebant (20) *alienis*, ideſt, non præciſè ſuis, ſed propriarum matricium. Verùm nunc privatim (ſi Vaticanos excipias) accedit ad collectæ generalis locum (21) Clericorum quilibet: diu ante generalem proceſſionem (22) proceſſio completur collegii S. Petri: cruces ſuas, ſua vexilla, ſive inſignia geſtant unicè collegia baſilicarum Patriarchalium, & duarum Inſignium antiquum ſervantium inſtitutum (neque enim hoc reſpectu iſtarum novum eſt, & ſequela privilegii cappæ amplæ, ut quidam imperitiſſimè diblaterant, quos facilè confundimus, vulgatis literis privilegii conceſſi baſilicæ Tranſtyberinæ ad calcem Operis num. XIII.) ceteris e Clero Titulorum, Diaconiarum, aliarumque eccleſiarum, cappellarum etiam exemptarum ſub peculiari cruce, quam *Cleri* dictam vidimus incedentibus (23) ferè omnibus; ferè, addo; ſiquidem crucem, & inſigne baſilicæ Calliſtianæ ex veteri (*b*) more ſequuntur adhuc ſuperſti-

tum

(*b*) Cardinalis de Turrecremata in ſtatutis ad regimen Cleri S. Mariæ Tranſtyb. ſeculo XV. efformatis, ac ſequenti innovatis per Card. Truchſeſium, iiſque extantibus

tum duarum cappellarum ejuſdem e pluribus matrici ſuæ per diſtincta tempora unitis, aut ab eadem avulſis, Parochi *; nempe S. Johannis de mica aurea, & SS. Sylveſtri ac Dorotheæ.

XIV. In *presbyterio* monaſteriorum.

Monachi, & Canonici regulares, ſeu Clerico-monachi, nedum olim in litaniis majoribus procedebant, dignitati ſuarum eccleſiarum, ſive monaſteriorum congruum *presbyterium* lucrabantur. Vide veterem Cencii catalogum ſupra (24) productum, & citatas toties (25) Alexandri Papæ literas. Noviſſimis temporibus (ut monet lectio recentioris paullò ante (26) traditi catalogi) eorum *presbyterium* receſſit ab aula.

(24) *Par.* 1. *ſect.* 10. §. 5.
(25) *Hic ſect.* 5. §. 2.
(26) §. 1.

XV. Et eccleſiarum Cleri ſecularis.

Quotquot verò tali adhuc honorantur munere, non eadem ſervata veteris ſummæ proportione, honorantur. Singulis Patriarchalibus, nunc ſecularis Cleri membris, diverſiſſimi ponderis *presbyteria* tribuebantur: paris ponderis erant, quæ cuique Titulo: paris, quæ tradita ſingulis Diaconiis: magna erat analogia *presbyterii* ceterarum eccleſiarum. Iterum vide memoratum §. proximo Cencii elenchum. Modò juxta recentiorem decem dantur oboli tribus Patriarchalibus pro *presbyterio*. Inter Titulos duo, hoc eſt, S. Mariæ trans Tyberim, & S. Laurentii in Damaſo, reliquis omnibus ampliorem obtinent largitionem. Titulus S. Marci aliis donaretur uberiùs, ſi ejus Clerus procederet; acciperet enim quinque obolorum donum, quum tres tantùm aſſignati videantur Titulis S. Laurentii in Lucina, S. Anaſtaſiæ, S. Vitalis, S. Apollinaris, SS. Petri & Marcellini &c. Diaconiis quamplurimis aſſignata quoque viſitur trium obulorum portio; ſed quinque

Y con-

tibus in archivo dicti Cleri munia perſonalia baſilicæ ſubjectorum Cappellanorum ad hæc redigit, quæ notantur cap. 37. & 38. *Item ſtatuimus, & ordinamus, quod omnes, & ſinguli Rectores, ſive Cappellani Titulo noſtro ſubditi cum eorum ſuperpellitiis venire debeant ad benedictionem fontium bujus noſtræ eccleſiæ, & in officio eorumdem dierum uſque ad finem miſſæ, & intereſſe debeant; & in die ſtationis, ac etiam in omnibus feſtivitatibus volumus, quod intereſſe debeant in miſſa, & in toto officio divino ſub pœna viginti ſolidor. Sachriſtiæ applicandorum. Item ſtatuimus, & ordinamus, quod Rectores, & Cappellani ſub eadem pœna intereſſe debeant cum Canonicis buius noſtræ eccleſiæ in proceſſione, quam faciunt in die S. Marci, & quotieſcumque contigerit dictos Canonicos de noſtra eccleſia proceſſionaliter exire.*

* Prodiit anno 1727. bulla Benedicti XIII. ſupprimens paræciam SS. Sylveſtri, & Dorotheæ. Per illam redditus penè cuncti, & cappella conceduntur Canonicis baſilicæ matris: jura parochialia transferuntur in cappellam S. Johannis de mica aurea, & hujus Rector eximitur ab onere, de quo hìc, conſentiente Capitulo, cujus in carthophylácio cuſtoditur bullæ autographon.

conſtans *presbyterium* debetur Diaconiæ S. Mariæ in via lata, & S. Euſtachii. Sunt inter ceteras eccleſias Titulis, & Diaconiis minùs largiter quondam honoratas, quæ par tribuendo Clericis Tituli Marci, & Diaconiis præfatis S. Mariæ in via lata, & S. Euſtachii, capiunt *presbyterium*, videlicet, eccleſiæ (*c*) S. Mariæ ad martyres, ſeu rotundæ, ac SS. Celſi & Juliani.

SECTIO IX.

§. I. De cauſſis generalibus tot diverſitatum.

E tot diverſitatibus, ſive diſcordiæ capitibus, quæ graviora ſint, nonnemo pridem dictorum tenax facillimè percipit; nimirùm, nova uſui *presbyterii* tributa notio: nova illud diſtribuendi loca: Pontificum ceſſatio a procedendo, & participando de *presbyterio* ſollemnitatis diei 25. Aprilis: paucitas denique, ſeu diminutio notabilis veterum participantium. Hæc talia ſunt herclè, ut obliterandæ penitus veræ indoli inſtituti tam nobilis induſtria quadam præcipua ſubinducta fuiſſe fermè videri poſſent. Ubi enim unitatis charitatiſve ſpecies, illuſtris inſtituti potiſſima ratio, ejuſdem idea tam immaniter variata, veteris loci privilegio quibuſcumque eccleſiis communicato, Papa, accipientium aptiori ad exprimendam prælibatam rationem die quondam coriphæo, aliiſque benè multis antiqui moris veſtigia nec leviter prementibus? At undenam capita hæc graviora, ceteraque emerſerunt? An ex variabili eccleſiaſticæ diſciplinæ conditione? Ab ea certè, ſi rem ex generali menſura, librave penſites. Nam dubio procul eſt, ritum noſtrum ad diſciplinam pertinere. Miras hinc perpeti debuit variationum calamitates propter inſitam rebus diſciplinaribus mutabilitatem. *Lege fidei manente* (Tertulliani axioma notiſſimum repeto ex libro de velandis Virginib. cap. 1.) *cetera diſciplinæ & converſationis admittunt novitatem correctionis*.

II. Una ex peculiaribus cauſſis alteratio diſciplinæ oblationum.

Nihil hoc mihi magis exploratum. Sed & illud; variaturam ſcilicet numquam diſciplinam, niſi peculiares interce-de-

(*c*) Erat ex inſtituto hæc eccleſia quaſi cappella ἀμέσως Papæ ſubjecta; ſed aliquando Pontificibus placuit eam in cenſu computare Titulorum, aut Diaconiarum. Anno 1725. erecta eſt in Diaconiam, conceſſaque Nicolao Card. Judice in conſiſtorio habito die 25 Julii. Cauſſam harumce viciſſitudinum exponet opus de Hierarchia &c.

derent cauſſæ. Harum in re noſtra intimior videtur alteratio conſuetudinis offerendi. Senſim enim fons iſte *presbyterii* vel exareſcere cœpit, vel diverſis effluere ductibus ab antiquis. Quocirca, labefactato concuſſoque fundamento, difficillimum fuit, ne dicam ἀδύνατον, ſervare *presbyterii* conſuetudinem placitis majorum, priſtinæque ideæ conformem.

Miſerum eſt, & vix memoria dignum, quod ſupereſt in Orbe veſtigium priſcæ oblationum diſciplinæ. Quò abiit multitudo oblatorum ad altare extra uſum ſacrificii inter ſolemnia miſſarum? Teſte doctiſſimo Cardinale Bona, id moris viget ſolùm in aliquibus pagis, & villis apud ruſticos. Adi librum 2. rer. liturgic. cap. 8. num. 8. Aliàs non penitus exulat ab urbibus. Aliquot exempla civitatum Galliæ producit Martenius lib. 1. de ritib. Eccl. cap. 4. artic. 6. Numquam Imperatorem *ſine oblatione* a ſacrificio diſcedere putat Altaſerra, ut elicitur ex ejus notis ad vitam Vitaliani PP. Anaſtaſianam, & libro 1. de Ducib. & Comitib. cap. 17. Quod quidem verum maximè, ſi de Auguſtis perrarò nunc ad majores ſollemnitates convenientibus loquitur, ſicuti oſtendent infrà (1) dicenda de Romano-pontificiis miſſis Imperatoria oblatione honeſtari conſuetis. Addere potuiſſet, nec *ſine oblatione* diſcedere ſollemnioribus occaſionibus Reges * alios, præcipuè Francos, veluti, quum Rhemis (a) conſecrantur, aut quum publica auguſtaque ceremonia Equites S.Spiritus creant; nam tunc Præſulibus ritu maximo celebrantibus aureos porrigunt do-

III. Earum recens infrequentia, præſertim illatarum ad miſſas non in uſum ſacrificii.

(1) §. 6.

Y 2

* De Rege Navarræ adſtante ſollemni miſſæ celebratæ pro anima Aloyſiæ a Sabaudia matri Chriſtianiſſimi Regis Franciſci I. die 18. Octobris anno 1531. occaſione jam indicata ſect. 4. §. 2. ita Marcus del Guazzo pag. 158. ibi allegati operis. *Innanti il prefazio della meſſa fu per la Maeſta del Re di Navarra portato ad offerire al Rmo Legato una torza di cera bianca con un ſcudo d'oro in quella cacciato*. Rex Angliæ, ſi coronaretur, offerret inter miſſarum ſollemnia ex veteri more, quem agens de Richardo ſic teſtatur Rogerius Houvedenius Par. II. annalium: *Obtulit unam marcam auri puriſſimi; talis enim oblatio decet Regem in omnibus coronationibus ſuis*. De Rege Carolo Borbonio die 13. Julii an. 1735. Panormi in Siciliæ Monarcham inuncto hæc Petrus Maſſuetus Par. II. Hiſtoriæ, cui tit. *De la derniere guerre, & des negociacions pour la paix*: pag. 85. edit. Amſtelodam. an. 1736. *L'Archeveque continua la meſſe: le Roi alla a l'offrande, & il preſenta troiſcens pieces d'or frappeès a ſon coin &c.*

(a) Siquid ejuſmodi hac opportunitate fit, reſiduum eſt conſuetudinis antiquæ expreſſæ per Ordines aliquot ad benedicendum Regem Francorum inſcriptos apud cit. Martenium de ritib. Eccl. to. 3. lib. 2. cap. 10. quorum unus *tredecim aureos*, alter *biſancios*, ideſt, *biſanteos* (de quibus in notis ad ſeq. Partem) a Rege conſecrando, præter panem, & vinum, oblatos fuiſſe ſignificat.

donantque nummos * * tempore offertorii. Haud ſiſto ſuper offerendis adhuc toto Orbe per Epiſcopos, alioſque de Clero in ordinationibus ſuis, quæ referant codices pontificales.

IV. Ac ad ejuſdem uſum.

Ritus offerendi pro uſu ſacrificii ferme apud omnes Occidentales periit. Duo vix exempla ſuperſtitis moris mihi ſuccurrunt a Doctis indicata. Jacobus Sirmundus S. J. celebris alumnus in libello de azymo, & fermentato, *vidimus*, inquit, *aliquando ipſi non injucundo ſpectaculo in Armoricis apud Leonices antiqui moris imaginem referentes Matronas aliquot, quæ die feſto communicaturæ, cùm in Dominicum veniſſent, Sacerdoti ſingulæ ſuam oblatam, ſed puram, & azymam, vel domo allatam, vel e ſacrario petitam obtuliſſent, ubi, peracta conſecratione, ad communionem ventum eſt, ita omnes communicarunt, ut mutuas inter ſe hoſtias participarent*. Sarnellius in cit. baſilicographia cap. 27. *de oblat.* num. 16. *Nella chieſa Metropolitana di Milano ſin ad oggi è in uſo di farſi le oblationi: imperciocche due Vecchioni offeriſcono trè oſtie, & un vaſo di vino bianco: e lo ſteſſo offeriſcono dalla parte delle donne due Madrone.* Cujus ritus authenticum teſtimonium quære in ceremoniali Ambroſiano lib. 1. tit. *de Veglonibus, & Vegloniſſis* pag. 44.

V. De oblatis extra tempus miſſarum.

Mos offerendi extra tempus miſſarum per latinum Orbem ſervatur. Sed quàm ille ab antiquo diverſus, quàm diminutus! Utplurimum tantùm in ſacrorum ſervicium, & eccleſiarum reparationem, ſi quid ad chriſtiana templa defertur extra tale tempus, impenditur. Pars Clericorum, utpote aliunde viventium, ferè ubique vacat.

VI. Veſtigia antiquæ diſciplinæ oblationum in miſſis Rom. Curiæ.

Apud Urbem quid remanet ex veteri oblationum multitudine, aut partitione? Nullibi offertur materia ſacrificiorum. In ſollemnibus miſſis, ſeu gravioribus celebritatibus Romanæ Curiæ numquam aliud quidquam offertur, excepta celebritate feriæ VI. majoris hebdomadæ, qua non omittitur antiquus ritus offerendi ad Crucem, exceptis etiam Sanctorum Canonizationibus, quibus varia Papæ exhibentur commemorata apud ceremoniale S.R.E. ſect. 6. cap. 2. & etiam acta nonnul-

** Vidimus hoc etiam Romæ anno 1737. die feſto SS. nominis Mariæ 15. Septembr. apud templum S. Ludovici Francicæ nationis actum per manus regii Legati Hyppolithi Beawillerii Ducis S. Aniani. Nempe hic præfati ordinis Equitem inſtituit ſpeciali mandato Regis Ludovici XV Hieronymum Vaini Cantalupi Principem, pompam ceremoniamque Domini ſui pro modulo imitatus. De cetero conſule, ſi placuerit, folia ſub tit. *Relazione diſtinta &c.* rem totam enarrantia, impreſſa apud Chracaſium eodem anno pag. 5. col. 2. &c.

nullarum ejuſmodi celebritatum per Dominicum Cappellum, Chiapponum, alioſque deſcripta, exceptis denique occaſionibus coronationum capitum Auguſtorum, ſimiliumque. Tunc enim oblatio auri antiquioribus (ut apparet ex hiſtoria, ſeu potiùs præparatione coronationis Henrici Luxemburgici, & Caroli IV. Cæſarum apud Rainaldum ad annum 1311. & 1355.) uſitata minimè negligitur, quod affirmat præſcriptum cit. ceremonialis ſect. 5. lib. 1. cap. 3. *de ingreſſu Imperat. in Urbe*, & tit. *de coronat. Imperatric.* atque conteſtatur exemplum geſtorum in coronatione Caroli V. Bononiæ prorſus Romano more (*b*) completa per Clementem VII. an. 1530. die 24. Februarii. Sanè Carolus inter miſſarum ſollemnia Papæ præbuit xxx. *aureos, quorum quilibet erat ponderis quatuor ducatorum auri largorum*, ut ait Apoſtolicus Ceremoniarius apud Rainaldum ad cit. an. 1530. num. 31. ſeu *trenta doppioni di quattro ducati l'uno*, ut verbis utar Marci del Guazzo legendis in citata (2) hiſtoria rerum memorabilium per Europam geſtarum &c.

(2) *Sect.* 4. §. 2.

VII.
In eccleſiis Urbis.

Extinctus penè eſt apud eccleſias Urbis uſus offerendi ad miſſas, cujus vix umbra ſupereſt in oblationibus præfatæ ſextæ feriæ, in oblationibus candelarum, quæ ab ordinandis offeruntur Epiſcopo, ac in ejuſdem miniſtrorumque commodum vertuntur, necnon aliis leviſſimis. Oblationum extra miſſas frequentior uſus, uberiora exempla. In variis eccleſiis Canonicorum miniſterio decoratis quicumque beneficii poſſeſſionem init, ſummam quamdam offert ad altare majus, præeunte exemplo Romani Pontificis, qui, dum poſſeſſionem capit Patriarchii Lateranenſis, ad ejuſdem aram maximam plures offert denarios, uti aptiùs narrabitur (3) infra. De Cardinali Flavio Ghiſio in Archipresbyterum baſilicæ Salvatoris electo, antequam ad obedientiam reciperet in ſacrario Canonicos, & reliquos de Clero, accedente ad altare princeps, ibique offerente L. *ſcuta aurea*, mentio habetur in regeſtis capitularibus dictæ baſilicæ, quæ vidit, excripſitque Creſcimbenius lib. 4. hiſtor. S. Johannis ante portam Latinam cap. 9. num. 31. pag. 359. Eadem offerendi conſuetudo obſervatur a Canonicis Liberianæ eccleſiæ, quæ memorabilis vide-

(3) *Par.* 3. *ſect.* 8. §. 12. *& Coroll.* §. 7.

(*b*) Quàm hic religiosè obſervatus, argues ex cooptatione Caroli in Canonicum Vaticanum, & Lateranenſem, de qua ſect. ſeq. nota *b.* ad §. 12.

detur ob alium annexum ritum. Dum enim Canonicus ponit ſuper aram debitam auri ſummam quamdam, reperit illic, quem ſibi vindicet, unum argenteum nummum imagine ſignatum Deiparæ baſilicæ titularis. Conſuetudinem Canonicorum S. Mariæ trans Tyberim referam in hiſtoria. Paſſim offeruntur a baptizandis, conſignandiſque candelæ. Ad capſulas, ſeu *truncos* (juxta majorum idioma) projiciuntur denarii, necnon ad imagines prodigiis coruſcantes.

VIII. Et ſpeciatim Vaticana.

Sed pauca ſunt hæc veteribus comparata. Quinetiam oblatorum horumce inſumptio contrahitur ferè ſolùm ad egeſtates ſacrarii eccleſiarum, & fabricæ ſublevandas, celebrandaſque miſſas. Nec niſi rariſſimò eadem ad altaria conferuntur antiquo more, & ſæpè ſtimulis urgentibus Indulgentiarum, aliarumque eccleſiaſticarum relaxationum. Quæ omnia comprobantur potiſſimùm ex Vaticanis uſibus noviſſimæ ætatis. In ærarium baſilicæ S. Petri modò infertur ampliſſimus pecuniæ cumulus; at ſolùm pro fabrica magnificentiſſimi templi, aliiſve neceſſitatibus, ad placitum Romani Pontificis. Nec fideles ob unicam Principis Apoſtolorum venerationem, & conteſtationem unitatis (ut antiquitus) properant ad offerendum; ſed ob alias cauſſas, meliùs concipiendas ex Apoſtolicis literis pro fabrica S. Petri expeditis, ac Bullario Romano inſertis. Fiunt & ibi oblationes aliæ, præſertim pro celebratione miſſarum; & nonnihil congeritur pecuniarum ad magnam capſam, de qua(4) ſuperiùs. Verùm pecuniæ, qua ſæpiſſimè vetuſtioribus temporibus, & rariùs proximioribus ætati noſtræ, donarentur plerique (Clerici præſertim) ad aram majorem, & ſollemnia miſſarum ferri ſolita oblatio penitus obſolevit.

(4) *Sect. 6. §. 6. &c.*

IX. Quomodo, & quando innovata diſciplina oblationum Romanar. maximè Vaticanarum.

Diverſitas tanta circa methodum, addictionem, multitudinem, cauſſaſque Romanarum oblationum, etiam Vaticanarum, paullatim ad hunc pervenit gradum poſt milleſimum Chriſti annum, & ſpeciatim poſt concinnatum Ordinem Cencii Camerarii. Satis id inſinuat parca earumdem mentio, quæ occurrit in noſtratibus ſequentis ævi ſcriptionibus, maximè per Mabillonium editis, & Parte I. a nobis, quando opportunitas data eſt, allegatis. Dum viveret S. Franciſcus Aſſiſias, adoleverat fidelium tepiditas in offerendo ad ſepulchrum Petri. *In baſilica* (Vaticana) *ingreſſus* (ait Waddingus to. 1. Annal. minor. &c.) *conſideravit* (Franciſcus) *tenues oblatio-*

tiones, alioſque, indonato S. Apoſtoli ſepulchro, recedere animadvertens ſibi tacitus dicit: Itane tam frigida erga Apoſtolorum verticem devotio? Reliqua videſis, & oblationem tunc per Franciſcum traditam, §. 4. apparatus num. 4. Seculo ineunte quarto decimo de collatis ad altaria SS. Apoſtolorum Petri & Paulli hæc ſcribebat Jacobus Stephaneſius Card. Cajetanus in libello de Jubileo, ſeu centeſimo anno pag.940.tomi 25. biblioth. Patrum Lugdunenſis: *Quæ celeberrima toto Orbe terrarum altaria ſingulis jamdudum annis e peregrinorum oblatis Apoſtolorum Principis florinorum auri triginta* M. III. C. V. *florinorum auferebant, millia triginta Principis circiter annum, viginti millia Doctoris, hoc centeſimo retulere, non ex magnis auri, vel argenti donis; ſed ex uſualis monetæ provinciæ cujuſque Principis: licèt non omnium oblationes, preſſura, vel paupertate præpediente, injectæ ſint. Devotè oblata devotè diſpenſantur, caſalibus, prædiis ex ea pecunia, ipſo ſummo Pontifice jubente, ad jus, & proprietatem baſilicarum comparandis, ac deinde ex ipſorum redditibus divinis, Apoſtolicorumque augendis cultibus officiiſque. Erubeſcant itaque noſtri temporis Reges, quo ſe a modicis perſonarum laboribus, munerumque donis ſuperatos noverint.* Ex quibus diſcimus, quæ *jamdudum* viguerat, oblationum multitudinem tunc aliquomodo reſtauratam quidem; ſed ſtimulos præbentibus anni Jubilei privilegiis, queis tamen Principes commoti non fuerint: impenſamque illam juſſu Romanorum Antiſtitum in comparandis prædiis. Qui valde diverſus erat uſus munerum ejuſmodi ab antiquiori. Quamquam circa hoc gravius aliquid ſuſpexit ſequutum proximè ſeculum. Bonifacius IX. oblationes eccleſiarum, quæ frequentiori populorum cultu honorabantur, conſummandas duxit pro ærarii, ſeu Cameræ Apoſtolicæ neceſſitatibus, præcipuè bellorum cauſſà contractis. Legantur literæ quædam ejuſdem in calce Operis numero decimoquarto.

Quis ergo non viderit, tot variationibus exagitata oblationum, Romanarum maximè, & illatarum ad Petri tumbam, diſciplina, quàm difficile fuerit ulla temeratas variatione ad poſtrema uſque tempora tranſmittere *presbyterii* diſtribuendi conſuetudines, ideamque tam arctè (ut rememoratum pluries) cum eadem diſciplina connexas? Nihilominus diſſimulare, diffiterique non decet, quod variationes illæ vix quidquam effeciſſent, niſi exteriores quædam cauſſæ in exitium Ro- X.

X. Cauſſas alias, quæ alterarunt pleroſque Romanos ritus, alteraſſe noſtrum.

Romanorum rituum conſpiraſſent. Nam, licèt minùs largiter offerretur ad Vaticanum, diſtraherentur in uſus ab antiquioribus quandoque diverſos oblata, aliaque acciderent, quæ meminimus, priſcis moribus non uſquequaque conformia, ſupererat tantum adhuc antiquæ diſciplinæ, quantum ſatis eſſet modicis diſtributionibus integrè purèque ſervandis, ſaltem iis, quas in Benedicti Canonici, & Cencii ſcriptionibus poſterorum memoriæ commendatas perſpeximus.

XI. Quænam illæ ex Card. Caietano, aliiſque.

Cauſſis hiſce exterioribus accenſeri poſſet mos, ſeu abuſus ſub Pontificibus ſequioris ævi inductus, aut toleratus alterandi pro libito ſacras inſtitutiones. Plerique Scriptores hunc apertè teſtantur. Jacobus Cajetanus cap. 76. cit. Ordinis 14. Mabilloniani to. 2. muſei pag. 342. *Totum hoc ſtat ex voluntate Papæ*, inquit loquens de feſto Circumciſionis Domini, & veteri, novoque uſu veſtium. Author additionis ad eumdem Ordinem (ibid. pag. 381.) ait, memoratis pluribus per ſummos Pontifices obſervandis: *Iſta conſueverunt ſervari; Domini tamen eſt facere, quod ſibi placebit*. Rodulphus Tungrenſis in opuſculo de canonum obſervantia propoſit. xxii. pag. 664. collect. Hittorpianæ edit. an. 1591. *Clerici cappellares, ſive de mandato Papæ, ſive ex ſe officium Romanum ſemper breviabant, & ſæpè alterabant, prout Domino Papæ, & Cardinalibus congruebat obſervandum*.

XII. Ex Paride Craſſi.

Suggerit alias cauſſas Paris de Craſſis. *Conſueverunt Romani Pontifices pro tempore, pro loco, pro neceſſitate ceremonias quandoque mutare.* Sic ille adversùs Chriſtophorum Marcellum acri, vehementique ſtylo multa ſcribens Leoni X. quæ percurras pag. 589. tom. 2. cit. muſei num. 5. appendicis ad Ordines Romanos.

XIII. Atque Auguſtino Piccolomineo.

Ante Paridem Auguſtinus Piccolomineus talibus alloquebatur Innocentium VIII. num. 4. epiſtolæ ibi pariter videndæ pag. 585. *Sacros ritus, creſcente fidelium multitudine, Romani Pontifices, ſalva rerum ſubſtantia, auxeruut, ornaverunt, atque mirum in modum ampliaverunt: adduntque in diem, quæ non tam prorſus inſtitutionibus adverſa ſunt, quàm tempori, ac rebus, quæ aguntur, accommoda, atque decora. Quo fit, ut, cùm propter rei vetuſtatem pauca admodum ex prioribus obſervantiis reperiantur, & quæ a poſteris mandata extent, tum propter Romanæ Curiæ crebras apud exteras gentes peregrinationes, tum etiam propter varias confuſaſque ſcribentium ſententias parum*

rum

rum uſui, *& utilitati noſtris temporibus eſſe videantur*. Per quæ duplex alia proditur cauſſa alterationis Romanorum rituum; videlicet, priſcarum inſtitutionum ignorantia, quod oppidò innuitur per allegatam *ſcribentium* varietatem, confuſionemque: necnon frequens Pontificum ab Urbe receſſio.

XIV. Cauſſarum harumce maxima abſentia Pontificum ab Urbe.

Sunt hæ certò cum prænotatis reliquis exteriores (ut vocabam) cauſſæ, quas tamen in unam reſolvi poſſe video fontem aliarum; ideſt, in extremo enunciatam. Etenim, Pontificibus Romam ſæpè diuque deſerentibus, ritus omnes, præſertim in ſtationibus adhibendi, neceſſariò vel penitus ceſſabant; proptereaque ex hominum memoria evaneſcebant: vel diverſiſſima ratione exercebantur in Urbe: vel variebantur inſigniter pro commoditate ſummorum Antiſtitum extra Urbem, utplurimum (ſi placuiſſet) celebrantium priſcas ſollemnitates intra palatia in privatis ſacellis. Hinc ignoratio plerorumque, accommodatio, de qua Paris Craſſi, & illaudabilis uſus arbitrii, quem, Radulpho, aliiſque indigitantibus, animadvertimus. Ex quibus omnibus factum, ut, reſtituta tandem Romæ Curia, ritus aliqui nullo modo refloruerint, emarceſcente priſtinæ eorum praxeos recordatione: aliqui tandiu extra Urbem aptati loco, tempori, ac neceſſitati, vel diſpari ratione in Urbe frequentati, jamque recentibus ſcriptionibus cum veteribus pugnantibus, aut novam aſſumpſerint faciem, aut noviter aſſumptam minimè depoſuerint.

XV. Ac potiſſimùm occaſione ſeceſſionis Avenionenſis.

Quando tanta Romanarum conſuetudinum calamitas & cœperit, & perfecta ſit, ſeu quando has viderit Orbis tragædias, neminem latere puto, qui priorum quinque labentis æræ chriſtianæ milleſimi ſeculorum hiſtorias excuſſerit. Sæpè cogentibus Principum irreligioſorum, civiumque perduellium factionibus, necnon Pſeudopontificum ſeditionibus, per quas (uti loquitur Bergomenſis in ſupplemento ad annum 1153.) *Romana Eccleſia ferè ſubverſa eſt*, Antiſtites ſummi, exulum, aut peregrinorum inſtar, divagabantur per Europam primis tribus ſeculis. Ad hæc tempora ſubverſionis urbanarum conſuetudinum initia locanda ſunt. Ad ſequentia conſummatio pertinet. Quandoquidem ſeculo xiv. contigit fatalis illa Avenionenſis ſeceſſio, quam Babylonicæ tranſmigrationi nonnulli comparant ſcriptores, & ſchiſmatis fundamenta jacta ſunt, quo diuturnius & luctuoſius Eccleſiæ nullum, quodque vix ſopitum, extinctumque prorſus gratulata eſt Roma ſeculo xv.

declinante. Tunc ſanè periere non pauca ſanctiſſima majorum inſtituta, & novi mores confirmati, potiſſimè agendi veteres quamplurimas ſtationales celebritates intra palatiorum anguſtias, quæ obſervant viri docti, præcipuè Suareſius cap. 8. corollarii ad opuſculum Panvinii de Agnis Dei pag. 99. Ven. Card. Thomaſius apud Ciampinum in conjecturis de uſu azymi cap. 3. pag. 13. &c. Et tunc ea rerum converſio abſoluta eſt, quam poſtrema §. præcedentis periodo delineavimus.

XVI. *Quæ certè ſpecialis cauſſa diſcordiarum inter antiquam, ac recentiorem conſuetudinem dandi presbyterium.*

Hic verò, qui talia paullò attentiùs expenderit, ſeu quæ generatim expenſa ſunt, ſpeciatim ad rem noſtram penetrandam tranſtulerit, levi opera, cur tam immaniter a primigenia diſſonet inſtitutione uſitata noſtris temporibus præſtationis *presbyterii* conſuetudo Vaticana, explicabit. Quotquot Alexandrum IV. præceſſere crebræ Pontificum ſeceſſiones non modicè læſerunt ſervatam eatenus aliquomodo priſcam ejuſdem indolem, methodum, rationemque. Rememoranda, quæ digeſſimus ſectione quinta. At acerbius ei vulnus inflictum Avenionenſis tranſmigrationis occaſione. Stantibus enim ad ripam Rhodani Pontificibus, ſollemnia miſſarum papalia, ſiquæ Romæ peragenda fuiſſent ad baſilicam S. Petri, compoſitis variis ritibus ad opportunitatem, & arbitrium, in palatinis magnificè extructis ſacellis (de quibus ſupra) celebrabantur. Ibi autem nullæ oblationes, *presbyteria* nulla. Interim ad præfatam Petri baſilicam diuturnitate temporis vel ipſum fermè ignorari ſtationum nomen: frequentiores olim diſtributiones oblationum ad unicam, eamque nobiliori parte mutilatam diei S. Marci reduci. Interim novorum uſuum recentes per Ceremoniarios, aliosque cudi commentarios annotationeſque, quibus poſteritas inſtrueretur: veteres tam diverſa tradentes de Vaticanis ritibus, & *presbyteriis* paullatim inter obſcuras confuſaſque ſcriptiones cenſeri. Equidem tandem, ut prænarrabam, Romæ reddita eſt Romana Curia; non tamen antiqua noſtræ præſtationis conſuetudo. An autem ſperandum erat, ut adamuſſim priſtino reſtitueretur ſplendori, priſtinæque praxi poſt guſtatam ſacellorum palatii commoditatem, poſt intermiſſam tandiu, aut ad nihilum fermè redactam ejus frequentiam, poſt invectam inter priſcas recenteſque ſcriptiones diſcordiam confuſionemque? Profectò, ſi per ea tempora vixiſſem, tale aliquid non ſperaſſem ego, qui vix capere modò poſſum, unde tot

tot aliis Romanis uſibus tunc naufragantibus, tantus ritui noſtro fortunæ flatus arriſerit, ut veſtigium ſui, quale jam (5) deſcripſi, ad præſentem uſque ætatem tranſmiſerit.

(5) *Sect.* 7. & 8.

SECTIO X.

§. I.
Capitulo S. Petri verè deberi ſervatum veteris *presbyterii* veſtigium.

CUJUSNAM curæ potiſſimùm tribuendum bonum hocce & in ipſo tractationis limine (1) ſuggeſſi, & ſatis conjici valet ab evolvendis iterum conſtitutionibus Alexandri, & Eugenii Pontificum ſectione v. productis, ex quibus apparet, quantum ſub illis adlaborarit Vaticanus Clerus pro ſervandis, reparandiſque *presbyterialis* largitionis, connexorumque inſtitutis. Quamobrem haud ſtultus ſim, ſi antiquioribus exemplis innixus affirmatè pronunciem, per Capitulum S. Petri fuiſſe permotum incitatumque ſupremum Antiſtitem, quo authore ſtetit primùm ſumma hodiernæ praxeos ritus noſtri; ſumma, inquam, ſeu potior ampliorque pars ſingularum conſuetudinum, quibus eadem nunc, uti (2) annotatum, exercetur. Quis enim non videt, quoad aliquas circumſtantias, eamdem, aliaſque rituales praxes, etiamnum in dies variationibus obnoxias fieri, aut eccleſiaſticis Præſidibus aliter mandantibus, aut novantibus potentioribus, ceteris interim vel nullatenus, vel fruſtra reclamantibus, aut inertia, negligentia, contemptuque Majorum prævalentibus? Quibus utique cauſſis, ſive alicui earum, tribuendæ variationes, quas accidiſſe obſervavimus (3) ſupra poſt ætatem Leonis X.

(1) *Prol. ſect.* 1. §. 10. & 11.

(2) *Sect.* 7. & 8.

(3) *Sect.* 7. §. 4.

II.
An ullus Pontifex, & quinam ille veſtigium hocce ſtabiliverit? Conjicitur, fuiſſe Innocentium VIII.

Utut de his, certum eſt, recentes mores non ſine Romani Pontificis authoritate fuiſſe compoſitos; quum tanta in præſtando Papæ *presbyterio* diverſitas ab antiqua conſuetudine, tanta in uſibus præſtationis Clero debitæ, tanta Clericorum tranquillitas in eadem diverſitate toleranda omninò perſuadeant, rem actam, volente, aut annuente eccleſiaſticorum Domino. Valde mihi quidem incerta Pontificis perſona, ac præciſum tempus firmatarum hujuſmodi novationum. Nam, neque ullum papale diploma, neque decretum ullum ſuper his offendi Vicarii Urbis, ſive Camerarii Cleri, ſuique tribunalis, pro more ante poſtremam ætatem (juxta alibi (4) dicenda) vigente, ex commiſſione Pontificis promulgatum. Siquid tamen in conjiciendo valeo, opinarer, non alium fuiſſe Pontificem illum, quàm Innocentium VIII. qui paullò poſt ſedatas

(4) *Appendice* I. *num.* 15. & 17.

ex Avenionenſi receſſione, ſecutiſque calamitatibus obortas tempeſtates rexit Eccleſiam, occidente ſeculo decimoquinto. Siquidem invenio per ea tempora neminem, cui par cura fuerit papales, alioſque ritus reſtituendi. Teſtes codices Romani Pontificalis, & Ceremonialis Cappellæ, quos ejus juſſu,

(5) §. 12, & 13. atque authoritate reſtitutos docent ſectione præcedenti (5) citatæ epiſtolæ Auguſtini Patritii Piccolominei, & Paridis de Craſſis. Hinc conjectura, quod, qui papales ritus reſtitui curavit, debita Romanis Pontificibus *presbyteria* reſtituerit: qui ceteros non neglexit, ritus ſollemnitatis diei S. Marci iterum compoſuerit.

III. Idem confirmatur.

Vires accipit (ſaltem quoad hanc ſollemnitatem) conjectura, quotieſcumque advertitur, ſocietatem, nunc *Confalonis*, olim *Recommendatorum* appellatam, in varia pridem membra diſſectam, in unum prænobile corpus (ſecundùm literas Gregorii Papæ XIII. expeditas apud S.Petrum an. 1579. Kal. Julii, ac impreſſas ad calcem ſtatutorum ejuſdem ſodalitii edit. an. 1584.) coaluiſſe, Innocentio VIII. diſponente. Unde enim, quæſo, hæc ſollicitudo Pontificis? Nonne probabile, quod ea illuſtri laicorum Urbis portione ornari voluerit, quam ipſe componendam ſuſcepiſſet formam ſupplicationis diei S. Marci? Certè ſodalitium illud, velut procedentis agminis Romani Cleri principem turmam, commemorat in

(6) *Sect.* 7. §. 3. citato (6) diario Paris Craſſi, & quidem non multò poſt Innocentii pontificatum. At robuſtius neſcio quid exſurgit e notatiuncula characterem omninò referente Canonici S. Mariæ trans Tyberim ſeculo XV. viventis, quam exhibent ultimæ paginæ ms. membranacei codicis, pſalterium, hymnarium, & martyrologium continentis, ac in archivo dictæ baſilicæ cuſtoditi. *Adverte* (ſic ibi) *quod in anno diſpari Canonici Sanctæ Mariæ Tranſtyberim in proceſſione S. Marci incedunt in manu ſiniſtra cum Canonicis Sancti Laurentii in Damaſo*: & *in anno pari* (a) *in manu dextera. Nam in anno* M. CCCC. LXXXVI. *Canonici S. Mariæ in manu dextera iverunt*. Res iſthæc tam ſeriò poſterorum memoriæ commendata: annus in teſtimonium adeo

(a) Intemeratè ſervatur mos iſte, quin etiam notatur aliquando ſpeciatim ab eruditis hiſtoricis &c. *Veniebat Clerus S. Mariæ in Tranſtyberim*, & *S. Laurentii in Damaſo ſimul: ſed Clerus S. Mariæ in Tranſtyberim ibat a dextris*, & *Sancti Laurentii a ſiniſtris* &c. inquit Turrigius in cit. ms. diario rerum Vatic. ad an. 1626. ubi de proceſſione Romani Cleri habita circa baſilicam S. Petri die ſollemnem præcedente ejuſdem dedicationem ab Urbano Papa VIII. conficiendam.

adeo expreſsè indicatus, non ſolùm fuiſſe compoſitam circa ea tempora proceſſionem S. Marci noviſſimi inſtituti, quod eſſet eamdem inſtitutionem regnantis tunc Innocentii VIII. temporibus aſſignare; verùm quoque ſignificat, talis inſtitutionis epocham affigi debere ad annum ejuſdem ſecundum, quem planè recidere in annum Chriſti quadringenteſimum octogeſimum ſextum ſupra milleſimum, temporum ſupputatio docet.

IV. Quiſquis fuit, juſtè omnia, & prudenter ſtabilivit.

Sive tamen fuerit octavus Innocentius, aut alius (non dubiè eidem valdè proximus) Pontifex, qui partem hanc Romanæ eccleſiaſticæ diſciplinæ reformavit, ſeu novos induxit, vel confirmavit Ritus noſtri mores authoritate ſua, ille ad juſtitiæ, æquitatiſque menſuram, ad prudentiæ leges, quæ multoties religioſis uſibus Eccleſiæ compellit inſerere placita recentiorum, novaſque ſequi, adoptarique in his ſententias, ubi redintegratio vetuſtiorum abſque perturbatione, ac laboribus fieri nequeat: breviter; ſapienter diſpoſuit omnia. Quod, propoſito (ut ita loquar) rationali ſelectarum aliquot jam (7) relatarum diverſitatum, comprobatur facillimè.

(7) *Sect.* 8. *a* §. 10. *ad ult.*

V. Probatur exemplo noviſſimæ ideæ *presbyterii* Papæ tradendi.

Sanè vidimus, ultimæ ætatis eſſe, tradi Papæ *presbyterium* ſub idea munuſculi gratulationem exprimentis, & obſequium. Ea animos occupante ſententia, nonne ſapienter inſtitutum, ſi nunc apud quamlibet eccleſiam pompa maxima celebranti Pontifici *presbyterium* offeratur? Decet ſiquidem non Vaticanæ tantùm, ſed omnium eccleſiarum Clericos erga ſupremum Antiſtitem eſſe obſequentes, gratulanteſque.

VI. Et diſpenſatorũ *presbyterii* Clericis debiti.

Ante pontificatum Sixti IV. ne ex hominum memoria decideret, ſalarium, ſeu *presbyterium* diei S. Marci a Petro, & Apoſtolica Sede profluere, optimè ſtabilitum erat, dandum illud cum interventu alicujus *familiaris* ſummi Pontificis. Sed, poſtquam Sixtus ſingulos Vaticanæ baſilicæ Canonicos tales eſſe indulſit, necnon *continuos commenſales, & Sedis Apoſtolicæ Notarios, ac etiam Cappellanos* (quemadmodum tradit, quæ impreſſa circumfertur, epitome Vaticanarum conſtitutionum num. 5. & 6. pag. 7. §. 7.) inutilis viſus eſt ejuſmodi interventus. Hinc ſapienter inductum, confirmatumve, ut a Canonicis S. Petri ſolis ſalarium hocce præſtaretur, iique idcircò ante reliquum accederent Clerum ad baſilicam.

VII. Et uſus excludendi nunc ab hujus participatione Clericomonachos, & Monachos.

Sapienter itidem amoti ſunt a participatione *presbyterii* Cle-

Clerico-monachi, & Monachi vel Patriarchalium eccleſiarum. Olim (ætate ſaltem Cencii Camerarii, quod contextus ipſe deſcripti (8) ejuſdem catalogi demonſtrat) dabatur *presbyterium* ſingulis Collegiis, Clericiſque, tamquam partibus Romanum Clerum componentibus. Quæ rerum idea, quum neutiquam in Mendicantes, ſimileſque viros religioſos quadraret, veluti qui in publicis ſupplicationibus peculiares Ordinum ſuorum acies referrent, forſan effecerat, ut illi non acciperent *presbyteria*, ſed ſubjectionem ſuam erga S. Petrum probarent per ſolum acceſſum ad baſilicam, quod pulchrè teſtantur productæ (9) literæ Alexandri IV. Compoſitum autem quondam Clerum Urbis etiam per Clericorum regularium, ac Monachorum præcipua collegia, certum eſt, paſſim hoc inſinuantibus Romanis monumentis, maximè geſtorum pro electionibus Pſeudo-Pontificum Victoris III. & Anacleti II., ad quas confirmandas (ſicuti perſpicuum fit lectione capitis 67. lib. 2. hiſtoriæ Radevici, & epiſtolæ Lothario Regis Romanorum præſcriptæ, decimæ inter epiſtolas Anacleti vulgatas ad fidem codicis Caſſinenſis a doctiſſimo Chriſtiano Lupo) quum deficerent principis Ordinis, ideſt, Cardinalium ſuffragia, nedum Clerici ſeculares, ſeu Canonici eccleſiarum Urbis, & Rectores parochiarum, convocati ſunt Abbates, & collegia præcipuis cœnobiis addicta, tamquam ea, quæ procul dubio partem aliquam efficere crederentur Romani Cleri, & miniſtrorum eccleſiarum ſecundi Ordinis. Quocirca non immeritò Monachorum, & regularium Canonicorum manipuli Vaticanum *presbyterium* participabant. Agendum verò aliud, quum & illi, ceterorum inſtar Religioſorum, in Ordinum corpora, ſive Congregationes redacti forent, ac, depoſita collegiorum eccleſiis aliquot famulantium, ſeu partium Romani Cleri ſpecie, publicis intereſſent conventibus. Quæ erat rerum facies (uti oſtendam in Opere de Hierarchia &c.) dum occideret ſeculum decimum quintum.

(8) Par. 1. ſect. 10. §. 4. & 5.

(9) *Sect.* 5. §. 2. &c.

VIII.
Quàm ſapienter inſtituta ratio, qua incedit Romanus Clerus, excipiturque a Clero Vaticano.

Sapienter pariter coactæ ſub unico Crucis ſigno cum animarum Rectoribus plurium eccleſiarum collegiatarum clericales turmæ, Titulorum etiam, ac Diaconiarum: ſapienter non occurſum Clero per Capitulum Vaticanum extra eccleſiam, ſtandoque juxta laudatam a Ceremoniali praxin, ſed conſidendo intra fores: ſapienter honor ſalutationis ab eodem Capitulo non æquè in omnes accedentes effuſus. Decuit namque

que veterem minui ſignorum multitudinem, contrahique aciem, ex quo pleriſque eccleſiis militantium numerus rareſcere notabiliter cœpit tum ob diminutam Sacerdotiorum copiam, tum ob ſuppreſſas, aut aliis uſibus addictas cappellas plures, quarum Presbyteri procedere ſolerent ſub matricium crucibus, tum ob abolitam fermè apud omnes Urbis eccleſias haſce matres ejuſmodi conſuetudinem. Quibus certè malis premebatur ætas Avenionenſes calamitates conſequuta, ſicut pandetur cit. Opere. Decuit aliter a Vaticanis miniſtris occurri, quàm per Ceremoniale poſtmodum inſinuatum eſt. Meminerimus, non præveniri generalem Cleri ſupplicationem a Capitulo S. Petri, adeoque occurri, ex conſuetudine primigenia, * debitoque urbanitatis; ſed quòd demandata ſit ſibi Apoſtolicæ Sedis, imò ipſius Petri nomine *presbyterii*, ideſt, nobiliſſimæ (origine ac ſignificatione ſpectatis) præſtationis diſpenſatio. Anne tanta perſona, quam ſuſtinent, res tanta, tamque magnifica, abſque majeſtatis ſpecie, gravique ſupercilio tranſigenda? Decuit non una omnes honorari menſura obſequii. Num honor idem exhibendus Clericis, qui indonati recederent, & Clericis, quos Petrus honore *presbyterii* muneraret? Idem, qui ponderoſius ſalarium, ac qui levioris ponderis acciperent? Profectò quiſquis contulerit cum nota *presbyteriorum* œconomiam ſalutationum, dubitare vix poterit, quin ab egregio Ritus reformatore Pontifice fuerit compoſita ſalutatio ad menſuram quantitatis cujuſque *presbyterii*, ubi tamen eadem quiret abſque nimia perturbatione, confuſioneque compleri. Quibus quum laboraret incommodis, quæ ſervanda foret circa proce-

---

* Ut viſum Parte 1. ſect. 9. §. 3. & 8. tenèbatur etiam Clerus S. Petri procedere cum reliquo Urbis die S. Marci, nec ille, aut aliarum quarumcumque eccleſiarum Clerus nunc diverſè agit, quoties generalis aliqua intimetur ſupplicatio ad propria dirigenda. Abundant exempla; ſed recentiora, & extraordinaria memoremus. In proceſſione (de qua in notula * ſuppoſita §. 3. ſectionis 7.) Capitulum S. Mariæ majoris ſuo proceſſit loco ab eccleſia S. Mariæ ſupra Minervam ad propriam: quod factum etiam mane Dominicæ diei 18. Maii an. 1738. quum & illinc proceſſum ad eamdem exquilinam baſilicam, poſcente Clero, & populo auxilium ex alto adversùs Othomannicos conatus. Capitulum S. Petri convenit ad eccleſiam S. Mariæ de Vallicella horis pomeridianis Dominicæ itidem diei 3. Maii an. 1739. progreſſurum ad baſilicam cum totò Clero, imò univerſa Curia, niſi pluvia ſacram præpediſſet actionem, quæ pro impetranda iterum divina ope adversùs Turcas indicta fuerat. Ea quidem praxis viget, ut collegium cujuſque eccleſiæ talibus decorandæ obſequiis ſiſtat; quum pervenerit intra fores ejuſdem, excipiatque urbaniter reliqua poſt ſe proceſſura.

cedentes ſub cruce Cleri, haud mirandum, ſi ritu pari, & Parochi unum, & Canonici tres, vel quinque, eoſque ſequutus Camerarius decem obolos percipientes, cœperint ſalutari. Quod curſim erat obſervandum.

IX.

Tum, quæ aſſignata eſt Camerario, *presbyterii* portio.

At ipſa portionum *presbyterii* menſura ſapientiam potiſſimè publicat reformatoris. Debebatur modò laudato Camerario ex gravioribus una portio. Quidni enim? quum ille Clericos omnes ſplendore dignitatis ſaltem exæquet; quum ea die pro officio quodammodo imperitet illuſtriorum etiam eccleſiarum collegiis. Memora, & expende de ejus munere ſuperiùs (10) dicta.

(10) *Sect.* 7. §§. 3. 7. 9.

X.

Vetus œconomia *presbyterii* eccleſiis traditi congruebat veteri earumdem ideæ, quæ explicatur.

Quoad ceteros Clericos, ſeu potiùs eccleſias, quarum nomine *presbyterium* ſumebant, variandum omnino ab antiquiori ſtylo, quæque obſervatur adhuc, ſimiliſve, inſtituenda fuit pro illis menſura præſtationis. Porrò, qualem expoſuimus Parte prima (11), requirebant anterioribus ſeculis graviſſima rerum momenta. Præcipuè tunc notum omnibus, quantum ſupra reliquas eccleſias eminere Vaticana videretur propter tumulum Petri, evidentemque cauſſam diſtribuendi *presbyterium* die 25. Aprilis, de quibus ante (12) latiſſimè.

(11) *Sect.* 10. §. 5.

(12) *Sect.* 3. 4. & 5.

XI.

Sequitur idem argumentum.

Obverſabatur Romanorum animis primigenia ſacrarum ſuarum ædium repræſentatio. Scilicet (ita inſtituentibus ſummis Pontificibus, ſicque præbere volentibus chriſtianæ plebi novum ac juge ſpectaculum, illiciumque catholicæ unitatis) Romanum, baſilica Salvatoris: alios quatuor Patriarchatus, aliæ Patriarchales propriè (*b*) dictæ: Exarchatus Primatuſve, Tituli: Archiepiſcopatus, Diaconiæ: Epiſcopatus minoreſque Orbis eccleſias, illis omnibus inferiores ſacræ ædes ad modulum dignitatis cujuſque repræſentabant; quod nos perſuadere conabimur in Opere de Hierarchia &c. ſyſtema com-

(*b*) Propriè, ajebam; nolim enim, has confundi cum eccleſiis, ſive inſignioribus Urbis cappellis, ideſt, Patriarchali nulli, aut Titulo, aut Diaconiæ ſubjectis, quas, quia *ſine titulo*, & *Papæ propriæ*, ac *omnium* reputatæ erant (velut S. Mariæ ad martyres, S. Crucis in Hieruſalem, S. Agnetis via Nomentana &c.) *Patriarchales* vocat Mabillonius cap. 3. commentar. ad Ordd. Rom. pag. 11. aut cum ſingulis de ſeptem peregrinorum veneratione peculiariùs cultis, quas *Patriarchales Urbis eccleſias* indiſcriminatim appellari video a Theodorico Ruinarto in collect. actorum MM. adnotatione 3. in paſſionem S. Laurentii &c. Breviter, certò Patriarchales ſunt, quæ duobus verſiculis expreſſæ offeruntur a Johanne Monacho ſub cap. *Fundamenta* de elect. in ſexto:

Paullus, Virgo, Petrus, Laurenſis, atque Johannes,
Hi Patriarchatus nomen in Urbe tenent.

complectentes explicanteſque uberiùs doctiſſimi Franciſci Blanchini, cujus interea notationes ad vitas Cleti, Dionyſii, & Damaſi (ſect. 3. 26. & 53. to. 2. collect. Anaſtaſ. a pag. 37. ad 40. & pag. 231. ad 235. ac to. 3. pag. 37. & ſeqq.) conſuli poſſunt.

XII. Et illud proſequitur.

Hærebat itidem animis, quàm bellè Vaticani templi prænotatæ ſingulari ex cineribus B. Petri progenitæ excellentiæ reſponderent alia ejuſdem privilegia decoraque ſingularia: quàm cum illo baſilica Lateranenſis Patriarchalibus reliquis (nedum Titulis, ac Diaconiis) præſtaret in pleriſque: quàm æqualia inter ſe miniſteria Titulorum, potioraque miniſteriis Diaconiarum: quàm harumce miniſteria inter ſe uniformia: quàm denique ignobilior Diaconiarum, Titulorum, & Patriarchalium deſtinatione ceterarum eccleſiarum deſtinatio. Equidem (ut multò plura dicturus in præfato Opere paucula dicam de ſingulis hiſce capitibus, atque a poſtremo exordiar) ferè omnes, quæ a Clericis regebantur eccleſiæ, nec denominatione ornabantur Patriarchalis, aut Tituli, vel Diaconiæ, miniſteriis illarum minoribus exequendis inſtitutæ erant; unde nuncupatio iiſdem *cappellarum* frequentior, & ſubditarum conditio (c). Vetus Diaconiarum inſtitutum, miniſtros alere egeſtatibus pauperum infirmorumque conſulentes, minoribus Clericis præfectos de MM. actis, aliiſque Ec-

(c) Romæ antiquiori ætate plures ædificatæ erant eccleſiæ intra diœceſes Titulorum, habebantque domunculas annexas cum deputatis ibi per Cardinales, alioſque cujuſque Tituli principes miniſtros, Sacerdotibus, qui communicata ſibi ab iis poteſtate, præſcripta certa lege ſubjectionis, aſſignatiſque redditibus ſeu oblationibus, chriſtianæ plebis addictam Titulis curam exercerent. Ejuſmodi ergo eccleſiæ (quarum uſum ordinemque non obſervaſſe videtur Ciampinus Turrigium erroris inſimulans pag. 176. num. 28. tractatus de dignit. Vicecancellarii &c.) quaſi unum idemque corpus (quale recentes *cappellæ* ſub eorum tectis erectæ) componerent, Patres noſtri *cappellas* appellarunt, uti etiam *Cappellanos*, ſive (quod ſuadent laciniæ literarum Honorii III. dandarum in calce Operis num. XV.) *presbyteros cappellarum* deputatos illos Sacerdotes. Apud Baronium to. 12. annal. celebris extat epiſtola Alexandri III. directa VII. *Cardinalibus S. Petri*, aliiſque omnibus, cauſſa præfixa, *ut cappellæ ſuis ſint ſubditæ Titulis*. Lego in Ceremoniali R.E. lib. 1. cap. 7. ubi de formula (utique perantiqua) dandi Titulos, & annulos. *Accipiens* (Papa) *annulum pretioſum ... immittet in digito annulari dextræ manus Cardinalis dans ei annulum, & Titulum dicens: Ad honorem Dei omnipot. SS. Apoſtolor. Petri, & Pauli, & Sancti N. committimus tibi eccleſiam Sancti N. cum Clero, & populo, & cappellis ſuis* &c. *In Diaconiis autem idem ſervatur, niſi quod non dicit Tituli, nec adduntur cappellæ*. Quæ duo loca non parum lucis afferunt præſtructis. Plura alibi.

Eccleſiæ tabulis curam principem obtinentibus, Epiſcopis, ac presbyteris Titularibus per ſacra regionatim explenda coadjuvantes: Titulorum verò, præſidere notabili Romanæ civitatis portioni, baptiſma, pœnitentiam, ceteraque religionis catholicæ ſacramenta (præter ordinationem &c.) fidelibus ſubditis diſpenſare, iiſque parare extrema obſequia, tumulumque. Ex Diaconiis nulla major altera reputabatur. Par opinio Titulorum. Prior hinc Diaconorum, prior Titularium, qui ordinationis antiquitate præcelleret. Hinc, quam quiſque primò Tituli, vel Diaconiæ poſſeſſionem cœperat, dimittebat numquam, niſi fortè ad altiora elevandus. Quæ omnia diviſim pandunt liber Pontificalis, vetuſtiores Ordines Romani, hiſtorici plerique antiqui cum recentioribus aliquot, maximè Panvinio in opuſculis de Epiſcopat. Tit.. & Diacon. de vocibus eccleſiaſticis &c. annotatoribus ad librum præfatum pontificalem, V. Cl. Nicolao Comite Antonello in diſſert. de Titulis &c. Lateranenſis, & Vaticana baſilica cunctis præſtabant eccleſiis non una ſaltem honorifica denominatione, non una prærogativa. Utraque *ſedes propria*, *&* *prima* Romani Pontificis, necnon *mater*, *magiſtra*, *caput*, *&* *domina eccleſiarum* &c. appellabatur. Servat adhuc ferme omnes hoſce ſimileſve titulos Lateranenſis eccleſia, qui cautiùs (*d*) nunc pro Vaticana jactari ſolent, attento diplomate S. Pii V. incipiente: *Infirma ævi conditio* &c. & confirmante literas Gregorii XI. primatum Lateranenſi adjudicantes. Ceterùm, quod iis quondam donaretur etiam Vaticana, docent verſiculi:

Summa Petri ſedes, hæc eſt ſacra Principis ædes,
Mater cunctarum, & decor, & decus eccleſiarum:

quos refert p.36. cit.lib. de vii. Urbis eccl. Onuphrius: docent locus ceremonialis R. E. lib. 1. cap. 1. & quæ notavimus (13) Johannis XX. Nicolai V. &c. teſtimonia. Utrique *cathedralis* inerat & nomen, & prærogativa, teſtibus literis (*e*) Innocentii III. miſſis Archipresbytero, & Clericis plebis Aretinæ, inter alia præſcribentibus, ut feſtum unius ex duabus cathedra-

(13) Prol. ſect. 1. §. 12. & hic ſect. 5. §. 5.

(*d*) Hac ſe lege minimè obſtrictum ſenſiſſe videtur Cl. Archiep. Ancyranus, dum cap. 27. commentarii de S. Columba pag. 102. ſcribit. *In fronte alla prima chieſa del Mondo ſi leggono queſte parole*: In honorem SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli &c.

(*e*) Verba literarum. *Nos in ſimilibus id ſervamus feſtum Apoſtolorum Principis apud ejus baſilicam, & feſtum B. Johannis apud Lateranenſem eccleſiam celebrantes, licèt utraque ſit cathedralis.*

dralibus apud eam celebraretur, cujus proprior eſſet, quas evulgavit poſt Philippum Cappellum pag. 42. & ſeqq. libelli de collegiata S. Anaſtaſiæ Creſcimbenius cap. 7. hiſtoriæ ejuſdem pag. 46. Ad utramque propterea dirigebantur quotquot juris Cathedralium eſſent (quod Veggius ſupra citatus (14) (14) Sect. 4. §. 4.
monebat) primariæ ſupplicationes; nempe litaniæ majoris, & rogationum (*f*) princeps. De priori accedente ad S. Petrum uſque huc, & fortaſſe nimiùm. De altera ad Lateranum procedente præclarus legitur locus (*g*) num. 386. libri pontificalis in Leone III. Apud utramque celebratam reperio per ſupremos Antiſtites proceſſionem SS. Corporis Chriſti nunc celebrari ſolitam unicè apud Vaticanam. Exemplum pro Lateranenſi ſuppeditat * * itinerarium Gregorii XI. ſcriptum a Petro Amelio, impreſſum verò libro 6. de Epiſcopis Urbis Papirii Maſſoni. Apud utramque occaſione electionis Romani Pontificis nonnulla peragebantur, quæ Cathedralium Urbis honorem referunt. Conſecratio, potiorque (parcant verbulo grammatici) inſtallatio, ſeu ἐνθρονισμος, fiebat plerumque ad S. Petrum, Lateranis reliquum actionis, de quibus (adhuc ceterò obſervari conſuetis) ſequenti Parte. Apud utramque epiſcopales functiones ſanctioris hebdomadis, puta, ſacrorum oleorum confectio, ſollemne baptiſma &c. pompa maxima complebantur, ſicuti paſſim demonſtrant pro Lateranenſi Ordines Romani, & pro Vaticana quicquid jamdudum (15) protulimus. Utriuſque Canonicis tributus honor (15) Par. I. ſect. 7. §. 1. & ſeqq.
excipiendi in fratres Auguſtos recèns a Pontificibus coronatos,

 tos,

(*f*) Supplicationis hujuſce prærogativam illuſtrant tradita in allegatis literis ab Innocentio III. Quum *Litaniæ* (ſic ibi) *primo, & tertio die ante feſtum Aſcenſionis Dominicæ apud eccleſiam veſtram, ſecundo verò apud eccleſiam S. Petri* (civitatis Aretinæ) *conſueverint terminari: Nos volentes eccleſiæ cathedrali deferre, ordinem decernimus immutandum; ut videlicet primo die apud eccleſiam* (cathedralem) *S. Petri, ſequentibus verò apud eccleſiam veſtram litaniæ proceſſio finiatur. Sicut & apud nos primo die celebratur proceſſio apud eccleſiam primitivam* (ideſt, Lateranenſem juxta locum mox afferendum libri pontificalis) *deceatque, ut Aretina eccleſia Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem imitetur, & ejus ſequatur exempla, cui nullo ſubjacet mediante* &c.

(g) *Conſtituit* (hæc liber) *ipſe Pontifex, ut ante tres dies Aſcenſionis Dominicæ litaniæ celebrarentur: ſcilicet, feria II. egrediente Pontifice cum omni Clero.... ab eccleſia Dei Genitricis ad præſepe, pergendo ad eccleſiam Salvatoris, quæ appellatur Conſtantiniana &c.*

* * Excerptum rem hanc enarrans videri poterit pag. 23. ſupplementi diſſertationi de ritu oſtenſionis ſacrar. reliquiar. annexi diſceptationi noſtræ de ritu variandi chorale indumentum &c. edit. an. 1732. typis Bernabò.

tos, quod eximium (*b*) inſtitutum, obſtringendis arctiùs Principibus ad defenſionem Cathedræ Apoſtolicæ aptiſſimum, notant Ceremonialia, & eccleſiaſticæ hiſtoriæ. Communia hæc; interim tamen decus prædicabatur & privilegium ſingulare baſilicæ S. Petri, quod ſollemnis anno ſeculari permiſſa pœnitentiarum relaxatio unicè per viſitationem ejuſdem, ac baſilicæ coapoſtoli Paulli, perficeretur, ut advertit cit. hiſtoria memorabilium rerum Vaticanar. num. 87. Veggius, & narrat in opuſculo de anno Jubilei Jacobus Card. Cajetanus: atque etiam illud, quod primi omnium meruiſſent Canonici Vaticani inter Clericos Urbis a palatinis diſtinctos habitum obtinere ſimilem prorſus *** deterri tunc ſolito a Prælatis, de quo Turrigius, Bonannus, aliique: necnon illud, quod eorum ſinguli annumerati ſint *familiaribus* Papæ, ac Sedis Apoſtolicæ *Notariis*, quemadmodum relatum (16) ſupra.

(16) §. 6.

XIII. Ideã eccleſiar. Urbis valde diverſam fuiſſe ab antiqua, ſeculo xv. cadente.

Quàm verò diverſus rerum aſpectus Innocentio VIII. Eccleſiam gubernante, ſeu ſedatis, quas meminimus raptim, diutinis, & moleſtiſſimis Romæ tempeſtatibus! Tunc (& quis contrarium probare auſerit?) procul aberat a communi Romanorum recordatione, aut ſaltem denſa obducebatur caligine, quantum (Petri reliquiis attentis) ſuperexcelleret Vaticana ceteras vel Patriarchales eccleſias. Tunc nonniſi doctioribus paucis cognita vetus repræſentatio diœceſeon Orbis chriſtiani. Tunc perturbata, mixta, obſcurataque viſa ferè cuncta, denominationes, miniſteria, honores, privilegia ſa-

(*b*) Morem adſcribendi Canonicis inſignium eccleſiarum magnos Principes luculentis probat exemplis, e Gallia potiſſimùm petitis, Altaſerra in cit. opere de Comitib. & Ducib. cap. 12. pag. 60. & ſeqq. Aliàs memorabile illud, quod evenit Bononiæ in poſtrema coronatione Caroli V. Ne omitteretur ritus cooptationis Imperatoris in Canonicum Lateranenſem, & Vaticanum juxta antiquam conſuetudinem, ad eam civitatem acciti ſunt nonnulli ex utriuſque eccleſiæ Canonicis cum Vicariis, atque inſuper duæ Bononienſes ſacræ ædes ad repræſentandum Romanas illas nobiliſſimas delectæ. Percurre opus Marci del Guazzo ad locum allegatum §. 6. præcedentis ſectionis, necnon ibi quoque citatos Rainaldi annales ad annum 1530. num. 17. & 45.

*** Prorſus, addidi, quia forſan habitus, qui tunc a Vaticanis Canonicis ferebatur, forma in variis antea cum conceſſo conveniebat. Vide cit. noſtram diſceptationem de ritu variandi chorale indumentum paſchali tempore &c. pag. 69. num. 70. & ſeqq. Ceterùm conceſſus habitus, qualis revera fuerit, jam poteris, Lector, commodè expendere, ad calcem Operis n. XVI. lecto Indulti tenore non ante annum 1738. mihi communicato.

ſacrarum ædium. Nimirùm, *cathedralis* (*i*) illuſtre nomen permiſſum fuerat etiam Liberianæ Patriarchali; imò forſan cœptum leniter inſuſurrari, quod clariùs proclamatum eſt, propagatumque temporibus noſtris, *eccleſiam Urbis cathedralem* (verba ſunt Cardinalis de Luca diſc. 5. *de præbemin.* n.11. pag. 33.) *conſtitui ab omnibus baſilicis Patriarchalibus, ita ſimul concurrentibus ad unam eccleſiam formalem conſtituendam*: affixa dictæ Liberianæ baſilicæ prima ſupplicatio rogationum, quæ ſecundùm narrata Lateranenſem petebat: ambabus honor, quem proprium maximè prænunciavimus eccleſiæ Vaticanæ, ut viſitari deberent anno Jubilæi, attributus a Clemente VI. & paris numeri Urbano, ſicuti Apoſtolicæ literæ produnt apud annales Raynaldi, & narrant Raſponus cit. hiſt. Patriarch. Lateran. lib. 2. cap. 7. pag. 129. & ſeqq. ac Petrus Amelius num. 140. Ord. 15. Mabilloniani pag. 525. to. 2. muſei Italici: ambarum Canonicis communicatum privilegium habitus, & fortaſſe (*k*) indultum Apoſtolici Notariatus: abolita pleraque ex priſcis miniſteriis, inſtitutiſque Diaconiarum: communia earum aliquibus effecta primaria Titulorum officia ac decora: æquata vel in minimis Diaconorum, & Presbyterorum Cardinalium dignitas honorque, dum interim alius alio Titulo illuſtrior haberi cœptus, uti etiam alia illuſtrior alia Diaconia; ex quo praxis nata (juxta Panvinium pag. 70. cit. libelli de Epiſcopat. Tit. & Diacon.) ſub Bonifacio IX. & Alexandro V. ut Cardinalium quilibet non ampliùs uno Titulo, unave Diaconia perpetuò inſiſteret; ſed, quam illuſtriorem

(*i*) Pius IV. non ſimpliciter *cathedralibus* accenſendam ſolùm hanc baſilicam, ſed *cathedralibus inſignibus* inſinuat in diplomate, quo ad preces S. Caroli Borromæi Archipresbyteri nepotis ſui erexit apud eamdem collegium Beneficiatorum. Lege illud pag. 50. hiſt. Paulli de Angelis lib. 4. cap. 2. Quare *inſignis* titulum adjecerit Pius, exponet opus de Hierarchia &c.

(*k*) Trepidè loquor, quia quantalibet adhibita diligentia ſcire nondum plenè potui, reputenturne, ſeu prædicentur Apoſtolici Notarii Canonici baſilicarum S.Johannis, & S.M. majoris ex privata interpretatione ſubinvectæ Capitulorum Patriarchalium paritatis, an ex legitima, ſcriptoque conſignata communicatione hujuſce Vaticani privilegii. Audivi quidem tradentes, hanc prærogativam (qualiſcumque ſit ejus famæ origo) illinc noſci, & confirmari; quod collatio Canonicatuum ſingularum ex tribus Patriarchalibus eccleſiis ſpectet ad Sedem Apoſtolicam. Sed næ illi ridendi, qui ignorant, collationem ejuſmodi ſibi reſervatam ſpeciatim a Romanis Pontiff. per ſeptimam regulam Cancellariæ. Cur autem id factum, obſcurum adeo eſt, ut mirè in hoc cæſpitent diſſentiantque clariſſimi Icti. Vide commentarios Quintiliani Mandoſii, & Joh. Chokierii ad regulas Cancellariæ, opus Melchioris Lotterii de re benef. lib. 2. quæſt. 33. n. 16. & ſeqq. &c.

rem crederet eccleſiam, dimiſſa (ſi liberet) prima, loco facto, conſcenderet. Demum obliteratum in ore vulgi nomen *cappellarum* pro minoribus eccleſiis, quarum etiam nonnullæ a majorum ſubjectione divulſæ, ornatæque aliquando variis earumdem decoribus ac prærogativis, quod præcipuè ab exemplo eccleſiæ SS. Celſi & Juliani, aliarumque, probabo in opere de Hierarchia &c.

XIV. Hinc novæ œconomiæ neceſſitas, cujus quæ fuerit regula, declaratur.

Tu hic Pontificem cogita inſtaurare, ſeu potiùs reformare volentem conſuetudines diſpenſandi *presbyterium* Vaticanum. Num prudens, num liberum illi ſollicitare denuo antiquitatem in tanta idearum morumque novatione? A nullo certè Sapientum affirmatum hoc iri credam umquam. Quid verò agendum? Quod actum fuiſſe monet ipſa novi inſtituti œconomia. Confugiendum nempe ad regulam, qua metiri cœpit ſequioribus annis Doctorum (l) grex (nedum vulgus mortalium) merita dignitateſque perſonarum locorumque; videlicet, penſanda erant tum cujuſque eccleſiæ celebritas, tum extima animis oculiſque percellendis idonea ornamenta Clericorum.

XV. Ex *presbyterio* Patriarchalibus, & duobus præcipuis Titulis conceſſo oſtenditur, ad eam regulā rem compoſitā fuiſſe.

Et verè ad eam regulam exactum fuiſſe ab Innocentio novum inſtitutum nullatenus dubitare poſſum, dum reminiſcor, meditorque menſuram *presbyterii* attributi Clericis Patriarchalium, & Titulorum S. Mariæ transTyberim, ac S. Laurentii in Damaſo, ut nihil dicam de aliorum fortuna iſthinc non incommodè æſtimanda. Æquale datum eſt Clericis Lateranenſibus, Vaticanis, & Liberianis, ſimulque gravius conceſſo reliquis. Cur hoc? Nonne, quia Patriarchales eccleſiæ, quum nova partitio confirmata, vel inſtituta eſt, in pleriſque (nec iis utique levis momenti) æquales apparebant, ac celebrabantur? Nonne, quia earum Canonicos amplioribus dignos honoribus efficiebat *majoritas ornatus*, ſive illuſtrioris habitus privilegium? Æquali donati ſunt largitione Clerici laudatis Titulis famulantes, eademque pretioſiore aliarum quarumcumque eccleſiarum *presbyterio*. Unde hæc proportio, unde hæc diverſitas? Annon, quia par erat horum-

(l) *Nota, quod ex majoritate ornatus, quo quis poteſt uti, colligitur majoritas dignitatis, & ſic habes unum modum cognoſcendi dignitatem Prælatorum*, olim ajebat celebris canonum interpres Dominicus a S. Geminiano in II. Partem ſexti decretal. cap. *ut apoſtolica* pag. 291. col. 1. num. 2. *Majoritas habitus* (inquit non ignobilis inter noviſſimos canoniſtas Franciſcus Pitonius diſceptationum Parte II. diſcept. 39. num. 3. pag. 40.) *majoritatem perſonæ deſignat*.

rumce Titulorum celebritas, eaque præſtabilior ceterarum eccleſiarum fama? Circa præconceptam æqualitatem Patriarchalium, Clerique illarum extimum ornamentum videſis, quæ collegimus pauca ſuperiori proximo paragrapho alibi plura collecturi. Ad Titulos quod attinet, decorum amplitudo, quibus uterque clarus prædicabatur, facilè aſſertam famæ conformitatem, diſformitatemque pepererant. Quàm ampla forent decora Damaſiani, declarabit in hiſtoria, cui contexendæ incumbit veſtigia calcans (*m*) doctiſſimorum graviſſimorumque literatorum, Illuſtriſs. Antonius (*n*) Fonſeca, nuper ex Canonico dictæ baſilicæ S. Laurentii Æſinæ Civitatis Epiſcopus renunciatus. Commemorabo unicè, fuiſſe nullam Urbis baſilicam, etiam Patriarchalem, quæ velut mater tam multis præſideret eccleſiis. Harum nomina, & multitudinem referant (apud Ciampini enarrationem de juriſdictione Vicecancellarii &c. ſuppoſitam calci tractatus de ejuſdem nobiliſſimi R.E.miniſtri dignitate &c. pag.143.) literæ Urbani III. (*o*) tantam juriſdictionem anno 1186. confirmantes, pro qua deinde ſervanda emanavit epiſtola Honorii II. videnda lib. 1. decretal. cap. 11. *His quæ* tit. 33. *de majorit. & obed.* Decora Tituli S. Mariæ transTyberim quam præclara! quàm non communia, ſi conſiderentur collectim! Quæ enim alia eccleſia tam remotam originem, aut tam ſingularem natalis ſui cauſſam oſtentare valeret? Eratne ulla graviori, nobiliorique pompa conſecrata, aut reſtaurata notabilioribus auſpiciis? Eratne, quæ rerum ſacrarum copia, conditione Cleri, Tituli dignitate, latitudine juriſdictionis, magnificentia loci cum baſilica Tranſtyberina æquo jure contenderet? Si me, & quidem cœcis non abreptum præjudiciis, audias, nulla. Verùm hæc manifeſta erunt lectione ſæpè promiſſæ hiſtoriæ.

XVI. *Et quidem præ. vio examine.*

Nec putandum cujuſque eccleſiæ celebritatem dignitatemque Clericorum perfunctoriè oſcitanterquè fuiſſe perpen-

(*m*) Clemens PP.XI. quum baſilicæ S. Laurentii Canonicis adſcriberetur, ad ejuſdem concinnandam hiſtoriam manus admoverat, quod ſe non ſemel excepiſſe ab ore tanti Pontificis, atteſtatus eſt mihi Æſinus Epiſcopus. Illud ipſum opus attrectaverat Ciampinus, ſicut refert Vincentius Leonius in ejus vita pag. 252. volum. 2. vitar. Arcadum illuſtrium Creſcimbenii.

(*n*) De hac eruditi Epiſcopi lucubratione mentio fit in notis Fran. Blanchini ad vitam *Damaſi* tom. 3. Anaſtaſii Vatic. ſect. 54. pag. 34. col. 1.

(*o*) Fatetur Urbanus in ipſo literarum procemio adſcriptum ſe fuiſſe Canonicis Tituli S. Laurentii. Hinc ejus ſollicitudo, & cura &c.

Digitized by Google

penſam . Traditum a Majoribus eſt , novam Romano Clero publicis actionibus (adeoque maximè litaniis majoribus , & perceptioni *presbyterii*) conventuro præſcriptam methodum , nonniſi poſt cribrata legitimo gravique judicio eccleſiarum , earumque miniſtrorum jura , firmitatem accepiſſe . Teſtis Theodorus Amydenius , qui , dum actum pro ſtabilienda novæ methodi particula paucis innuit , monet ſatis , quid pro ceteris firmandis actum ſit . Sanè ex dictis ſtatim aſſequimur , uſum baſilicarum S.Mariæ transTyberim, & S. Laurentii præcedendi ſe invicem eſſe novæ methodi particulam . Hunc verò uſum poſt examen jurium inſtitutum ſic tradit Theodorus . *Inter has duas eccleſias vertebat differentia ſuper collegiorum præcedentia in actibus publicis ; & deciſum eſt , præcedentiam deberi alternatim modò uni , modò alteri collegio , quando ſimul in publicis ſupplicationibus conveniunt* . Vide libellum de pietate Romana par. 3. cap. 4. pag. 153.

Digitized by Google

PARS III.

Veſtigatur, & aperitur derivatio, fortuna, atque conditio Ritus diſtributionis presbyterii *a Romanis Pontificibus agi ſolitæ die poſſeſſionis Lateranenſis.*

SECTIO I.

§. I. Lateranenſis *presbyterii* notitiam ſine notitia pluriū aliarum publicarū veterum largitionum papaliū concipi non poſſe. De iis diſſerendum.

QUÆ ad Vaticanum *presbyterium* attinebant, expedivimus. Hactenus de largitionis ſpecie nomine *presbyterii* diſtincta, cujus nec dedignabantur quondam fieri participes Antiſtites ſummi, nec etiamnum dedignantur. Aliud nunc ſpectaculum. Largitiones prodeunt in ſcenam pari denominatione ornatæ; ſed quibus peculiare eſt, de papali liberalitate promanare. Illæ quidem (pleriſque ex cauſſis intervenientibus, quas præcedenti Parte (1) meminimus in exitium conſpiraſſe diſcuſſi ritus) ad ſolas diſpenſandas Lateranis per manum Pontificis modò rediguntur; propterea hic a nobis inſtituendam fore diſputationem de *presbyterio* Lateranenſi polliciti ſumus in Prologo (2). Ceterùm ſpatioſior panditur diſſerendi campus. Lateranenſis, ut nuncupatione, ſic origine, uſu, ac aliarum communicatione, & affinitate denominationum cum variis aliis pontificiæ liberalitatis actionibus tam ſæpè convenit, tam connexè in antiquis ſcriptionibus notatur, ut de omnibus, atque ſingularum earumdem uſque ad noviſſimos annos perducta fortuna diſſeruiſſe, pars veſtigationis, & explanationis ejus maxima cenſeri debeat. Quare ſit ſermo nunc de papalibus largitionibus, iiſque publicis, & quas commune nomen ſortitas, vel nexum cum Lateranenſi demonſtrabunt documenta nòn recentis ætatis. Abſiſtant reliquæ hinc ejuſmodi conditionibus vacuæ, qualis erat (niſi fallor) largitio, qua per Romanos Præſules honorabantur vetuſtiſſimis temporibus.

(1) *Sect.* 9. à §. 10. ad 16.

(2) *Sect.* 2. §. ult.

Digitized by Google

ribus Presbyteri ad Titulos Urbis ordinati. *Pontifex donat eis ſacerdotalia indumenta, & miniſteria miſſæ, aurum vel argentum, frumentum, & oleum*, inquit author Ordinis 9. *de grad. R. E.* inſcripti num 3. pag. 91. to. 2. cit. muſei Mabilloniani.

II. Quàm ampla fuerit olim papalis publica liberalitas. Teſtimonium ex vitis Gelaſii I. & Symmachi Pontificum.

Publica munificentia Romanorum Pontificum quanta fuerit per tempora conceſſæ Chriſtianiſmo libertati propinquiora, produnt hiſtoriæ, & rituales ſcriptiones. Teſtimonia ſi velis, non pauca offert liber pontificalis. Ea (quæ ſaltem in adverſariis meis congeſta inveni) proponam primò. De Gelaſio I. lego ibi num. 74. *Fuit amator Cleri, & pauperum, & Clerum ampliavit*. Quæ, meo judicio, ad indicandam ſummatim ejus liberalitatem ſcripta ſunt: maximè, quia τὸ *ampliavit* ſupplendum videtur per verba, *honoribus, & ordinibus*, de quibus 59. ſequentibus. Floruit Gelaſius, deficiente ſeculo quinto. Paullò poſt apicem tenuit Pontificatus Symmachus, de quo ſic habetur num. 81. *Hic captivos per Liguriam, & Mediolanum, & per diverſas provincias pecunia redemit, & dona multiplicavit* (hoc eſt, *in duplum* dedit, augumentavit, ampliavit* ſecundùm formulas aliorum textuum infra proferendorum) *& dimiſit*; ſeu *pro obſequiis ſuis* (ſecundùm eaſdem formulas) legavit.

III. Ac Vigilii, quod explicatur.

Biographus Vigilii num. 104. libri Pontificalis aït juxta codd. Regium, Mazarinianum, & Thuanum. *Anthemius ſcribo veniens Romam invenit eum* (Vigilium) *in eccleſia S. Cæciliæ* x. *kal. Decembris* (*erat enim dies natalis ejus*) *munera erogantem ad populum*. Quibus verbis apertiſſimè ſignatur liberalitas Papæ celebrantis ritu ſollemni diem natalis S. Virginis, & Martyris, verè incidentem in 22. Novembris, quod aliàs ſuper hoc loco ſiſtens obſervavit Ven. Card. Thomaſius in notatione ſuppoſita capitulari Evangeliorum edito ad calcem voluminis de antiquis libris miſſar. pag. 208. Propterea (ut

* Cenſet Franciſcus Maria Bencinus (uti fert ejus nota ad locum vitæ Johan. IV. *Hic dimiſit* &c. pag. 37. & ſeq. tom. 4. Anaſt. Vatic.) duplicatas a Pontificibus largitiones, quotieſcumque augeretur papalis patrimonii redditus, motus ex verbis conſtitutionis Felicis IV. quibus augendas eſſe ſanxit erogationes debitas Clero Ravennatenſi, redditibus auctis. Sed mihi valdè dubium, intelligine debeat Felicis decretum de certa portione, annuaque ſubſtentatione Cleri præfati potiùs, quàm de erogationibus ſimilibus iis, quæ memorantur frequenter apud Anaſtaſium. Confer hæc cum notandis §. 7. ſectionis ultimæ. Quo e fonte derivaret multiplicatio, ſeu duplicatio, & auxeſis donorum horumce, explicabitur ſeq. ſect.

Digitized by Google

(ut id obiter moneam) non audiendus Altaſerra pag. 55. notarum in Anaſtaſium ſcribens : *Hic locus intelligi poteſt de Eucbariſtia, quia Græci eam vocant τὸ δῶρον, τὰ δῶρα, vel τὰ ἅγια δῶρα*. Sed neque Vignolius aſſerens, ibi de natali agi ipſius Vigilii tom. 1. lib. pontificalis ſui pag. 216. num. 4. nota 6. Romanæ Eccleſiæ præſidebat Vigilius ſeculo VI.

IV. Teſtimonia ex vitis Adeodati, Bonifacii V. & Severiani, quæ itidem explicitur.

Seculo ſequenti regnavit Adeodatus, cujus publica largitas ita celebratur num. 117. cit. libri. *Hic dimiſit pro obſequia ſua* (ſeu *pro obſequiis ſuis* ſecundùm variantes codicum mss. lectiones) *& ad omnem Clerum rogam integram*. Succeſſoris ejus largitas ſic exprimitur num. 118. *Hic* (Bonifacius V.) *Clerum amavit, rogam integram Clero ſuo dedit . . . Dimiſit pro obſequiis ſuis rogam unam integram*. Nec tacetur Severiani liberalitas num. 123. *Hic dilexit Clerum, & omnibus donum augumentavit . . . Hic dimiſit omni Clero rogam integram*. Supple, *pro obſequiis ſuis*, ut habènt prædeſcripta loca ; ſcilicet, pro *ſerviciis*, ſeu *miniſteriis* vel præſtitis per decurſum vitæ a Clero, & familiaribus, vel præſtandis occaſione exequialis pompæ; non pro *familia*, quemadmodum interpretatus eſt Vignolius vocem, *obſequia*, in indice ad cit. tomum 1. libri pontific. quo legitur: OBSEQUIA, *familia Pontifici, vel Principi inſerviens* : quaſi vox illa fœminei generis ſit, & non potiùs per amanuenſium imperitiam irrepſerit in textum vitæ Adeodati. Quod eveniſſe, & alii ſuadent loci, lectioneſque prænindicatæ, & inaudita apud Scriptores vocis acceptio, & planior ejuſdem communiſque Eruditis intellectus. Mabillonius, procul dubio peritiſſimus eccleſiaſticæ antiquitatis, *ob miniſtrorum obſequia* papalia munera, ſeu *presbyteria* præcipuè diſpenſata monet pag. 34. commentar. ad ordd. Rom. §. 5. de *collect. & ſtationib.* ſicuti clariùs ex ejus verbis inferiùs (3) deſcribendis. In bulla Nicolai III. pluries (4) memorata Cleri *obſequia* vocantur, quæ nos commodiùs nunc *miniſteria*, ſive *ſervicia* appellaremus.

(3) *Corollar.* §. 4.
(4) *Prol. ſect.* 1. §. 12. *Par.* 1. *ſect.* 7. §. 8. *not.* e *&c.*

V. Alia e vitis Johannis IV Eugenii I. & Doni.

Eodem ſeculo VII. præfuere poſtea Eccleſiæ Johannes IV. Eugenius I. & Donus. De Johanne ad num. 124. liber allegatus : *Hic dimiſit omni Clero rogam integram*. Ad num. 134. de Eugenio : *Rogam Clero ſolitam tribuit : & indigentibus eleemoſynam miniſtravit : ut etiam die tranſitus ſui pauperibus, vel Clero, ſeu familiæ* PRESBYTERIA *in integrum erogari præcepit*. De Dono ad num. 146. *Clerum diverſis honoribus, &*

 or-

ordinibus ampliavit . . . Dimiſit omni Clero rogam unam.

VI. Ac Benedicti II. Johannis V. necnon Cononis.

Circa liberalitatem paullò poſteriorum Dono Pontificum oſtendi ſequentia in Benedicto II. num. 153. *Clerum diverſis ordinibus in die S. Paſchæ, & honoribus ampliavit . . . Hic dimiſit omni Clero, Monaſteriis, Diaconiis, & Manſionariis auri libras triginta* .. In Johanne V. num. 155. *Dimiſit omni Clero, Diaconibus, & Manſionariis ſolidos mille, & noningentos*. In Conone ad num. 157. *Dimiſit omni Clero, & monaſteriis (Diaconis, & Manſionariis* ſecundùm codices Mazarin. & Thuan.) *benedictionem in auro, ſicuti prædeceſſor ejus Benedictus, cujus Archidiaconus videns eumdem infirmitate conſtrictum, atque cupiditate ductus prædicti legati, cùm necdum eſſet perſolutum, ſcripſit Johanni glorioſo novo Exarcho, atque promittens ejus dationem, ut perſona ejus eligeretur* &c.

VII. Morula ſuper voce, honor.

Locus hic demonſtrat, quod ſupra admonebam; videlicet, per *dimiſſa* dona *legata* intelligi. Sed, cur hæc *benedictio* dicuntur, quæ & *roga* ſæpè aliàs? Quid per has voces? Et quandoquidem de vocibus in textibus hucuſque productis quæſtio exurgit, quid cum *honoris* dictione commune habent papales largitiones? Atqui (ut de extrema primùm) neminem credo futurum, qui me reprehendat, ſi, *ampliare honoribus*, acceperim pro augmento largitionum. Modò exhibitum teſtimonium vitæ Benedicti II. & aliud infra (5) exhibendum, quo Romanos donis *honoratos* a Pontifice memoratur, interpretamentum hujuſmodi ſuggerunt. Ceterò Patribus noſtris (ne hic lectores etiam ad ſtylum labentis ætatis provocem) familiare fuit, *honoris*, *honorantiæ*, *honorarii* &c. nomen univerſim donis, præſtationibus, largitionibus denique quibuſcumque impertiri, ac per verbum, *honoro*, exprimere, quod muneribus doniſque ditare frequentiùs dicimus, idque ex more Latinis æquè, Graiiſque communi. Romani milites apud S. Gregorium Nazianzenum orat. 3. in Julianum I. appellant *honorem* (τὴν τιμὴν) acceptum ab Auguſto publicum epulum. Vectigal, ſeu cenſus *honor* vocari videtur in epiſtola S. Gregorii VII. ad Judices Sardinienſes, quæ eſt 41. libro 1. regeſti. Nuncupatur *honorantia* certa pecuniæ ſumma per Papam diſtributa in Ordine 11. Mabilloniano, cujus verba tertia ſectione (6) occurrent. Præterea *laudimia*, pareſve præſtationes, non diſſimilibus vocabulis deſignata reperies in charta conſuetudinum veterum Gallicanarum apud Cangium lit. H.

(5) §. 11.

(6) §. 4.

Digitized by Google

lit. H. gloſſ. Latini. Ad hæc: quaſi vocabulum promiſcuum aliis largitionum genera apud antiquos ſignificantibus, exoticarum dictionum explanatores recentes *honorarium* uſurpant. Gaſpar Suicerus in theſauro ſuo (tom 2. col. 906.) ait: *Ρόγα uſitatiùs capitur pro donativo, ſive honorario, quod non uti ſtipendium ex debito, ſed ex gratia dabatur*. Martinius in lexico philologico: *Roga*, *donativum*, *honorarium* &c.

Ecce quare, & quàm propriè papalibus largitionibus *honoris* nomen communicari ſoleat. Multò æquiùs illæ per nuncupationem *rogæ* connotantur. Viden' ut mox citati lexicographi, tanquam generaliorem reliquis dationem, *rogam* pronuncient? Et planè verum ingerit Suicerus, dum ait, *donativum ex gratia debitum* plerumque ſignificari per vocem, *ῥόγα*. Attamen, quum (ſicuti monet author notulæ marginalis appictæ citato textui vitæ Adeodati) *roga donatio* ſit *dicta ab erogando*, vel, ſicuti Gretſerus obſervationum lib. 3. cap. 5. ad Codinum Curopalaten (cap. 10. *de off. CPolit. eccl.*) pag. 203. *fortè vox hæc* dicta fuerit a *latino rogo*, *vel erogo*, rectè juxta Ludovicum de la Cerda cap. 120. adverſarior. num. 124. *roga* redditur, *ſtipendium* qualecumque, *merces*, *& annona* (qua voce etiam eleemoſyna non inſcitè comprehenditur) præter *donativum*; uno verbo, rectè verti poteſt per quodcumque aut rogetur, aut erogetur. Certè, ſi quis attentè legat Xylandri notas in Cedrenum, epiſtolam S. Gregorii ad Bonellum Erogatorem 124. (al. 129.) lib. 9. epiſtolar. aliaque priſcorum documenta, pro ſtipendio *rogam* generatim uſurpatam agnoſcet tum ordinariè conceſſo militibus a Cæſaribus, tum extra ordinem liberaliter tranſmiſſo, exhibitove. Nec ſilendum, quod propter expoſitam amplitudinem vocis fidenter *rogam* interpretatur ** *eleemoſynam*, *quia ſcilicet rogatur*, *& roganti datur*, *ſive erogatur*, laudatus Martinius in cit. lexico philologico. VIII. Et, *roga*.

Atque ita panditur, quàm aptè, & quare tam crebrò unaquæque largitionum *** papalium publicarum *roga* nuncu- IX. Neccon, *benedictio*.

** Quod etiam agit Du-cangius in gloſſ. lat. innixus authoritati gloſſarii latinogræci Iſidori, vocabularii ms. Willelmi Britonis, & clarorum Scriptorum, quibus addi poteſt author vitæ S. Gerardi Abb. Bron. relatus pag. 274. ſeculi V. Benedictini.

*** Rectè enunciat ejuſmodi *rogarum* derivationem Bencinus in cit. notis ad vitam Johannis IV. At non rectè opinatur, vocem illam reapſe pariter acceptam fuiſſe

cupetur. Erogabantur ex meræ liberalitatis gratia (unde etiam non rarò indicantur ſimpliciter per nomen *doni*, *donativi*, *muneris*) a Pontificibus, &, ſi vis, tacitò ſaltem rogabantur ab accipientibus. Verùm & unicuique earum congruè tribuitur *benedictionis* denominatio. Siquidem diu perſeveravit generalis mos in Eccleſia munera Eccleſiaſticorum omnium nuncupatione *benedictionis* donandi, modò addita materiei notitia, modò prætermiſſa. Locus Cononis utique materiem ſignat. Eſt etiam locus apud Theophanem ad annum 40. Theodoſii junioris, quo denariorum munuſcula *benedictiones aureæ* (εὐλογίαι χρυσαῖ) appellantur. Sed crebriùs *benedictio* invenitur abſque additamento. Paſtus certis ſollemniis præſtitos Monachis a cœnobiorum Præſidibus *charitates* inſimul, & *benedictiones* dicit charta pro monaſterio S. Germani Autiſſiodorenſi exarata anno 864. quæ extat to. 1. pag. 590. Spicilegii Dacheriani. Aſt, quæ origo, ratiove hujus moris? Cangius in gloſſar. lat. ad lit B. xenia appellata cenſet *benedictiones*, quòd, quum *a Sacerdotibus*, *&* *Clericis* mitterentur, ſolerent *ab iis benedictione ſua ſanctificari*. Quo ſenſu accipienda *benedictiuncula*, cujus mentio fit pag. 285. to. 2. operum Hincmari Rhemenſis. Altaſerra convivium Luitprando Regi datum a Zacharia, & vocatum *benedictionem* (uti in textu mox deſcribendo) ſic vocatum ait, *vel quia* incœperit *a benedictione*, *vel quia* datum ſit *per modum eulogiæ*, *ſeu benedictionis*. Angelus de Nuce in adnotationibus ad chronicon Caſſinenſe ſub vita S. Benedicti cap. 8. num. 95. & 96. *benedictionis* voculam, quæ eſt in perobſcuro loco S. Ambroſii, eleemoſynam, ſeu munuſculum charitatis interpretatur, unâque ait: *Sed quare eleemoſyna, vel munuſculum benedictio dicebatur? Quia & qui dabat, & qui accipiebat, benedicere conſueverat dicendo: benedicite, vel Deo gratias. Auguſtinus, & Paulinus*

fuiſſe fortaſſis *pro exactione præſtationis ſub nomine precationis, quam Clerus ipſe Pontifici quotannis erogabat*, ſubdens: *Verborum Anaſtaſii ea fortè ſententia eſt, quod Johannes hujuſmodi tributum Romano Clero indulſerit, dimiſeritque; quamquam ea vox in hiſce geſtis pontificalibus paſſim ad exprimendas largitiones occurrat*. Non rectè, inquam, opinatur. Nam τὸ *dimiſit* (quod verbulum ſcandalo fuit Bencino) omnino pro, *legavit*, verti debet, uti hìc §. 7. a nobis probatum eſt. Quin mirandum, quod vir clariſſimus ea ſubjunxerit; quum textum vitæ Adeodati pro exemplo erogationis pontificiæ liberalitatis afferat, quo habetur par verbulum *dimiſit*. Bencini locum integrum dabit ſignata quatuor aſteriſcis nota ad §. 12. ſectionis ſequentis. Aliàs, quod præſtationis quidpiam pendi ſoleret a Clero, unde ille eruerit, addiſcere cuperem.

Digitized by Google

nus apud Haefſtenum: *Hunc panem eulogiam eſſe tu facies dignatione ſumendi*. *Et Gregorius hic* (relatus): *Quem vir Dei cum gratiarum actione ſuſcepit*. Ita doctiſſimus Archiepiſcopus. Num aliæ ſint vocis, moriſque rationes, quæratur apud opera ceterorum ex recentioribus Eruditis, præcipuè Gretſeri libellum de benedictionibus &c. Sarnellii baſilicographiam ad cap. 39. num. 7. quo promit locum epiſtolæ 42. libri 9. epiſtolar. S. Gregorii, diſputationem Franciſci Turriani cum Latino Latinio habitam ſuper intelligentia Gregoriani textus pag. 239. & ſeqq. to. 1. epiſtolar. ejuſdem Latinii &c. Sed iterum ad teſtimonia libri Pontificalis.

X. Sequuntur teſtimonia ex vitis Gregorii II. Zachariæ, & Hadriani.

Vitæ Gregorii II. Zachariæ, & Hadriani I. Pontificum ſeculi VIII. nova ſuppeditant teſtimonia papalis publicæ largitatis. *Hic dimiſit omni Clero*, *Monaſteriis*, *Diaconis*, *& Manſionariis ſolidos* MM. *&* CL. inquit num. 189. cit. libri biographus Gregorii. Ad num. 211. (dum refert Zachariæ geſta apud Interamnam occaſione adventus Luitprandi Regis) quæ ſequuntur, notat liber: *Die Dominica poſt peracta miſſarum ſollemnia ad prandium eumdem Regem ad Apoſtolicam benedictionem ipſe beatiſſimus Pontifex invitavit*. Legi ad num. 226. conſuetum fuiſſe ex inſtituto ejuſdem Pontificis *crebris diebus alimentorum ſumptus* (aliàs *eleemoſynam*) *pauperibus*, *& peregrinis*, *qui ad B. Petrum* morarentur, *deportari*, *eiſque erogari*, *necnon & omnibus inopibus*, *& infirmis per univerſas regiones Urbis conſtitutis*. Ad quod agendum miniſtri deputati perhibentur, qui *Cellarii*, *& Paracellarii* vocabantur. Gravius, quod & ibi ſcribitur: *Hic dilexit Clerum ſuum valde*, *atque* PRESBYTERIA *eis annuè in duplo*, *& ampliùs tribuit*, *omnes utpote Pater amplectens*, *atque utiliter fovens*, nec *penitus quempiam nimiùm tribulari permittens*. Verùm num. 327. & 328. narratur, ſtabilitum per Hadrianum, ut in Patriarchio Lateranenſi *quinquaginta panes*, *ſimulque & decimatæ vini duæ*, *& caldaria plena de pulmento erogarentur omni die per manus unius fideliſſimi Paracellarii pauperibus*.

XI. Atque Leonis III. Valentini, & Leonis IV.

Pontificum ſeculi IX. munificentiam teſtantur, quæ de Leone III. Valentino, & Leone IV. prodidit idem codex Anaſtaſianus. *Rogam Clero ſuo in* PRESBYTERIO *maximè ampliavit*, inquit loquens num. 349. de Leone III. Latius, quod memorat in Valentino ad num. 456. *Mox almificæ Sedis culmina ſcandens B. Petri Apoſtoli*, *& cæleſtis regni Clavigeri*, *divinis*

Deo

Digitized by Google

Deo laudibus, & ſacrificiis piè oblatis, amplo & magnifico Romanorum cœtu ad palatium cum ingenti gaudio remeavit, atque lautiſſimis dapibus ſumptis, ornatiſſimorum multis, & diverſis munerum donis ſacram plebem, & Senatum, populumque Romanum optimè ditavit. Acta hæc ſunt ſub ipſis ejus pontificatus crepundiis. At etiam fuſior eſt liber Anaſtaſianus in Leone IV. Prætereo, quod ait de reſtauratis per illum Lateranenſibus publicis epulis diei natalis Domini num. 502. cujus
(7) §. 15. particulam proferemus (7) infra. *Octavam Aſſumptionis Beatæ Dei Genitricis diem, quæ minimè Romæ antea colebatur, vigiliis ſacris, matutiniſque cum omni Clero pernoctans in baſilica ejuſdem ſemper Virginis Dominæ noſtræ, quæ foris muros juxta baſilicam B. Laurentii Martyris, celebrari* (a) *præcepit. In qua etiam magna populi multitudo convenerat novæ feſtivitatis cupiens celebrare ſollemnitatem. Hoc ipſe magnanimus cùm videret Antiſtes, in omnes, qui aderant huic celebritati, plures argenteos erogavit.* Sic num. 505. Numero 533. *In Civitate* (Leonina, quam extruxerat) *juxta promiſſionem ſui deſiderii, quod ideo noverat, magnam ſive Romanis, ſive diverſis nationibus in ſummæ ſollemnitatis die rogam* (Leo) *diſtribuit: deinde cum ceteris Sacerdotibus, & omnibus Romanorum Proceribus ad eccleſiam B. Petri Apoſtoli cum orationibus, diviniſque laudibus tendens miſſam pro ſalute populi, civitatis incolumitate, & ſtabilitate perpetua honorificè decantavit... Sacris peractis officiis, No-*

(a) Statio, de qua hìc, credo, propter populi, Clerique commodum translata fuit, ſeu potiùs affixa poſtmodum vel ab ipſo Leone, vel aliquo ex proximioribus ſucceſſoribus, ad baſilicam S. Mariæ trans Tyberim ceterarum Urbis eccleſiarum magnæ Virginis honori ſacratum (ſi exceperis Liberianam privilegiis Pontificum ornatiorem, apud quam ritu ſummo ſeſtum Aſſumptionis prima die celebrabatur etiam antiquitus) facilè principem; de quo peramplè nos in hiſtoria ejuſdem baſilicæ. Certè (id autem modò tacere nolo) mirè ſuffragatur opinioni meæ, quod in antiquis codd. (uti notat Bartholomæus Piazza in emerologio ſacro ad d. 22. Auguſti) legatur: *In octava die Aſſumptionis B. Mariæ Virginis in auguſto ſtatio & perdonantia ad S. Mariam Tranſtyberim:* & in ms. ſummario ſtatus hujus eccleſiæ ab Hieronymo Avila confecto ſub initiis ſeculi XVII. aſſervatoque apud tabularium Canonicorum, hæc ad tit. *de imagine B. Mariæ de Clementia* inter alia habentur: *Solebat antiquitus hæc imago in ſolemnibus ſupplicationibus in ferculo humeris piorum circumferri: præcipuè verò in octava Aſſumptionis ad cultum ei exhibendum Conſervatores, & reliqui Magiſtratus Urbis, innumeraque populi utriuſque ſexus multitudo huc confluebat, proceſſio maxima ceremonia peragebatur, tympanis, tubis, & variis muſicorum inſtrumentis cohoneſtabatur, cujus veſtigium ſupra ſacriſtiæ portam eo loco, ubi nunc eſt Cardinalis Alenconii ſepulchrum, depictum noſtra memoria extabat.*

Nobiles Romæ multiplicibus donis non tantùm in auro, argentove, ſed & ſericis palliis honoravit, atque ditavit. Demum num. 550. *Manibus propriis* (Leo, ſollemni ſacrificio celebrato Leopoli in civitate a ſe ædificata, eaque luſtrali aqua conſperſa) *non modica præ amoris magnitudine univerſo populo rogam diſtribuit.*

Ne ſeriem excerptorum perturbaremus de libro pontificali, omiſimus egregium teſtimonium publicæ papalis munificentiæ pertinens ad ſeculum ſextum. *Coram populo, & Clero eum perduxi,* PRESBYTERIUM *ei auxi*, magnus inquit Gregorius de Sicilienſi Subdiacono Cyriaco ſcribens ad Petrum epiſt. 32. (al. 3.) to. 2. oper. edit. PP. S. Mauri. Quod, me judice, ſignificat, Cyriaco ad publicam aliquam celebritatem deducto non illam fuiſſe datam a S. Pontifice portionem *rogæ*, quæ dari conſueſceret Subdiaconis, ſed uberiorem, tanquam extero illuſtris eccleſiæ Clerico, & Sedis Apoſtolicæ fortaſſe benemerito. At uberius, & grandius, quod profert de eodem Sanctiſſimo Pontifice Johannes Diaconus lib. 2. ejus vitæ cap. 24. & ſeqq. *Penſionibus* (patrimonii R. E.) *in auro, argentoque collatis omnibus ordinibus eccleſiaſticis, vel palatinis, monaſteriis, eccleſiis, cœmeteriis, diaconiis, xenodochiis urbanis, quot ſolidi ſingulis quater in anno diſtribuerentur, Paſcha ſcilicet, natali Apoſtolorum, S. Andreæ, natalitioque ſuo... indixit. Extra quos, primo Dominicæ Reſurrectionis diluculo in baſilica .... Vigilii .... ad impertiendum pacis oſculum reſidens, cunctis Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, aliiſque Axiomaticis* (in Dignitate conſtitutis) *aureos erogabat. Natalitio verò Apoſtolorum, vel ſuo, mixtos ſolidos offerens peregrina nihilominùs veſtimenta donabat.* Sequuntur *calendatim, diatim*, aliterque diſtributa (diverſiſſimarum etiam ſpecierum) omnigenæ conditionis indigentibus, quæ, nedum apud laudatum Johannem, apud alios Gregorianorum geſtorum ſcriptores videri poſſunt.

XII. Teſtimonium ex epiſtolis, & geſtis S. Gregorii Magni.

Occurrit & aliud (ſeculi tamen octavi) teſtimonium in celebri reſponſo Beatiſſimi martyris Martini Papæ ad annum. 645. prolato ex collectaneis Anaſtaſii Bibliothecarii ab eminentiſſimo annalium Parente. Interrogatus Pontifex CPoli ab iniquis judicibus, cur tam urbaniter, tam magnificè exceptus, opiparèque paſtus Pyrrhus Patriarcha, quum Romam acceſſiſſet, repoſuit: *Vos neſcitis Eccleſiam Romanam? Dico*

XIII. Ex celebri reſponſo Martini Papæ, & Martyris.

vobis, quia quiſquis venit illuc miſerabilis, ſic hoſpitari, omnia ad uſum præbentur ei, & nullum immunem a ſuis donis S. Petrus repellit venientium illuc. Reſponſum planè Romanum! quo nullum clarius ad manifeſtandam publicæ liberalitatis veterum Pontificum amplitudinem.

XIV. Ex antiphonario Gregoriano, ac vulgato Alcuino.

Sed & hujuſce teſtificationes aliquot exhibeant vetuſtiſſimi Romani liturgici libri, ſcriptoreſque. Rubrica inſerta antiphonario S. Gregorii Magni habet pag. 76. *Sabbatho ante palmas vacat* (ſtatio): *quando Dominus Papa dat eleemoſynam.* De hac publica ſollemnique eleemoſyna mentio eſt pariter in vulgato Alcuino ad pag. 45. ritualis Hittorpianæ collectionis, & celebris memoria apud Eruditos. Vide conjecturas Ciampini de azymo &c. ad cap. 9. pag. 220. & Ven. Thomaſii notationes in libros miſſales Romanæ Eccleſiæ, laudatum antiphonarium continentes, pag. 160. ubi ſuper hujus largitionis inſtitutione iſta non ſine meditatione prætereunda leguntur: *Fiebat hæc generalis eleemoſyna ob imminens paſchale feſtum, ut anticipata largitione pauperibus conſuleretur, & Pontifici: illis quidem, ut ſibi providere poſſent, huic verò, ut in ſubſequenti ſancta hebdomada liberiori animo ſacris actionibus intenderet.* Sic ampliſſimus Cardinalis, ubique non ſapientiam eruditionemque ſpirans minùs, quàm pietatem, charitatemque.

XV. Ex nonnullis Ordd. Romanis.

Romanus Ordo apud cit. collectionem Hittorpianam pag. 57. col. 2. deſcribens œconomiam divini officii per octiduum paſchale celebrandi, recenſitis pſalmis, & antiphonis, quæ cantari deberent die maximæ ſollemnitatum Lateranis, ſubjungit: *Deinde deſcendunt Primates* (b) *Eccleſiæ ad accubita, invitante Notario* (c) *Vicedomini, & bibunt ter de Græco*

(*b*) Qui ſint *Primates Eccleſiæ*, ſatis explicat excerptum ordinis Mabilloniani mox allegandi tertio loco.

(c) *Vicedominus* idem ac Major domus non rarò apud ſcriptores. Percurre obſervationes Broweri ad annales Trevirenſes lib. 8. & 12. pag. 474. 669. & 671. Non erat *Vicarius* Papæ in temporalibus, quod placet Altaſerræ id ſtatuenti in notis ad vitam Vigilii Anaſtaſ. pag. 56. notar. &c. *Vicedominus*, de quo hic, & ſequens Ordo, ſed Prælatus, qui verè nunc dicitur Major domus, cujus perantiqua munia, & conditionem aptè deſcribit Cangius. *Habuis* (ſic in gloſſar. lat. ad lit. V.) *Vicedominos ſuos Eccleſia Romana, qui a Pontif. Romano ex ordine Cleri, & aliquando ex epiſcopali conſtituebantur, viri prudentes, & rerum gerendarum peritia inſignes, quibus epiſcopii, vel palatii Lateranen. cura committebatur in gubernanda domo, hoſpitibus ſuſcipiendis, & domeſticorum cauſis cognoſcendis.*

eo (d) *primò : de pactyſi* (e) *ſecundò : de procovia* (f) *tertiò. Poſtquam biberint omnes Presbyteri, & Acolythi per ſingulos Titulos redeunt ad faciendos veſperos. Ipſi enim tantummodò ſuper pſalmos alleluja dicunt : & ante evangelium gradatim : hæc dies: ſine verſu, & alleluja tantùm primum, deinde orationem, & bibent de* DATO PRESBYTERI. *Hæc ratio per totam hebdomadam ſervatur uſque ad Dominicam poſt Albas*. Pars Ordinis ex codice Palat. n. 427. a laudato Thomaſio inſerta ſuis reſponſorial. & antiphonal. R. E. p.329. *Deſcendunt Primates Eccleſiæ ad accubita, invitante Notario Vicedomino* (al. *Vicedomini*): *& bibant ter de Græco, 1. de pactyſi, & uno de procoma*. Sequitur Ordo, interrupta linea : *Poſtquam biberint omnes Presbyteri, & Acolythi per ſingulos Titulos redeunt ad faciendos veſperos, & bibent de* DATO PRESBYTERI. *Hæc ratio per totam hebdomadam ſervabitur uſque ad Dominicam in Albis*. Ordo apud Mabillonium. *Poſtquam biberint omnes Presbyteri, & omnes Diaconi, ſeu Subdiaconi, vel omnes Acolythi, per ſingulos Titulos redeunt ad faciendos veſperos, & bibent de* DATO PRESBYTERI. To.2. muſei Ital. pag. 50. in appendice tit. 3. n. 12.

XVI. Paucula de triclinio Lateranenſi.

Apud *accubita* expletam ajunt duo Ordines prænotatam largitionem. Erant illa accumbentium ſedilia diſpoſita per aulam magnificentiſſimi ædificii, quod *triclinium* vocabant frequentiùs, aliquando *accubitum*; neque unum erat Romæ, præſertim ad (g) Vaticanum, & Lateranum. Ampliſſimum certè extructum a Gregorio IV. (ut Lateranenſia ſolùm tangam, de quibus præfati Ordines) ad princeps Patriarchium. *Fecit* (inquit num. 465. liber pontificalis) *in Patriarchio Lateranenſi* (Gregorius) *triclinium miræ magnitudinis decoratum cum abſida de muſivo &c.* Sed magnificentius poſteritas cenſuit, cui conſtruendo, amplificandoque vacarunt Leones duo, a quibus appellatum novimus Leonianum. In Leone III. idem liber num.384. *Fecit in Patriarchio Lateranenſi triclinium miræ* ma-

(d) Quod ſimpliciter *Græcum* dicitur, Romæ vænit adhuc, merum bibacibus gratiſſimum. At non unius ſpeciei vina græcanica, de quibus varii authores, præſertim Andreas Baccius in tract. de vinis. Plerumque nomen illis inditur a locis.

(e) *Pro pactyſi fortè legendum* (ait ad lit. P. in cit. gloſſar. laudatus Cangius) *pachyſi, ideſt vino ſpiſſiori, craſſiori, a græco* παχὺς.

(f) An hoc vinum a loco aliquo *Procovia*, ſeu *Procoma* nuncupato?

(g) Horum aliqua reſtaurata fuiſſe, depictaque curis Gregorii III. author eſt ejus biographus num. 202. cit. lib. pontificalis, in quo etiam legimus ad num. 412. alios *accubitos* collocatos in atriis, ſeu proximis baſilicæ Vatic. ædificiis per Leonem III.

magnitudinis decoratum cum abſida de muſivo . . . in quo loco & accubita collocavit , & in medio concham porphyreticam aquam fundentem ; & pavimentum ipſius marmoribus diverſis ſtravit . In Leone IV. ad n. 502. *De priſcis , vel antiqui ſacri palatii uſibus, atque ordinibus , qui . . . diverſa conſuetudine fuerant deleti . . . omnia ordinare . . . avidè conatus eſt . Nam & accubitum , quod Domnus Leo bo.me. III. Papa a fundamentis conſtruxerat, & omnia ornamenta , quæ ibi paraverat , quæ nimia vetuſtate , & oblivione anteceſſorum Pontificum deleta ſunt . Et in die natalis D. N. Jeſu Chriſti . . . tam Domnus Gregorius , quàm & Domnus Sergius ſanctæ record. ibidem minimè epulabantur. Idem verò Beatiſſimus, & Summus Præſul Leo IV. . . . omnia ornamenta, ſive alimenta, quæ inde deleta fuerant, noviter reparavit, & ad uſum priſtinum magnificè revocavit .* Leoniani triclinii ſuſpiciuntur **** adhuc inſignes reliquiæ ab eruditis , præſertim Nicolao Alamanno in ſuis parietinis Lateranenſibus , paſſim celebratæ & illuſtratæ , quæ monumento etiam erunt perenni , quanta fuerit vetuſtioribus ſeculis publica Pontificum Romanor. liberalitas . Quamquam nec earum fulcimento res iſthæc eget poſt tot antiquorum ſcriptorum inducta teſtimonia .

SECTIO II.

§. I. Quinam ſentirent priſca ætate publicam Pontificum liberalitatem .

VERUM non illa tantùm nobis ingerunt hujuſce pontificiæ virtutis notitiam . Per eadem innotuit ſimul , quinam tantæ munificentiæ beneficium experirentur . Utique generatim *Clerus* omnis , quod plura loca teſtantur ; potiſſimùm (ut ferunt alia) Presbyteri , Diaconi , Subdiaconi , Acolythi , Clerici monaſteriis addicti , ſeu Monachi , & Clerico-monachi (quorum jam agmina famulari cœperant principibus Urbis eccleſiis diu ante ſeculum XI.) Manſionarii Patriarchalibus, Titulis , & Diaconiis accubantes , de quibus (*a*) ali-

**** Funditus exciſas vidimus pretioſas haſce reliquias anno 1738. amplificandæ gratia templi Lateranenſis areæ .

(*a*) Vetuſtiſſimus ordo primus inter Mabillonianos deſcribens Clerum procedentem ad ſacrarium cum Pontifice num. 15. pag. 51. to. 2. muſei Ital. ait : *Poſt Epiſcopos Presbyteri , deindè Monachi, deindè de ſchola , deindè omnes Præceſſores , & Manſionarii .* Idem agens de occurſu Clericorum eccleſiæ faciendo Pontifici pro ſtatione habenda accedenti : *Similiter Presbyter Tituli , vel eccleſiæ . . . cum ſubdito ſibi Presbytero , ac Manſionario thymiamateria deferentibus in obſequium illius, inclinato capite, dum veneris &c.* Officium *Manſionarii* exponit Pan-

aliquando vetuſtiores Ordines, tale beneficium participabant. Adde Pontificis *familiam*, cujus meminit diſertè locus vitæ Eugenii. Et illud participabant *laici* Romani omnium graduum; nempè, Senatus, Nobileſque, populi capita, viliſque etiam plebis commune, cujus inter cetera ſpeciale munus, quod manu diſpergebatur, ſeu mittebatur, *miſſile* proprio vocabulo appellandum, de quo fortaſſis intelligenda verba vitæ Vigilii, & poſtrema quædam loci vitæ Valentini. Quid dicam de *pauperibus*, *captivis*, *peregrinis*, *hoſpitibus*, quos varia ex datis teſtimoniis participes oſtendunt pontificalis munificentiæ?

II. Quibus occaſionibus ea ſe proderet.

Inſuper innotuit, quibus occaſionibus ea præcipuè exerceretur. Nimirum, quum electus Pontifex poſſeſſionem iniret ſupremi faſtigii, teſte Valentini biographo: quum annuæ inciderent, aut imminerent ſollemnitates, ſtationeſve, teſtibus, quæ de paſchalibus eleemoſynis, potibuſque, de reſtauratis uſibus diei natalis Domini, de Vigilii ſtatione, de liberalitate S. Gregorii M. diximus: quum pares aliæ extra ordinem celebrarentur, teſtibus excerptis de Leonis IV. vita: quum publica extraordinaria, notabiliſve neceſſitas urgeret, teſtibus prolatis de Symmacho, de frequentioribus eleemoſynis Zachariæ, atque Hadriani: quum magni Principes, clarique alii viri ad Curiam accederent, teſtibus laudati Zachariæ geſtis erga Luitprandum, & Martini reſponſo: demum, quum Papa viam univerſæ carnis ingrederetur, teſtibus tot locis, quæ *dimiſſa* dona ſignificant.

III. Occaſio primi acceſſus ad Lateranum ſplendidior inter illas.

Quinetiam innotuit, quæ foret tot inter occaſiones celebrior. Si attentiùs legatur iterum excerptum de vita Valentini, patebit, nullam celebriorem extitiſſe occaſione primi pontificalis acceſſus ad Lateranum. Tunc enim (nedum obi-

Panvinius cit. opuſculo interpretat. voc. eccleſiaſticar. &c. inquiens: *Manſionarius dictus eſt Cuſtos, & conſervator ædium eccleſiaſticarum, templorum, & altarium*: adjicere tamen debuiſſet, & *ſupellectilium*, ac forſan *oblatorum*; nam *Cuſtodem dominicalem veſtiarii* Manſionarium vocat Ordo 4. inter citatos n. 4. ad pag. 74. dicti tomi; & qui cuſtodiebat excipiebatque principum eccleſiarum oblationes, præſertim Vaticanæ, veroſimiliter a Manſionario non differebat, quod animadvertiſſe videtur Torrigius pag. 527. & 528. libelli de cryptis &c. licèt parum ſcitè Beneficiatis recentioris inſtituti adſcripſerit Manſionarios S. Petri. A *manendo* autem juxta eccleſias ejuſmodi Clerici denominati; unde vel proximioribus quoque ætati noſtræ temporibus eorum domus dicebatur *Manſionaria*, ſicut conſtitit mihi evolventi non recentes chartas, maximè Tranſtyberinæ baſilicæ. At circa hunc Cleri Romani gradum latiùs in opere de Hierarchia &c.

obita ſacra ritu maximo, & ſollemnis proceſſio) genus ferè omne largitionum profuſum, donatique cuncti hominum ordines; datæ ſcilicet dapes, diverſa munera diſpertita in Clerum, Patricios, Romanamque plebem.

IV.
E largitionibus tali occaſione profuſis, quæ manu Papæ traderetur, illuſtre erat indicium pontificiæ majeſtatis.

Aliàs ſingulare illud habebat hujuſmodi occaſio, quod largitionem profundi videret, quæ unum putaretur ex indiciis illuſtrioribus papalis majeſtatis; videlicet, erogationem nummorum tunc primùm in baſilica Lateranenſi per manus Pontificum expletam. Qui dubitat, convolet rurſum ad librum pontificalem. Narratur illic, electionem Hadriani II. præſignatam fuiſſe in ſomniis Romanorum multitudini. Sed quibus indiciis? Attende. *Quidam Hadrianum in ſede Apoſtolica pallio obductum reclinatum videbant: alii eum cum Apoſtolicis infulis miſſas celebrantem: nonnulli more Apoſtolico in baſilica Lateranenſi aureos erogare*. Num. 614.

V.
Largitiones veterum Pontiff. publicè communibus denominationibus indicabantur, *preſbyterii* potiſſimùm.

Innotuit prætereà ex productis locis, uſurpatas fuiſſe promiſcuè, ad innuendas diverſarum ſpecierum largitiones, voces, quarum explicavimus rationem ſupra, ideſt, *honoris*, *rogæ*, *benedictionis*; adde: generatim appellatas eaſdem *dona*, & *munera*, mercedem numquam. Quod verò maximè obſervandum, quotquot per ea vocabula indicari ſolerent, aliquando per nuncupationem *preſbyterii* nobis exprimi. Sic alibi ſæpè nuncupata *donum*, *benedictio*, *roga* &c. Clero, pauperibus, familiæ dimiſſa biographus Eugenii I. *preſbyteria* vocavit. Sic plerumque dicta *munus*, *honor*, *roga* &c., per intervalla pontificatuum diffuſa, *preſbyteria* appellant textus ultimus vitæ Zachariæ, ac primus vitæ Leonis III. necnon epiſtolæ S. Gregorii Magni. Sic, quæ publicæ eſſent refectiones, *datum Preſbyteri*, hoc eſt, *preſbyterium*, nuncupantur in vetuſtiſſimis Romanis Ordinibus.

VI.
Num *datum preſbyteri* idem referat ac *preſbyterium*?

Quod autem *preſbyterium* interpreter *datum preſbyteri*, cave, reprehendas. Quidni enim? Quum illud donum, ſeu munus eſſet Romani Pontificis; nempe, *ſupremi preſbyteri*, a quo omnino dictum *preſbyterium*, de quo agitur juxta notanda (1) inferiùs. An forte *datum* diſcordat a *dono*, ſeu *donativo*? Falſum, ineptumque. Apud eccleſiaſticos ſcriptores (nedum apud veteres profanos) reſpondet *datum* pecuniæ *dationi*, *dono*, *largitioni &c.* Conſulantur notæ Vignolii ad cit. lib. pontifical. nota 2. ad vitam S. Fabiani pag. 165. In ſacris bibliis non ſemel, quod muneri, dono, donationi aptatur communiùs,

(1) *Sect.* 7. §. 16.

niùs, *datum* vocatur. Hinc illud, *non quæro datum* (græcè τὸ δόμα) quod habet epiſtola B. Paulli ad Philippenſes IV. 17. *munera veſtra* in commentario ſuo vertit (ne alios interpretes allegem) Jacobus Tirinus, qui & in commentario ad Eccleſiaſticum XVIII. 15. epiſtolam Jacobi I. 17. &c. nonnihil in hanc rem profert. De cetero haud inobſervabile eſt, quod vocabulum *datum* placuerit recentioribus Italis ad munus ſignificandum retinere. Vide lexica Etruſca ad literam D.

VII. Antiquioris ætatis *presbyteria* ex quibus conflata? Quid ſcutella?

Materies pariter veterum *presbyteriorum* innotuit. Loci quidam *pulmentum*, *alimenta*, *dapes*, *panem*, *vinum* meminerunt: quidam *pallia*, ſeu *veſtes*, *pecuniam*. Scio aliàs *ſcutellas* quoque fuiſſe diſtributas. Liber pontificalis in Bonifacio II. ad num. 92. *Presbyteris*, *Diaconibus*, *& Subdiaconibus*, *& Notariis*, *ſcutellam* (al. *ſcutellas*) *de adeptis hæreditatibus obtulit*, *& alimoniis multis in periculo famis obvenit*. Quid verò *ſcutella*? An moneta, qualis nunc *ſcutum*, & *ſcutatum* nuncupata? An moneta ad formam *diſci* excavata, qualis cuſa nonnumquam per antiquiores Cæſares, ut dicetur alibi (2) opportuniùs? An *diſcus*, ſeu *patena* continendis opſoniis deputata, cujuſmodi erat *buxea* a S. Paulino miſſa ad Severum juxta epiſtolam ejus quintam? An *cibus*, vel *ſportula* Clericis, aliiſque tradi ſolita? Apud Cangium (cit. gloſſar. lit. S.) varia proſtant poſterioris etiam ætatis monumenta, quibus ferè hæc ſingula confirmes. Certè libro 1. cap. 12. conſuetudinum Cluniacenſium Udalrici *ſcutella* patenam ſonat inter miniſteria ſacra. Secundùm Ugutionem *eſt genus cibi*, *quod priùs in aqua coquitur*, *poſtea in oleo frigitur &c.* Si bullam Nicolai IV. emanatam anno III. pontificatus attendas, *ſcutella* portio ferebatur *cenſus* pendendi pro regno Siciliæ, Campaniæ &c. adeoque vel patenarum, vel monetarum ſpeciem fuiſſe dices. *In epiſcopatu Verulano* (verba literarum Nicolai apud cit. Ducangium) *Epiſcopus debet* XL. *brachia panni*, *&* CC. *ſcutellas*, *&* XX. *ſol. per annum*. Tacitò interpretationes haſce rejicit * Altaferra. Eo enim authore, nil aliud erant *ſcutellæ*, prꝫterquam *ſigna*, *& teſſeræ*, quas qui deferrent, acciperent rogas. Quod herclè non multùm a vero diſtare puto. Videſis viri doctiſſimi notationes ad vitas Anaſtaſianas.

(2) *Append.* II. *num.* 2. *&* 11.

Quid-

---

* Hujus ſententiam adoptavit erudítiſſ. Berlendus in cit. diſſert. de oblationibus &c. par. 1. §. 5. num. 7. pag. 121.

VIII. Argentei, & aurei nummi diſtributi in largitionibus inſignioribus.

Quidquid fuerit de *ſcutellis*, verum eſt, largitiones publicas nobiliores, auguſtioreſque ex argenteis, aureiſque nummis conſtaſſe. Argenteos quod tangit, exemplum dedit diſtributio per Leonem IV. habita ad S. Mariæ prope baſilicam S. Laurentii extra muros. Erogationem auream (præter locum vitæ Hadriani II. hic (3) allatum, quæ aureos nummos diſpenſatos ait poſt aſſumptiones ad pontificatum apud Lateranenſem eccleſiam) atteſtantur excerpta e vitis Benedicti II. & Cononis præclarè monentibus, ejuſmodi fuiſſe morientium Antiſtitum donativa, necnon locus vitæ magni Gregorii.

(3) §. 4.

IX. Conjectura de valore argẽteorum.

Nummos argenteos ſignificarunt antiqui per vocem *denarii*, monetæ ſcilicet *julio* Romano recentiori decem obolorum reſpondentis. Tales cenſeo, quos meminit ad vitam mox nominati Hadriani liber pontificalis, ubi deſcribitur mirabilis eventus. Do locum. *Cùm eſſet* (Hadrianus) *Presbyter Cardinalis S. Marci, erat miſericors multùm in pauperes. Cùm die quadam jugiter orabat ad S. Mariam ad Præſepe inter Compresbyteros, a SS. Papa Sergio conſuetudinaliter denariis quadraginta perceptis, domus ſuæ portas ingredi vellet, ac pro multitudine peregrinorum, quæ ibi fiducialiter more ſolito, velut ad horreum commune, confluxerat, omnino nequiret: miſericordia motus Equeſtri ſuo (diſpenſatori ſuo) nil ſine tantis fratribus in tantillis denariis ſibi eſſe commune. Cumque ille, neque tertiæ parti pauperum ſingulos denarios ſufficere retuliſſet: in veritate, inquiens, Chriſti, qui de quinque panibus, & duobus piſcibus quinque mille hominum ſatiavit, non ſingulos ſingulis, ſed ternos ſingulis denarios erogabo. Et hæc dicens forinſecus fortè ſuccedens, ac de manu Equeſtris ſui ſuſcipiens peregrinis cunctis egredientibus ternos ſigillatim denarios erogavit. In qua redundantia cùm miraretur Equeſter non defeciſſe denarios, quinimò ſuperfuiſſe, liberalis Presbyter, qui ſupererant, domum recipiens multitudini familiæ ſuæ ternos nihilominus perſonatim nummos largitus eſt. At, cùm ſex inde ſuperfuiſſent, vides, quam largus, & quam ſuavis ſit omnipotentiſſimus Deus, qui quadragenariam quantitatem nummorum & fratribus noſtris per ternos, & mihi ternos, tibique ternos æqua ſorte ſervavit.* Sic num. *613*.

X. De valore aureorum.

Aurea erogatio componebatur e *ſolidis*, quod clarum erit, facta collatione præfatorum textuum vitarum Benedicti, & Cononis cum textibus vitarum Johannis V. Gregorii II. &c.

E *ſo-*

E *ſolidis*, aio, quos fuiſſe arbitror Juſtinianæos, de quibus Roccha alibi (4) citatus, aut iis ſimiles, fortaſſis juliorum ** circiter viginti quinque, non verò quales credidit Vignolius, dum in indice ad to. 1. ſui libri pontificalis *ſolidum* ſæpè ibi memoratum indefinitè comparat julio Romano decem obolorum, de quo nos §. ſuperiori. Fuerint alii *ſolidi* paris valoris; non enim inficior, diverſiſſimas per omnem retrolapſam ætatem extitiſſe ſolidorum ſpecies, uti colligere eſt ex illuſtratoribus (*b*) rei nummariæ, ipſiſque lexicographis. At ſolidos per occaſiones diſtributos, quibus juxta alios textus *auri libræ* diſtributæ narrantur, vel *benedictiones in auro*, & quidem tales, quæ ad vellicandam Magnatum avaritiam idoneæ forent, numquam argenteos, aut æreos fuiſſe credam.

(4) *Par. 2. ſect. 5.* §. 8.

XI. Quæ proportio in diviſione presbyterii, maximè Clericorum.

Credo utique, ſive auream, ſive argenteam erogationem non in omnes æquè diviſam. Veroſimiliter proportio ſumebatur a dignitate, quod obſervavit Altaſerra pag. 67. notarum ſiſtens ad vitam Eugenii, & præcipuè conſiderans *presbyteria* Clericis data, quæ ſub vocabulo, *annona*, contineri putat. *Modus erat annonarum: Presbyterorum, & Clericorum erat varia pro dignitate ordinis. Qui major eſt ordine, potior eſſe debet in portione percipienda. Cap. ſtatuimus de majorit. & obedient.* Hæc ille.

XII. De quantitate portionum cujuſque. Ea pendebat ab arbitrio Pontificum, uti generatim *presbyteriorum* quantitas.

Partem verò cujuſque veterem quis divinabit? Nihil certè circa hoc ſuppeditant deſcripta teſtimonia. Tantummodò excerptum de vita Hadriani II. paullò ante (5) adductum inſinuat, partem traditam cuique Presbyterorum Cardinalium per aliquas ſollemnitates non exceſſiſſe *conſuetudinaliter* ſummam denariorum quadraginta. Qualemcumque tamen effingas, eam exiſtima dependiſſe ab arbitrio Romanorum Antiſtitum, quemadmodum dubio procul dependebat univerſim tota diſtribuendarum largitionum maſſa. Hinc diverſa vox illa: *roga integra*: *roga una*: PRESBYTERIUM *integrum*:

(5) §. 9.

** De *ſolidis* aureis per ejuſmodi opportunitates diſtributis, eorumque valore XXV. juliorum multa eruditè P. Joh. Franciſcus Baldinus in notis ad vitam Sabiniani Papæ Anaſtaſianam to. 4. pag. 12. edit. Vatic. magni Cardinalis Noriſii authoritate ſuffultus, quam petit e diſſertatione de numiſmate Licinii Liciniani impreſſa to. 2. Operum pag. 1150.

(*b*) Vide Ducangium lit. S. in gloſſar. lat. Joh. Fridericum Gronovium lib. 4. de pecunia veteri cap. 25. alibique. Vide & opera Marquardi Freheri, Johannis Bodini, Raphaelis Borghini, Emmanuelis Theſauri, Budelii, Domini Le Blanc, aliorumque, de monetis tractantium &c.

grum: *donum augmentatum*, *duplo auctum* &c. Magnanimitas Pontificis, ſtatus ærarii, publica neceſſitas rem, opinor, moderabantur. Ceterùm menſuram aliquam certam (licèt, quæ *** fuerit præcisè, ſciri nequeat) inſtitutam pro nonnullis *presbyteriis* non ambigo mente recogitans diverſitatem illam vocum modò enunciatam. Nam quæ *roga integra*, *roga una*? Nonne reſpondet **** conſuetæ ſummæ; ideſt, neque diminutæ, neque duplicatæ, auctæque? Conferantur, quæ dicimus, cum nota I. Vignoliana ad vitam Adeodati n. 4. pag. 241. cit. to. 1. libri pontificalis.

XIII. Largitiones ejuſmodi eruebantur ex cumulo pecuniarũ a viris Principibus ad Sedem Apoſtolicã tranſmiſſarum.

Unde autem, dices, deſumebatur donandorum materies? Neque hoc utiquè innotuit per deſcripta teſtimonia. Retegi quidem ex aliis poterunt priſcæ pontificiæ liberalitatis fontes. Uberrimus, qui manabat ex munificentia Imperatorum, aliorumque virorum ampliſſimæ dignitatis. Conſueverant enim horumce plerique vel abſentes dona tranſmittere Romanis Pontificibus eroganda in Clericorum uſus, ali-

*** Futuros arbitror, qui credent, ſaltem præciſum valorem integri *presbyterii* diei natalis ſummorum Pontificum deſignari cap. 3. Novellæ Juſtinianeæ 123. utique ex Epiſcoporum aſſenſu vim legis eccleſiaſticæ quondam obtinentis, qua ſic decernitur: *Jubemus Beatiſs. Archiepiſcopos, & Patriarchas, hoc eſt, ſenioris Romæ, & CPoleos, & Alexandriæ, & Theopoleos* (Antiochiæ) *& Hieroſolymorum; ſiquidem conſuetudo habet Epiſcopis, & Clericis in eorum ordinatione non minus, quàm viginti auri libras dari, ipſa ſolummodò præberi, quæ conſuetudo recognoſcit: plus autem ab hac quantitate nihil ſupra viginti auri libras præberi. Metropolitas autem a propria Synodo, aut a Beatiſſimis Patriarchis ordinatos dare pro inthroniſticis quidem ſolidos centum: Notariis autem ordinantis, & aliis miniſtrantibus ei, & ſolemniter* (conſuetè) *accipientibus, ſolidos trecentos . . . Hæc autem, quæ præberi diſpoſuimus, primus Presbyter ordinantis Epiſcopi, & Archidiaconus ſuſcipientes ex conſuetudine percipientibus dividant hæc*. Sed fallentur egregiè. Novella verſatur circa ἐνθρονιστικὸν, *cathedraticum*; nimirum, pecuniarium penſum *Epiſcopo ordinanti* (juxta Suicerum in theſ. ad voc. ἐνθρονιστικὸν) *vel Clericis, vel Notariis eccleſiaſticis pro ordinatione*, ſeu (ut habet Cangius in Gloſſ. lat. ad voc. *cathedraticum*) *ratione Throni, ſeu Cathedræ* ab Epiſcopo ordinato debitum, in Oriente commune, at a *presbyterio*, ſive *roga* valde diverſum, nec Romæ certò uſitatum. Quod intellexit Dionyſius Gothofredus, ſeu quiſquis notatiunculas marginales adjecit authenticarum, aliarumque Imperialium Conſtitutionum collectioni maximæ Lugduni impreſſæ anno 1618. proptereaque ad verba *Senioris Romæ* notavit: *ideſt, Papam Romanum . . . Et hic verò dat Romanis; ſed non ſecundùm formulam hujus tituli*.

**** Bencinus in cit. nota ad vitam Johannis IV. ait: *Pontifices certam pecuniarum ſummam Clero erogabant; Clericis quidem omnibus unam integram rogam, iis verò, qui ſervitio Apoſtolico deputati erant, rogam alteram. Sic legimus in Deuſdedit: hic dimiſit pro obſequia ſua rogam unam integram*. Quæ hìc aſſertæ opinioni noſtræ facilè congruunt, licèt immaniter diſtent ab interpretamento verum *pro obſequia ſua*. Revide notata præced. ſect. §. 4. adversùs Vignolium.

alimoniam pauperum, redemptionem captivorum &c. De muneribus Baſilii Imperatoris, & Ignatii Patriarchæ novæ Romæ præclarè vita Hadriani II. toties allegata ad num. 624. Sed ejuſmodi munerum uſum apertiſſimè ſignavit magnus Gregorius, diu ante Baſilium, & Ignatium reſcribens Mauricio Auguſto. *Triginta* (inquit) *libras auri*, *quas conſamulus meus Buſa detulit*, *Scribo Sacerdotibus*, *egeniſque*, *& aliis fidelibus erogavit*. Ita lib. 8. epiſtolar. epiſt. 2. (al. lib. 5. epiſt. 3.) to. 2. operum editionis Sammaurinæ. Tanta verò fuit aliquando munerum ejuſmodi collectio, ut Magnatum avariſſimorum ſalivam commoverit. Teſtis Mauricius Chartularius, qui perditiſſimi Exarchi Iſaaci conſilia præveniens ob id devaſtavit, expilavitque Lateranenſe palatium. *Antequam veniret Iſaacius* (inquit author vitæ Severiani PP. num. 121. libri pontific.) *Mauricius dolo ductus adversùs Eccleſiam Dei*, *conſilio inito cum perverſis quibuſdam hominibus*, *incitaverunt exercitum Romanum dicentes*; *quia quid prodeſt*, *quod tantæ pecuniæ congregatæ ſunt in epiſcopio Lateranenſi ab Honorio Papa*, *& miles iſte nihil exinde ſubventus habet*; *quando & rogæ veſtræ*, *quas Domnus Imperator vobis per vices mandavit*, *ibi ſunt a Sancto viro reconditæ?* Sic impius, quaſi militum gratia congregata forent munera, *quæ* (ait idem biographus) *diverſi chriſtianiſſimi Imperatores*, *Patritii*, *& Coſs. pro redemptione animarum ſuarum B. Petro Apoſtolo reliquerant*, *ut pauperibus ſingulis pro eleemoſynis* (ſeu *alimoniis*) *erogarentur*, *ſeu propter redemptionem captivorum* &c.

Edocent prolata verba, quo loco tantorum munerum congeries occuleretur. Verùm & illic congeſtum fuiſſe non dubito collatorum quandoque a civibus Romano Antiſtiti xeniorum cumulum, ex quibus fons idem augebatur papalium largitionum. An autem pars hæc olim fuerint theſauri S.R.E. certoſque in Clericos, alioſque (maximè pauperes) profunderentur, addiſcimus ex facto prælibati Hadriani II. *Ad Patriarchium Lateranenſe* (loquitur liber pontificalis n. 616.) *reverſus eſt* (Hadrianus) *& conſuetudinem ab eo*, *qui diverſorum xeniorum hinc inde confluentium* (*retentis ſolùm*, *quæ uſibus menſarum ſufficerent*, *reliquiis*) *pretia capiuntur*, *excluſit dicens*: *non eſt pium*, *quod gratis accipimus*, *pretio venumdare*, *& chariores habere rationabilibus fratribus irrationabiles nummos*, *pro quibus Chriſti pretioſus eſt cruor effuſus*. *Sed parvipen-*

XIV. Et xeniorum, quæ aliquando a civibus afferebantur.

dantur hæc, inquit, obſecro, hæc pudenda preciorum commercia, & , quod gratis accipimus, gratis juxta præcepta Domini largiamur, & oblationes Chriſti cum ejus hoſpitibus, ac inopibus partiamur, propter quos has nobis tribui divinitus ſcimus.

XV. Ac redditibus R. E. & paternis, aliiſque peculiaribus Pontificum.

Si externa, domeſticaque munera deficerent, exiſtimandum, quod Pontifices *presbyteria* ſumerent ex redditibus certis papalis ærarii, quorum aliqui ad eorum uſum vel ſpeciatim deputati forent ab Apoſtolicis ipſis, vel piorum largitorum præſcripto. Sanè author vitæ Hadriani I. num. 328. cit. codicis Anaſtaſiani meminit fundorum proventus, qui non egenorum ſolùm, ſed & *ſubſidiis Papæ, & ſacerdotalis collegii* applicandi aſſervarentur in theſauro Patriarchii Lateranenſis. Largitionibus publicis pontificiis perennem legavit proventum pius Anglo-ſaxonum Rex Ethelvulphus memor, retributorque, opinor, accepti beneficii, de quo (6) inferiùs. *Teſtamentum fecit, in quo præcepit... omni anno trecentas auri marcas Romam mitti, quarum B. Petro centum, & centum B. Paulo ad luminaria, centum Apoſtolico ad donaria expenderentur*, inquit de laudato Principe Willelmus Malmesburienſis lib. 2. de geſtis Regum Anglorum cap. 2. pag. 41. Quid verò, ſi & munera, & proventus deficerent? Bonæ voluntatis Pontifices e redditibus paternis, ac hæreditariis, ſi quas haberent, ſuccurrebant publici gazophylacii egeſtatibus. Illuſtre documentum ſuggerit Anaſtaſiana Bonifacii II. vita. Relege locum ſupra (7) haud inopportunè exhibitum. De Stephano VI. liber idem pontificalis: *Gravi mærore affectus eſt, quia, devaſtatis veſtiariis, horrea ſimul, & cellaria vacua inventa ſunt; &, quid erogaret Clero, & ſcholis non habebat, vel unde captivos redimeret, orphanos, & viduas paſceret in tam validiſſima, quæ inſtabat, fame, carebat, quid faceret. Converſus ad patrias facultates, quas inclyti ſui parentes poſſederunt, abſtulit, & larga dextra, prout poſſet, pauperibus* (c) *erogavit, & ita, Deo miſerante, factum eſt, ut famis inopia ſuo ſtudio mitigaret*. Num. 644.

(6) Sect. 9. §. 6.

(7) §. 7.

XVI. De veteri curatore, ac diſtributore *presbyteriorum*, ſeu largitionum papalium.

Vis tanta pecuniarum commendabatur curæ Archidiaconi

(c) Nota, ab authore Romano dici hìc erogatum ex facultatibus paternis pauperum turbæ, quod in *Clerum, ſcholas, captivos, orphanos, & viduas* erogandum fuiſſet e pontificia gaza ſupra dictum erat, ut ipſe contextus narrationis pandit. Id verò perbellè inſinuat, apud Eccleſiam Romanam nomine pauperum veniſſe Clericos etiam elatioris ſubſellii. Quod aſſerebam Par. 2. ſect. 3. §. 2.

coni S. R. E. quod evincit hiſtoria deteſtabilis facinoris deſcripti a biographo Cononis, & jam a nobis (8) repetiti. Eo ſaltem docente, deprehendimus, dimiſſa per obitum dona in poteſtatem Archidiaconi conferri conſueviſſe. Idipſum ſenſit Vignolius, qui addidit, per manus ejuſdem fuiſſe poſtea diſtributa, dum explicans (nota 2. num. 5. pag. 301. lib. pontif.) *benedictio in auro* quid fuerit, *rogam* interpretatur, *quam utplurimùm morientes Pontifices tam Clero, quàm monaſteriis, & hoſpitalibus in Diaconiis exiſtentibus per manus Archidiaconi dividendam relinquere ſolebant*. Archidiaconus vetuſtiſſima ætate Camerarii munere fungebatur, ſive papali præſidebat ærario. Quis neſcit? Quare ille veroſimiliter eroganti Pontifici propria manu ſuggerebat *presbyteriorum* portiones, quoties hoc ſollemnis occaſio poſceret, & reliquas aut per ſeſe, aut per interpoſitos ſecundarios miniſtros, quales *Cellarii*, & *Paracellarii* in locis ex vitis Zachariæ, & Hadriani tranſcriptis ſuperiùs (9) commemorati, atque etiam illis nobiliores *Saccellarii* aliquando dicti, de quibus perſpicuum teſtimonium præbet Johannes Diaconus author ſeculi XII. deſignans officia ſeptem Judicum ſacri palatii. *Primus* (inquit) *Primicerius*: *ſecundus, qui dicitur Secundicerius, qui ab ipſis officiis nomen accipiunt, qui in Romana Eccleſia in omnibus proceſſionibus manuatim ducunt Papam, cedentibus Epiſcopis, & ceteris Magnatibus, & in majoribus feſtivitatibus octavam ſuper omnes Epiſcopos legunt lectionem. Tertius eſt Arcarius, qui præeſt tributis. Quartus* (d) *Saccellarius, qui ſabbatho* (e) *ſcrutiniorum dat eleemoſynam, & Romanis* (f) *Epiſcopis, & Clericis, & Ordinariis* (ideſt cuicumque Romanorum Ordinum) *largitur* PRESBYTERIA. *Quintus eſt Protoſcriniarius, qui præeſt* (g) *Scri-*

(8) *Sect. præced.* §. 6.

(9) *Ibid.* §. 10.

(d) *Saccellarius* a *ſaccello* (de quo vocabulo nonnihil Par. 1. ſect. 8. §. 10. nota *b*) dictus, ſeu parvo ſacco, continente concreditam Eleemoſynario particulam eccleſiaſtici theſauri, quem *ſaccum* dictum probant obſervationes Bacchini ad vitam S. Eccleſii Epiſcopi pag. 56. Par. 2. pontificalis Ravennatenſis Agnelli, ubi etiam nomen *Saccellarii* indicatur fuiſſe proprium Theſaurarii. Sed circa *Saccellarium nonnihil* iterum ſect. 4. §. 1. nota *c*.

(e) Quodnam hoc Sabbathum? Aliquod utique ad tradendum, vel reddendum ſymbolum deputatum. V. in anteceſſum ſeq. ſect. §. 10. nota *r*, ubi de hoc rurſum.

(*f*) Lege itidem in anteceſſum notam *g* ad §. 5. ſect. ſeq.

(g) Non unum Romæ fuit olim (quod aſſero pariter de *Defenſoribus*) collegium *Scriniariorum*, quorum ſæpè meminere Ordd. antiqui. Collegium Pontifici proximius inſerviens memoratur etiam in recentiore ceremoniali R. E. Illud ſuppreſſum eſt poſtrema ætate, neque nunc auditur nomen *Scriniariorum*, quos aut *Notarios*, aut *Secretarios* (veluti, qui ſunt Notarii Cameræ) appellant.

Digitized by Google

Scriniariis, quos Tabelliones vocamus. Sextus primus Defenſor, qui praeſt Defenſoribus, quos Advocatos vocamus. Septimus Adminiculator, intercedens pro pupillis, & viduis, pro afflictis, & captivis. Pro criminalibus hi non judicant, nec in quemquam mortiferam dictant ſententiam, & Romæ Clerici ſunt, ad nullos unquam alios Ordines promovendi. Ita lib. de baſilica Lateranenſi tit. 8. ſeu append.II. to. 2. muſei Mabilloniani pag. 570.

SECTIO III.

§. I. Deſcriptæ largitiones unicè in commodum Cleri, populique conceſſæ.

TALIS erat œconomia, ſeu ratio vetuſtioris pontificiæ liberalitatis, publicè in homines ſe effundentis. In homines, adjicio, ad proprium commodum uſumve data munera converſuros; quia de tot teſtimoniis pro eadem exponenda prænotatis nullum deflecti debere ad ſignificandum, quàm liberales fuerint priſci Romani Antiſtites in ædificandis, reparandiſque urbanis eccleſiis Patriarchalibus, Titulis, Diaconiis, hoſpitalibus, monaſteriis, illiſque ſacra ſupellectile ditandis. Propterea non uſquequaque probamus deſcripta mox Vignolii verba; quum tacitò aliquid hujuſmodi ſubinnuant: omnino rejicimus, tanquam improbabile, quod ait Altaferra in notis ad cit. lib. pontifical. pag. 79. moras trahens ſuper portione *presbyterii* ex legato defuncti Benedicti II. *Manſionariis* debiti: *Ideo a Romanis Pontificibus bis erogari ſolebant pecuniæ ad tutelam, & refectionem ſacrarum ædium*. Alia ſunt, ac fermè innumera Anaſtaſiani codicis loca, ex quibus, quanta fuerit amplitudo liberalitatis papalis erga eccleſias Urbis, vel pueri colligant. Sed nihil hæc ad nos. Diſquiramus, an expoſita œconomia ſervata utcumque ſit poſteriori ætate; & primùm diſtinctè illa, quæ a decimo, undecimoque fluxit ſeculo uſque ad momentum conditi authoritate Innocentii VIII. poſtremi ceremonialis R. E. quo (juxta prænunciata) facta eſt non modica conſuetudinum eccleſiaſticarum Urbis converſio.

II. De largitionibus ætatis minùs antiquæ. Quæ, largitio ſabbathi ante Dominicam Gaudete.

Senſit profectò genus humanum per eam ætatem (quam minùs antiquam vocabimus) publicam papalem munificentiam, & quidem quum certæ ſollemnitates recurrerent per anni circulum, & quum extraordinariæ ſeu incertæ aliæ occaſiones inciderent, ſi fides paribus iis, quibus uſi ſumus pro comprobando ſtylo ſuperioris temporis, ſcriptionibus; ideſt, ri-

rituaſibus, ac hiſtoricis. In adventu Domini, cujus celebritas primas tenet nunc ordine temporum inter ſollemnia anni ſacri, veſperæ ſabbathi Dominicæ III. liberalem exhibebant Pontificem ſtationem dantem ad S. Petri. Ille (ut ſuo loco vidimus) lucrabatur quidpiam de gaza Piſcatoris; at de ſua, ſive de redditibus Cameræ, aureum Primicerio Cantorum tradebat, & potum in aula palatii. *Sabbatho de gaudete pergit* (Pontifex) *ad veſperas ad ſanctum Petrum* (hæc Cencius tit. 1. Ordinis num. 3. pag. 169. cit. to. 2. muſei &c.) *ubi* .... *Primicerio adnunciando antiphonam*: *juſtè*, *&* *piè vivamus*: *dat unum marabotinum vice* (leg. *in ore*) *ipſius projiciens*. Quod involutius exprimit Ordo Mabillonianus 13. ſeu Ceremoniale Gregorii X. num. 12. pag. 233. citati tomi. *Primicerius prænunciat antiphonam Papæ*, *alias verò tres dicunt Scholenſes* (hoc eſt, reliqui de ſchola Cantorum, aut forſan alii Clerici cappellares) *&* *Canonici S. Petri quintam*, *quæ eſt*: *juſtè*: *prænunciant Papæ*, *&* *idem Dominus Papa poſt talem prænunciationem accipit monetam auream de manu Camerarii*, *&* *ponit in ore ipſius prænunciantis*, *eodem prænunciatore tenente os apertum*. Ordo Cajetani (apud dictum tomum muſei pag. 377.) cap. 98. *Habet* (Dominica III. adventus) *veſperos præcedentes papales ſollemnes cantandos in eccleſia*, *&* *datur potus poſt veſperas*. De hoc potu, ſeu refectiuncula jam ævo ſuo abrogata Piccolomineus in Ceremoniali R. E. *In hac die* (Dominica III. advent.) *conſueverunt antiqui Romani Pontifices celebrare*; *erant enim veſperæ papales præcedentes*, *&* *potus in aula*. Tit. de eadem Dominica.

III. Pervigilii natalis Domini.

Meminit in Ordine 11. inter Mabillonianos (num. 14. pag. 125. cit. to. 2. muſei) Benedictus Canonicus cœnam paratam, & tranſmiſſa dona in pervigilio (ut videtur) nativitatis Chriſti Jeſu, inquiens: *Iſto die ſtatio ad S. Mariam majorem*, *ubi Dominus Papa miſſam cantare conſuevit cum ſcholis Clericorum*, *&* *familia palatii*. *Et Epiſcopus Albanenſis* (a) *debet*

(a) Unde hoc? An pro conceſſo in Urbe domicilio? An propinquitas hujus ad Liberianam baſilicam cauſſa oneris? Niſi falſa obtrudit Bartholomæus Piazza pag. 291. col. 1. Hierarchiæ ſuæ Cardinalitiæ, hoſpitabatur Albanenſis Antiſtes prope Titulum S. Clementis in via *majore* nuncupata, & quidem in ædibus ad Curiam probabiliter pertinentibus. Epiſtola 152. Innocentii III. (apud Balutium to. 2. ejus epiſtolar. lib. 15.) directa *Priori*, *&* *Conventui Lateranenſi* litigantibus cum *Clericis baſilicæ S. Laurentii de palatio* ſuper finibus parochialibus *ſcalam Epiſcopi*

bet facere cœnam optimam toti Curiæ , & debet mittere ad Curiam duo optima buſta porcorum . At non hæc ad Papæ liberalitatem . Spectat ad illam , quod fert (num. 14. pag. 234. cit. to. muſei) Ceremoniale Gregorii X. quum , deſcriptis ceremoniis veſperarum pervigilii , *redeunt* , ait , *ad aulam Papæ , ubi parata ſunt vina multa , & claretum , & ſpecies* . Et Ordo Cajetani pag. 323. cap. 66. ubi de off. vigiliæ Nativitatis . *Statio ad S. Mariam majorem . Conſueverunt Romani Pontifices hactenus pergere ad S. Mariam majorem , & cantare ibi miſſam de vigiliis , & cœnare ibi , & poſt cœnam veſperas decantare : peractis autem veſperis , datur potus in aula : & Dominus Papa remanebat ibi , & pernoctabat , & ibi ſtabat , toto ibidem apparatu Curiæ exiſtente* . Et Ordo Cardinalis de Eſtouteville , aliàs Rothomagenſis , ſeu additio ad cap. 67. Ordinis Cajetani pag. 326. dicti to. muſei . *Notandum , quod , ſi Papa ſit Romæ , hanc miſſam* (vigiliarum) *debet celebrare ad Præſepe Domini , & de ſero ibidem , & cum Clericis , & Nobilibus Urbis facere potum in aula* . Et Ordo Petri Amelii tit. 5. quo de vigiliis præfatis pag. 449. &c. *Potus fit in aula poſt veſperas* . Quæ ſanè , quum nihil ferant de obligatione Albanenſis Epiſcopi , inſinuant , largitiones illas actas fuiſſe pontificiis expenſis , quando poſteriores Benedicto ſcriptiones concinnabantur &c.

IV. Diei natalis ejuſdem ex Benedicto Canonico.

Verùm idem Benedictus varias notat, papales procul dubio, largitiones uſitatas ipſo die nativitatis Dominicæ. Scilicet, commemorata celebratione ſtationis ad S. Mariæ majoris poſt expletam tertiam miſſam , qua acceperint *tres ſolidos pro* (b) *lau-*

---

pi Albanenſis (adeoque ejus domum) circa ea loca ponit , nec longè multùm a *patatio majore* . Quod meliùs colligetur ex ordine 10. Mabillon. §. 2. quo agit *de feria quinta* in cœna Domini , & ſtatione ad S. Johannem Lateranenſem pag. 97. cit. to. 2. muſei &c.

(*b*) Uſus canendi , dicendi , faciendi *laudem* , ſive laudes , qui nunc etiam viget, perantiquo acclamandi , fauſtaque precandi uſui conſonat, de quo tractationem edidit Franciſcus Bernardinus Ferrarius . Et quidem ille inter exempla acclamationum recenſet *laudes* Pontificibus factas , quarum extat formula ex antiquioribus, & vetuſtioribus haud dubiè profluens , in ceremoniali R. E. lib. 1. ſect. 2. *de conſecrat. & coronat. Papæ* . Laudabantur verò olim non minùs Antiſtites ſummi (præſertim quum faſtigium Dignitatis conſcenderent) quàm reliqui eccleſiarum Præſules , atque etiam Principes ſeculi . Teſtimonio erit pro laudibus Præſulum , quod actum narrabimus ſect. 10. §. 2. poſt ordinationem Presbyterorum Cardinalium . Sed mox cit. ceremoniale (lib. 1. ſect. 5. cap. 2.) ipſam exhibet laudandorum Principum formulam , quæ pariter videri poteſt to. 3. de antiq. Eccl. ritib. Martenii lib. 2. cap. 9. pag. 666. & 667. in Ordine 3. *Benedictiones ad ordinandum*

laude cantata ante epiſtolam Archidiaconus, aliique (ut eſt num. 19. pag. 127.) equitaſſe Papam narrat (num. 22. pag. 128.) ad baſilicam Zachariæ Lateranenſem, & a Cardinalibus, nondum facto deſcenſu ex equo, laudes iterum excepiſſe; *inde pro laude*, inquit, *accipiunt tres ſolidos*. Subdit poſtea (præter alia) pag. 129. *Dominus Papa deſcendit de equo. Primicerius Defenſorum, & Secundicerius ſuſcipiunt eum per manus, & ducunt uſque in cameram: ubi dat* PRESBYTERIUM *omnibus. Iſtis verò die Natali, & Paſcha dat omnibus* (c) *Prioribus manum, ideſt*, PRESBYTERIUM *duplum. Præfecto ſcilicet* XX. *ſol. & manum. Primicerio Judicum* IIII. *ſolid. & manum. Unicuique Epiſcoporum* (III. *ſolid.*) IIII. *ſolid. Priori Cardinali, & manum. Unicuique Cardinali* III. *ſolid. Primicerio Cantorum* III. *ſolid. & manum. Secundicerio Cantorum* II. *ſolid. Priori baſilicario* II. *ſolid. &* VII. *denar. unicuique Cantori* II. *ſolid. Priori baſilicario* II. *ſolid. Unicuique Subdiacono* II. *ſolid. Priori regionario* II. *ſolid. & manum. Unicuique eorum* II. *ſolid. Unicuique Acolytho* II. *ſolid. duobus Dilungariis* (d) *octo ſolidos: Scriniariis decem ſolidos: Majorentibus* (e) *quinque ſolidos: Dra-*

 co-

dum Imperatorem Occidentis, præſcripto, eductoque de ms. codice Gemundenſi. Græcanici Imperii Auguſtis publicè procedentibus ad agendas majores ſollemnitates per ea verba Μεδέντι πολλὰ ἔτη potiſſimùm acclamatum teſtatur epiſtola Luitprandi de Legatione ſua &c. Aliàs laudes, ſeu acclamationes antiquitùs (reſpectu laicorum) videbantur quaſi ſpecies electionis, ſeu ejuſdem approbationis, quod fortaſſis explicant verba Anaſtaſii referentis geſta in coronatione Caroli Magni: *Carolo piiſſimo, auguſto, a Deo coronato, magno, pacifico Imperatori vita, & victoria ante ſacram Confeſſionem B. Petri Apoſtoli plures Sanctos invocantes ter dictum eſt, & ab omnibus eſt conſtitutus* (Carolus) *Romanorum Imperator*. Vid. lib. pontif. in *Leone* num. 376.

(c) Collegiorum *Prioribus*, ſive *Decanis* etiamnum alicubi ex veteri inſtituto duplum datur in aliquibus diſtributionibus. Habeo exemplum apud baſilicam S. Mariæ trans Tyberim, qua prior Canonicorum non unica donatur candela, quoties diſtributio candelarum fiat ſive in obſequiis defunctorum, ſive aliis quibuſvis occaſionibus &c.

(d) Apud Luitprandum Ticinenſem cap. 5. lib. 3. hiſtor. Legationis ad Nicephorum Phocam *Delongariſtis ploas* dicitur ille, qui *navigantibus præerat*. Chartarius (pag. 98. Syllabi Advocator. Conſiſtorial.) quod eſt: *Præfectus Navalium, qui dicitur Sangari*; in textu Cencii §. ſeq. exhibendo, legit, *qui dicitur Dilungaris*. Conjiciendum hinc Romanos *dilungarios* laicos viros fuiſſe, quos & *Navales dicerent*, ſeu *navalibus* præſidentes.

(e) *Majorentes* (al. *Stimulati*, aut *ſchola Stimulati*) genus militiæ pedeſtris, non equeſtris, ut vult Macrus in Hierolexico, neque compoſitæ ex iis, qui nunc *Lance ſpezzate* appellantur. Sic [illegible]em *Majorentum* munus erat, quod nunc maximè cohortis Helveticæ, populos arcere circa equitantem Pontificem irruentes; pro-

conariis (f) v. *ſolid. & aliis ordinibus, ſicut mos eſt*. Hæc ibi Benedictus, qui paullò poſt ait num. 23. *dato* PRESBYTERIO, *intrant ad menſam*: adjicitque deſcriptionem diſpoſitionis convivii, quædam de lectione, aliiſque: deinde: *Pontifex mandat Acolythum, ut ſurgant Cantores, & cantent ſequentiam modulatis vocibus, qui ſurgentes faciunt imperata. Finita ſequentia, vadunt, & oſculantur pedes Pontificis, & accipiunt a Saccellario unum bizantium: & Dominus Papa dat eis coppam plenam potione ore ſuo, & bibunt. Finito convivio, omnes redeunt ad domos ſuas* &c.

V. Ex Cencio. Prolixior eſt in iis recenſendis Cencius. Expoſita ſollemni equitatione, de qua Benedictus, ita fatur: *Tunc Judices, & Advocati veniunt ei obviam ſub gradibus in porticu. Ibique Prior Cardinalis S. Laurentii foris murum cum Judicibus, & Advocatis faciunt ei laudes: & ibi Dominus Papa deſcendit: &, depoſito regno, accipit mitram. Deinde Judices ducunt uſque ad locum illum, ubi datur* PRESBYTERIUM. *Tunc verò exuunt eum planeta, &, appoſito manto ſuper ſcapulas, ſedet in fonſlatorio* (al. *foſteſtorio*) *ſeu cathedra, & largitur* PRESBYTERIUM *cunctis ordinibus propria manu*. Uſque huc pagina 168. &c. tit. 1. num. 2. Proſequitur tit. 2. num. 4. *Priori Epiſcopo* (g) *Romanæ Eccleſiæ dat Dominus Papa duplicatum* PRESBYTERIUM, *ſcilicet quatuor* (h) *melequinos, & quatuor ſoli-*

propterea que *ipſa* equitationis *die comedere* debebant cum Domino Papa, ſicut habet Cencius tit. 23. num. 47. pag. 199. &c.

(*f*) Hoc eſt, ſigna præferentibus, ſive haſtis cum capitibus ſerpentum, & *draconum*, quorum myſterium reſerare nititur cit. opere Macrus ad lit. D. Officium verò inſtitutumque paſſim Eruditi plures enunciant. Si placet, videſis, quid de illis ſcripſerit adnotator ad chronicon Caſſinenſe a clariſſimo Muratorio iterum publicatum to. 4. Scriptor. rer. Italic. Meminit enim chronicon *draconarios* cum aliis, qui occurrerunt Imperatori, ut oſtendet locus dandus ſect. 9. §. 8.

(*g*) *Epiſcopi R. E.* vocantur hìc, alibique, qui communiùs Epiſcopi Cardinales, ſive Suburbicarii, vel ſuffraganei Papæ. Vide Thomaſſinum de veteri, & nova diſciplina Par. 1. lib. 2. cap. 116. num. 6. pag. 607. col. 1. edit. 2. latinæ. Origo denominationis aut ex eo petenda, quòd ita diſtinguerentur ab cæteris Epiſcopis Romam adventantibus, vel aliis titulo epiſcopali inſignitis, & Curiæ inſervientibus (de quibus mox Cencius) *forenſium* nuncupatione cognitis, ſicuti inſinuat idem Camerarius hìc, & loco allegando ad §. 12. aut quòd vice Rom. Pontificis ſacrificarent intra hebdomadam ad altare baſilicæ Lateranenſis, quæ Romanum Patriarchatum repræſentare ferebatur juxta dicta Par. 2. ſect. 10. §. 11.

(*h*) *Melequini*, aliter *malachini*, vel *meloquini* (quemadmodum legit alicubi Cangius) necnon *marabotini*, & *Saraceni* (de quibus hìc, & alibi) monetarum erat turba in Italiam, aliaſque chriſtiani orbis provincias devecta ex Hiſpania, quæ

ſolid. XII. *denarior. papienſ. Omnibus autem Epiſcopis, & aliis Curiæ* II. *marabotinos, &* II. *ſolid. papienſ. ſingulis ſimiliter. Si fortè Archiepiſcopus aliquis extraneus tunc præſens fuerit, pro voluntate D. N. Papæ datur ei* PRESBYTERIUM; *ſed de portione tantum debet habere, quantum ſupradictus prior Epiſcoporum,* IV. *ſcilicet melequ. & totidem ſolidos. Si verò aliquis Epiſcopus extraneus fuerit, unum melequinum debet habere, & duodecim denarios papienſes. Priori Presbyterorum Cardinalium dat D. Papa* II. *meleq. & totidem ſolidos pro prioratu. Priori Presbyteror.* (Cardd.) (*i*) *S. Laurentii foris murum pro laude* II. *ſimiliter meleq., & totidem ſolidos: omnibus & ſingulis aliis Presbyteris Cardd.* I. *melequ. &* XII. *denar. papienſ. Priori autem Diaconorum Cardinalium* IV. *melequ. & totidem ſolid. pro prioratu,* PRESBYTERIO, *& laude Diaconor. & Subdiaconor. Omnibus autem Diaconibus, & ſingulis* I. *melequ. &* XII. *denar. papienſ. Diacono Græco* I. *melequ. &* XII. *den. papienſes. Priori Subdiaconor.* I. *melequinum: omnibus aliis Subdiaconib. ſimiliter, ſi etiam centum eſſent, videlicet quinque, vel plus, aut minùs* XII. *melequinos. Subdiacono Græco* I. *melequinum. Unicuique ſcholæ Cantorum* I. *melequ. Unicuique ſcholæ Crucis, qui eſſe debent ad plus quatuor, & non plures* (I. *meleq.*). *Priori Cappellan. D. Papæ unum melequ.* (*unicuique Cappellanor. D. Papæ* I. *melequinum*). *Præfecto Urbis* XI. *ſol. den. papienſ. qui videl. Præfectus ab eccleſia S. V. Mariæ uſque ad palatium indutus manto precioſo, & calceatus zanca* (k) *una aurea: ideſt una caligas altera rubea, eadem die, &* II.

quæ cum Saracenis magnam ſui partem tranquillè poſſidentibus commercium aliquod Reip. cauſſâ fovebat. De marabotinis Hiſpanienſibus nonnulla cit. Cangius in gloſſario. Ceterùm barbaricæ monetæ, vel ſaltem barbarorum nomen noſtris uſibus circa ætatem Cencii permiſceri potuit occaſione expeditionum Cruce-ſignatorum in Orientales plagas, & ſacrarum peregrinationum in Paleſtinam, per quas illuſtrata ſunt ſecula nondum ultimis ſchiſmatibus, atque hæreſibus Occidentalium inquinata, uti ſciunt omnes, ac demonſtrant hiſtoria (*des Croizades*) Lud. Maimburgi, diſcurſus prævius ad to. 18. hiſt. eccl. Fleurii, libellus Gretſeri de ſacris peregrinationib. &c. Monetarum Orientalium meminere Jacobus de Vitriaco lib. 3. geſtor. Dei per Francos ad an. 1125., annales Matthæi Pariſii ad an. 1193. p. 122. & ſeq. &c.

(*i*) E ſeptem, opinor, ibi miniſtrantium per hebdomadam, juxta Patriarchalium morem, de quo Blanchinus, Baronius, Panvinius, aliique paſſim.

(*k*) Circa *Zangam*, ſeu *Tzangam* aliqua in gloſſario ad Capitularia (pag. 748. co. 2. collect. Baluz.) Franc. Pithæi. Hujus vocabuli veſtigium ſervavit Italorum proverbium: *guarda la cianca*. Quod monitum inter factioſos per caligas diſtinctos frequens erat, ferventibus quondam civilibus diſſidiis, Italiæ fatalibus.

Digitized by Google

die, *&* *etiam in duabus diebus Paſchatis*, *&* *quando Papa eligitur*, *juxta D.Papam collateraliter*, *nullo medio*, *equitando incedit*. *Senatorum* (nunc Conſervatorum) *verò*, *qui tunc Vrbi præſunt*, *medietas accedit pro* PRESBYTERIO, *&* *ad comedendum cum D.Papa*, *quorum uni D.Papa*, *vel duobus pro omnibus aliis* PRESBYTERIUM *pro unoquoque Senatore* I. *melequ. dat D. Papa*. *Vnicuique Judicum Vrbis* I. *melequ.* *&* XII. *ſolid. denarior. papienſ. excepto Priore*, *qui debet habere* I. *melequ. pro prioratu*, *&* I. *melequ. pro laude*. *Vnicuique Advocatorum* I. *melequinum*, *&* II. *ſolidos denarior. papienſ. Omnibus Scriniariis*, *quotquot ſunt*, VI. *melequinos*, *&* VI. *ſolidos denarior. papienſ. Præfecto* (l) *Navalium*, *qui dicitur Sangari*, II. *melequinos*, *&* IV. *denar. papienſ.* Numero 5. deſcribit Cencius convivium, & cantum *ſequentiæ*, ceteraque geſta *in baſilica* (ut ait) *Leonis III.*, nempe in Leoniano triclinio. Quod addit præmemorato num. quarto, tot Romanæ Curiæ ordinibus deſcriptis (*ſciat ſecutura poſteritas*, *quod nulli alii D.Papa propria manu*, *niſi ſuperiùs notatis*, *debet* PRESBYTERIUM *dare*) donandos alios prædicat. Equidem donabantur ea die ſcholæ Urbis plures, de quibus hæc eximius Cardinalis tit. 19. num. 42. pag. 195. *Hoc eſt* PRESBYTERIUM *ſcholarum* (m) *Vrbis*. *Addextratoribus* (n) X. *ſol.proviſin.* *&* *duo ſol.pro regno*. *Oſtiariis* X. *ſol.*

(*l*) De *Navalibus* ſupra in nota *d*.

(*m*) Confirma hinc, quod monebam Par. I. ſect. 6. §. 1. in nota *a*. Sunt enim, quæ ſequuntur hìc, *ſcholæ*, collegia laicorum.

(*n*) Verbum *addextro* (unde *Addextratores*) ſonat a lateribus ſtare incedentium, maximè Principum vectorum equis, quos *dextrarios*, *magnoſque* vocant literæ Regis Eduardi III. to. 6. collectionis Anglicanarum chartarum Rymeri pag. 124. col. 1. *Unus egregius miles de genere Rhodenſium eleganter indutus cum chirothecis in manibus de camera Pontificis ſumptis dextrat*, *&* *ducit eum per frænum*, ait ceremoniale Ambroſianum Archiepiſcopum Mediolanenſem repræſentans equitantem Dominica Palmarum &c. apud Puricellum de monum. baſilicæ Ambroſ. p. 57. n. 52. Joh. Villanus (nondum depoſita per Italos latino-barbari idiomatis conſuetudine) deſcribens Etruſco ſermone pompam equitantis ad S. Petrum Ludovici Bavari lib. 10. hiſtor. cap. 56. inquit: *Era adeſtrato da quattro Capitani Senatori*, *e Cavalieri*. Hinc, quotquot aliquando Pontifices incedentes, equitanteſque comitabantur, *Addextratores* dici potuerunt. Sed, qui hìc tales dicuntur, ſpecialem conflabant laicorum ſcholam, quos *Judices* fuiſſe vult Raſponus (allegandus ſect. 6. §. 13.) *ab utroque latere incedentem Pontificem comitantes*; ego potiùs ſtabuli Præfecti, ſeu Mareſchalli majoris (ſeq. §. memorandi) miniſtros, ſocioſve crederem. Porrò de *Judicibus* non hìc agitur, quorum *presbyterium* in alio ex datis locis jam annotaverat Cencius; & officia, quæ *Addextratorum*, horumce propria dicit idem author tit. 20. num. 43. p. 196. &c. ut a conditione Ma-

re-

ſol. proviſin. Mappulariis v. *ſol. proveſ.* & XII. *denar. pro tobalea. Majorentibus* v. *ſol. proveſ. Cubiculariis* v. *ſol. proveſin. Vaſtarariis* v. *ſol. proveſin. Fiolariis* v. *ſol. proveſ. Ferrariis pro* (fortè *de*) *columna* IV. *ſol. proveſ. Calderariis* IV. *ſol. proveſin. Bandonariis* (o) *Coloſæi* X. *ſol. proveſin. Coſpalariis* IV. *ſol. proveſin. Mandatariis* X. *ſol. proveſin. Muratoribus S. Petri* VIII. *ſol. proveſin. aliis Muratoribus* v. *ſolid. proveſin. Bandonariis Cacabarii* X. *ſol. proveſin. Judæis* XX. *ſol. proveſin*. Erant & alii *presbyterium* participantes, portione tamen accepta juxta libitum Camerarii. Verùm de illis (1) infra. Ad prænunciatos quod attinet, ſubjungit Cencius: *Notandum, quod* PRESBYTERIUM *ſupradictum prædictis ſcholis datur propter ſervitium, quod exhibent Curiæ Romanæ, ut inferiùs*. De aliis donis, donandiſque hac die rurſum ſeqq. ſectionibus.

(1) Sect. 6. §. 6. & 7.

VI. Atque etiam alii:

Ordines alii poſteriores ceremoniali Cencii ſuorum quiſque temporum largitiones natalitias haud multis narrant. Amelii Ordo, ubi de prima miſſa ad S. Mariam majorem tit. 9. pag. 452. &c. *Notandum, quod, ſi Papa ſit Romæ, hanc miſſam debet celebrare ad Præſepe Domini, & de ſero ibidem cantare veſperas, & potum cum Clericis, & Nobilibus facere in aula ... Presbyteri, & Cappellani recipiunt* XII. *denarios, qui vocatur* PRESBYTERIUM, *de quibus medietas eſt Sacriſtæ juxta ordinem Vrbani* (quinti). Titulo ſeq., quo de miſſa ſecunda pag. 453. &c. *Et Curia debet dare* PRESBYTERIUM. Titulo 12. pag. 454. &c. *Completa miſſa, ſi ſit in Vrbe* (loquitur

reſchalli, ejuſque miniſtrorum nihil, ita multùm abhorrent a conditione Judicum. Erant autem, cuſtodire regnum occaſione coronationum &c., *addextrare* per viam Pontifices euntes, ac redeuntes e quacumque ſtatione (propter quæ, ut monet Cencius, *comedebant cum D. Papa*), necnon *addextrare* Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Abbates ad Pontificem pro *conſecratione* accedentes &c.

(o) De *bandis*, ſeu *bannis*, pedeſtris militiæ ſignis, Pontifici pompa maxima equitanti præferri ſolitis, non rara eſt memoria apud Scriptores medii ævi. Tunc *Papa levatur* (inquit notans coronationem Gelaſii II. Pandulphus Piſanus in ejus vita ex edit. Cajetani p. 5.) *niveum aſcendit caballum, coronatur, & tota civitas cum eo coronatur, per viam ſacram gradiens Lateranum aſcendit, bannis, & inſignibus aliis eum præcedentibus, atque juxta Romanum ritum, moremque ſequentibus*. Memorat *ſigna*, & *bandos* populi Romani epiſtola ſchiſmatica Canonicorum S. Petri deſcripta lib. 2. hiſtoriæ Radevici cap. 66., & ſigniferos cum *bannis* (al. *bandis*) præcedentes Eugenium III. Nicolaus Roſſelius Aragonius, cujus verba proferentur §. 12. ſectionis 6. Quare per *bandonarios* (de quibus hìc, & inferiùs, quoſque in coronationibus comediſſe *cum Domino Papa* tradit alibi Cencius) notari exiſtimo ejuſmodi ſigniferos, ceterò *banderenſes* vocatos in poematio Petri Amelii ad locum allegandum ſect. 7. §. 1. &c. Rememora dicta P. I. ſect. 10. §. 8.

Digitized by Google

tur de m. miſſa, & reditu ad palatium) *accipit regnum de manu Mareſchalli majoris, & geſtat ibi uſque ad gradus palatii*: notat inde, quod Judices, & Advocati laudes facerent, ac Pontifex acciperet mitram: poſtea: *Quæ hic continentur* (videlicet, aliquot ceremoniæ) *non ſervantur modernis temporibus: deinde Judices ducunt eum uſque ad locum, in quo datur* PRESBYTERIUM: *ſedet in cathedra: manibus propriis dat* PRESBYTERIUM *Cappellanis, Commenſalibus, & aliis*. Sequitur de proceſſu ad menſam. Qui tempore anteivit Amelianum, Ordo Cajetani agens de miſſa tertia hæc habet cap. 70. pag. 327. &c. *Statio ad S. Mariam majorem*: mox enarrato, quod Papa, expleta miſſa, regno ornatus equitaret ad palatium; & quod, obviam procedentibus ad gradus ejuſdem palatii Judicibus, canerentur laudes: *ibi Judices ducunt eum* (depoſito regno, pedibus ſe portantem ſuis) *uſque ad locum, in quo datur* PRESBYTERIUM. *Tunc verò exuunt eum planeta, & appoſito manto ſuper ſcapulas, ſedet in conſiſtorio, vel cathedra, & manibus propriis dat* PRESBYTERIUM. *Sciendum, quod Cappellani recipiunt pro* PRESBYTERIO *illa die unum malachinum, & in omni coronatione ſua tantum*. Ceremoniale Gregorii X. Ordine Cajetani antiquius num. 15. pag. 234. &c. *Dicit* (Pontifex) *veſperas in cappella cum Cappellanis ſuis. Eodem die omnes Pœnitentiarii cum eorum famulis, & Eleemoſynarius hebdomadarius, & Vicecancellarius cum tota Cancellaria venit videre Papam, & Papa dat omnibus ſpeciem* (p) *& vinum*. Additio ad Ordinarium Amelii (pag. 541. cit. to. 2. muſei) referens cap. 165. Bonifacium IX. anno 1398. præ infirmitate ſe abſtinuiſſe a celebrandis officiis natalis Domini: *In prandio Dominus Camerarius cum Auditoribus, & Pœnitentiariis tenuit tinellum*, utique impenſa Pontificis. Poſſem & huic, ceterorumque textibus conjungere quidquid latiori etiam ſtylo expreſſit inediti codicis author. Sed placet illud inter teſtimonia paſchalium largitionum collocare. Vide infra (a).

(a) §. 15. & ſect. ſeq. §. 8.

VII. Quæ largitio diei S. Stephani.

Curia extra Urbem commorante, ſervabantur utcumque largitiones natalitiæ, maximè donativum ſuprema manu ſolitum exhiberi laudata die. Documento erit hiſtoria Thomæ

(p) An *piper*, de quo §. 7. ſectionis ſequentis? An *confectiones* erant, *quæ ſpecies vocantur*? *Ponuntur deinde vinum, & confectiones, ſive ſpecies, ut habent antiqui codices*, ait author ceremonialis R. E. lib. 1. ſect. 3. loquens de fine ſolemnis convivii papalis.

mæ Stubbs aptiùs recitanda poſt expoſitas largitiones diei S. Stephani, de quibus ita Benedictus Canonicus num. 24. Ordinis ſui pag. 130. cit. to. muſei: *Pontifex vadit ad S. Stephanum* (in Cœlio monte) *ubi eſt ſtatio: ibi cantant miſſam, ſicut in die natali Domini cum laude. Qua finita, rediens ad palatium coronatus, acceptis laudibus a Cardinalibus, & Judicibus, & dato* PRESBYTERIO *ſine manibus, & convivio celebrato, ſicut ſupra dictum eſt: ſic omnes recedunt*. Cencius Camerarius tit. 3. num. 8. pag. 172. &c. *Cetera fiunt, ſicut prima* (octidui natalitii) *die, excepto* PRESBYTERIO, *quod ſic datur. Unicuique namque Epiſcoporum Curiæ dat Dominus Papa duos melequinos, & duos ſolidos papienſes. Unicuique Presbyterorum Cardinalium unum melequinum, &* XII. *denarios papienſes; excepto Presbytero S. Laurentii, cui dantur duo pro laude, &* PRESBYTERIO. *Unicuique Diacono Cardinali unum melequin. &* XII. *den. papien. excepto Priore, cui datur unus ampliùs pro laude. Unicuique Archiepiſcoporum* II. *Unicuique Epiſcoporum forenſium unum melequin. &* XII. *den. papienſ. Omnibus aliis, ſicut altera die, & excepto, quod Subdiaconi omnes non habent, niſi* XII. *melequ. cum Priore, & etiam Præfectus non habet, niſi* XII. *ſolid. den. papienſ. Dato* PRESBYTERIO, *ducitur Papa ad menſam ſicut die prima*. In Ordinario S. R. E. ſeu Cajetani (juxta codicem Cardinalis Rothomagenſis) cap. 72. legitur, Pontificem, feſto S. Stephani celebrato, cum honore regni, laudumque devectum ad conſuetum locum, e cathedra dediſſe *propriis manibus* PRESBYTERIUM *Cappellanis* (ideſt, ordinibus Cappellæ) *prout in coronatione*. Addit, quod, *presbyterio* dato, perrectum ſit ad menſam. Nec ſatis. *Illa die* (inquit) *Cappellani commenſales, Acolythi, & Auditores comedunt cum Papa ſplendidè, & in collatione datur* PRESBYTERIUM. Sic ibi pag. 340. cit. tom. 2. muſei Italici.

VIII. Ac Epiphaniæ.

In feſto Epiphaniæ liberalitas quoque emicabat Romani Pontificis. Colligitur ex hiſtoria, ſive actis Ebroicenſium Epiſcoporum Thomæ Stubbs. *In ſollemnibus proceſſionibus equitando factis, quando more Apoſtolico coronatus fuit, ſicut in die natalis Domini Auguſtoduni, & die Epiphaniæ Cluniaci, Epiſcopus Hoſtienſis, qui magiſter inter eos, & dignior erat, eum parem ſibi eſſe voluit, &, peracto tantæ ſollemnitatis officio, Archiepiſcopus, ſicut & ſui Cardinales, biſuntæos* (q) *aureos,*

(q) Fortè *Biſantæos*.

reos, *quod* PRESBYTERIA *vocant*, *a Domino Papa ſuſcepit*. Loquuntur acta de Gelaſio II. in Galliis degente.

IX. Diei Carniſprivii.

Quinquageſimæ Dominica, ſeu die Carniſprivii recurrente, genus aliud largitionis uſitatum docet Gregorius X. in decreto, quo ejus abuſus comprimit per hæc verba. *Quia dicebatur eſſe conſuetudo Romanæ Eccleſiæ ab aliquibus retro temporibus obſervata, quod Ribaldis* (r) *in die Carniſprivii circa veſperas in domo Domini Papæ dabatur eleemoſyna, cuilibet medium fruſtum de carnibus, unus panis, & unus ſcyphus vini cuilibet annuatim. Propter quod dicti Ribaldi in tantam inſolentiam prorumpebant, quod aliis pauperibus nihil ſibi recipere permittebant, ſed eos verberabant, & expellebant, niſi eſſent Ribaldi, ut ipſi. Ideo SS.Pater, & Dominus Gregorius Div. provid. Papa X. prædictam conſuetudinem totaliter revocavit, ac ipſam de domo papali radicitus extirpari præcepit, & voluit. Nolens tamen, nec intendens eleemoſynam in reliquo mutilare, voluit, & præcepit, ut tantum quantum dari conſuevit dictis Ribaldis, ſcilicet C. bibande de pane, unus bos, L. taſſiæ vini pauperibus dicta die, & hora communiter erogetur; &, ſi tunc Ribaldi veniunt, eis una cum aliis pauperibus eleemoſyna non negetur. Datum Lugduni pontificatus dicti D. Gregorii anno* II. Decerpſi hanc revocationis chartam ex regeſto documentorum annexorum Parti II. hiſtoriæ Placentinæ eccleſiæ Petri Mariæ Campi num. 140.

X. Dominicæ lætare; & ſabbathi ſcrutiniorũ.

Publicæ largitionis ſpecies erant conceſſio roſæ (s) aureæ facta per manum Pontificis Præfecto Urbis, aliive, præſertim qui ſibi equitanti geſtantique eamdem die Dominica *lætare* frænum equi tenuiſſet: necnon eleemoſyna Sabbatho (t) *ſcrutiniorum* diſpenſanda per Saccellarium. Memorat hanc Johannes Diaconus loco jam (3) ſupra deſcripto. Alii conceſſionem ro-

(3) *Sect. præced.* §. *ult.*

(r) Cangius in gloſſario *Ribaldos* interpretatur *vagabonds*. At varia *ribaldorum* genera. Videſis idem gloſſarium præter onomaſticum vocum exoticarum in calce to. 5. Anecdotorum Martenii, & Urſini Durandi. Præclarus eſt textus vitæ B. Johannis Montis mirabilis erutæ de chronico abbatiæ Longipontis &c.

(s) De ritu, ac origine benedictionis *roſæ aureæ* non pauca Eruditi, potiſſimè Carolus Chartarius in opuſculo cui tit. *La roſa d'oro pontificia* &c.

(t) Non uno antepaſchali ſabbatho (præter alios dies) agebantur *ſcrutinia* Catechumenorum. Conſule Jerolexicon Macri ad voc. *ſcrutinium*, miſſis ceteris. Sed forſan hic exprimitur ſpeciatim ſabbathum ſanctum, de quo ita Ordo 7. Mabillonianus num. 9. pag. 82. to. 2. muſei: *revertuntur* (Cathecumeni) *ad eccleſiam*, *& tunc cathechizantur*, *& reddunt ſymbolum*, *& baptizantur*, *& complebuntur ſeptem oblationes eorum* &c.

roſæ. *Si Papa celebrat* (ad S. Crucis in Hieruſalem, alibive) *dat roſam poſt deſcenſum ſuum, ſi verò non celebrat, dat roſam in camera ſua .... Papa dat ei roſam, & ille oſculatur ejus manus, & pedes, & redit ad domum ſuam cum roſa decenter*. Verba ſunt cit. Ordinis 13. Mabilloniani, ſeu laudati Ceremonialis Gregorii X. num. 20. pag. 236. &c. De roſa Fulconi Comiti Andegavenſi donata ab Urbano II. hæc ipſe Fulco in hiſtoria Andegavenſi num. 8. pag. 396. to. 10. Spicilegii Dacheriani: *Media Quadrageſima* (Turonis Urbanus II.) *coronatus eſt, & cum ſolemni proceſſione ab eccleſia S. Mauricii ad eccleſiam B. Martini deductus; ubi mihi florem aureum, quem in manu gerebat, donavit, quem ego etiam ob memoriam, & amorem illius in* (u) *Oſanna ſemper mihi, meiſque ſucceſſoribus deferendum conſtitui*.

XI. Feriæ v. in cœna Dñi juxta varios ſcriptores liturgicos, maximè Benedictum Canonicum.

Sanctioris hebdomadis dies per publicam papalem munificentiam pariter decorabantur, potiſſimùm quinta in cœna Domini. Benedictus Canonicus num. 41. pag. 137. &c. congeſtis pluribus ſuper cœna Domini, & lotione pedum XII. Subdiaconorum per Pontificem agenda, ac deſcriptis variis modulationibus Primicerii Cantorum, & Cardinalium, ait: *Finitis veſperis, cantant: Dominus Jeſus, poſtquam cœnavit: & Dominus Papa dat unicuique Epiſcopo quatuor ſolidos. Unicuique Cardinali tres ſolid. Primicerio tres ſolid. Unicuique Cantori tres ſolid. Quibus* (in baſilica S. Laurentii prope palatium) *finitis, vadunt ad cœnam in baſilica Theodori, quæ eſt Panetaria, ubi fit continua lectio a Subdiacono. Perfecta cœna, redit* (Papa) *ad cameram, ubi ſe deſpoliat*.

XII. Juxta Cencium.

Uberiore eloquio largitiones præfatæ diei ſignificavit Cencius Camerarius. Sub titulo 11. num. 23. pag. 178. expoſito Papæ deſcenſu ad S. Johannis in Laterano, aliqua deſcribit promenda ex altari S. Petri, quæ (4) meminimus: dein lotionem pedum XII. Subdiaconorum commemorans num. 25. pag. 180. ſubdit: *Dat unicuique* (Pontifex) *duos ſolidos denariorum papienſium*. Sub tit. 12. num. 26. *Prior baſilicæ ſecundùm conſuetudinem antiquam marabotinum unum debet habere ſine denariis. Statim Primicerius cum Cantoribus, & aliis ordinibus cantant veſperum. Quo finito, cantatur: Dominus Jeſus, poſtquam cœnavit: & dum iſta geruntur, ſummus Pontifex ita*

(4) Par. 1. ſect. 5. §. 5. & ſect. 7. §. 14.

(u) Hoc eſt, in *Dominica palmarum*, quæ *Dominica oſanna*, ſive *oſanna*, & ſimpliciter *oſanna*. V. Cangium in *Dominica oſanna*.

Digitized by Google

presbyterium *largitur. Unicuique Epiſcoporum Romanæ Eccleſiæ duos marabotinos, & duos ſolid. denar. papienſ. Si fortè Archiepiſcopus intereſſet, tantumdem. Unicuique Epiſcoporum foreuſium, & Presbyterorum Cardinalium, & Diaconorum Cardinalium unum marabotinum, &* xii. *denar. papienſ. Primicerius debet habere unum marabotinum ſine denariis. Quiſque Cantorum* xii. *denar. papienſ. Et notandum, quod nec ſchola Crucis, nec Clericus alius eodem die debet* presbyterium. *Manus etiam prioratus nemini datur. In exitu autem baſilicæ de accepto* presbyterio *Janitoribus, & Cubiculariis duos denarios papienſ. pro unoquoque ſolido, exceptis Prioribus, qui dant aliquid, quiſque largitur.* Sub num. 27. pag. 181. memorat eleemoſynam xiii. pauperibus traditam a Papa mandatum exequente: *Ibi Camerarius* (ſic Cencius) *eſt paratus, qui Domino Papæ porrigit marabotinos ſingulos, ſingulis pauperibus erogandos. Hoc facto, Dominus Papa dat eiſdem pauperibus manu propria ad potandum*. Nec prœterit munera Subdiaconis conceſſa. *In die ſancto Jovis manuum medietatem Subdiaconi habere debent*, inquit tit. 22. num. 46. pag. 198.

XIII. Juxta authorem Ceremonialis Gregorii X. & Ordinarii R. E.

Author Ceremonialis Gregorii X. num. 22. pag. 238. &c. haud ſilet dationem *presbyterii* præmiſſam epulo conferendo dicta die cœnæ Domini; quia illud ſimile fuiſſe definit *presbyterio* diſpenſari conſueto per dies papalium coronationum. Ad titulum, ſeu caput 85. *de largit.* presbyterii pag. 358. cit.to. muſei leguntur hæc in Ordinario S. R. E. ſive Card. Cajetani: *Veſperis, & mandato* (hoc eſt lotione pedum ex evangelicis præſcriptis) *facto per Papam, ſummus Pontifex* (die *ſancti Jovis*) *largitur* presbyterium *Cardinalibus, Legatis* (*Prælatis*)*; nam indutus paramentis uſque ad dalmaticam incluſivè, habens mantum rubeum ad ſcapulas, fanonem ſuper caput, & ſuper ipſam mitram aurifrigiatam, ducitur ad cappellam S. Sylveſtri* (in Laterano) *per duos Diaconos Cardinales, in quam intrant, & ſic paratus ſedet in faldiſtorio ſuo, & dat cuilibet Cardinali ſingulariter, & Prælato* presbyterium *ſolitum*. Capite verò ſequenti legitur, itum fuiſſe ab omnibus, diſtributo *presbyterio*, ad menſam: & cap. 91. pag. 362. parem liberalitatem etiam oſtenſam a Pontificibus commorantibus extra Urbem, leviuſculis immutatis.

XIV. Juxta Amelium, ejuſque additorem.

Petrus Amelius cap. 68. pag. 485. ſcribit: *Secundùm Jacobum Cajetanum Cardinalis Camerarius Papæ* (poſt gravio-

ra

ra exacta in feria v. ſanctioris hebdomadis compoſito ſuper faldiſtorio) *debet tradere in quodam magno ſcypho argenteo, vel in bacilibus groſſos, & monetam ordinatam in* PRESBYTERIO &c. Deinde exponit, quod Camerarius ſtare deberet ante menſam *cum tobalea*, adſtantibus Clericis Cameræ, & duobus mercatoribus: necnon accederent Cardinales ad Papam, flexoque genu, mitras tenerent apertas. Quibus relatis, infit: *Ipſe ſummus Pontifex dat, & ponit pro* PRESBYTERIO *in mitra cujuslibet ipſorum* XIII. *groſſos Turonenſes argenti*. Multa poſtea habet de comeſtione pontificia cap. 71. & 72. quorum poſtremum (ad pag. 488.) agens de ſecunda *lotione manus* addit: *Omnibus lotis dantur ſpecies*: ac ſubinde: *Memorandum, quod omnes Cappellani, Domini Noſtri Papæ commenſales, debent eo die comedere cum Domino Camerario ſplendidè*. Author additionum ad ejuſdem Amelii opus notat, minimè fuiſſe lotos pedes pauperum a Bonifacio IX. poſt mandatum; bene tamen ejus vices ſuppletas manu Camerarii, a quo pauperes acceperint *florenos cum caroleno*. Vide caput 159. Ameliani Ordinis pag. 540. &c.

XV. Necnon ms. Ceremoniale Brunonis Trajectenſis.

Servatur in bibliotheca pluries commendati pontificiarum ceremoniarum Præfecti Joh. Baptiſtæ Gamberuccii ms. codex papalium rituum per rubricas diſpoſitus a Brunone quodam Johannis de .... Trajectenſi, Decretorum Doctore, in utilitatem (ut ibi dicitur) Petri de Monte Epiſcopi Brixiani, qui circa medium ſeculi XV. ſacras ſuſcepit infulas, concedente Eugenio IV. quemadmodum deprehendimus ex Italia Ughelli edit. 1. to. 4. num. 92. In eo autem codice pag. 28. ad tit. de *largitione fienda per Papam die Jovis ſancti* rubrica 12. habetur, quod, finita miſſa, ante mandatum, ponè aliquem locum adhærentem eccleſiæ ſeu cappellæ, qua divina ſunt perſoluta officia, Cardinalibus genuflectentibus *Pontifex dat, & ponit pro* PRESBYTERIO *in mitris cujuslibet* XIII. *groſſos Turonen. argenti*. Citat quidem author Jacobum Cajetanum.

XVI. Sugerius Abbas largitionem feriæ v. atteſtatur.

Tot in ceremonialibus diſpoſita, etiam extra Urbem degentibus Pontificibus, obſervabantur. Sugerius Abbas in vita Ludovici VI. Francorum Regis de Innocentio II. Pariſiis extante ait: *Cœna Domini apud nos more Romano, & ſumptuoſo donativo, quod* PRESBYTERIUM *nominant, celebrata, ſanctiſſimæ Reſurrectionis vigilias honore debito pernoctavit*. Actum id anno 1131. in templo Sandionyſiano, uti latiùs to. 12. annal. Baronii.

Ff 2 Fe-

Digitized by Google

XVII.
An Papa aliquid largiretur feria VI. in paraſceve?

Feriam VI. paraſceves alia largitio papalis, conditioni diei conſona, honeſtabat. *Notandum* (inquit Cencius tit. 13. num. 29. pag. 183. &c.) *quod Dominus Papa* (feria VI. majoris hebdom.) *nulli de familia dat ad potandum, nec coctum ad comedendum: dat verò ei tantummodo panem, & aquam, & herbas de conſuetudine;* nimirum, *lactucas agreſtes*, quarum edendarum conſuetudinem, ſua quoque ætate perſeverantem, differens de uſibus ejuſdem diei Novidius expreſſit lib. 3. faſtor. ſacror. eo verſiculo:

Nos & amara dies lactuca paſcit agreſti.

SECTIO IV.

§. I.
Papalis liberalitas in Notariū annunciantem, die Paſchalis baptizatos nocte ſancta ad S. Mariæ majoris.

SED omnium ſollemnitatum maxima, quanta foret munificentia Romanorum Antiſtitum, maximè declarabat. Vix Papa e Lateranenſi palatio egrediebatur prima Sancti Paſchatis die, qua ibat ſacris operaturus ad S. Mariæ majoris, liberalitatis ſuæ dabat argumentum. Benedictus Canonicus (cit. Ord. num. 45. pag. 140. &c.) ſcribit. *Cùm venerit* (Pontifex equo vectus) *ad* (a) *Merolanam, ſtat Notarius ibi, & alta voce dicit: jube Domne benedicere: Pontifex benedicit eum. Notarius dicit: in eccleſia S. Mariæ in hac nocte* (b) *baptizati ſunt tot maſculi, & tot fœminæ. Pontifex reſpondet: Deo gratias. Et Notarius accipit a* (c) *Saccellario unum bizantium. Secunda feria ſimiliter ad S. Petrum. Tertia feria ſimiliter fit ad S. Paulum.* Cencius Camerarius tit. 15. n. 33. pag. 185. &c. *Cùm per Merolanam* (Papa) *tranſierit, Scriniarius in loco antiquitus conſtructo ei obviat, & alta voce dicit: jube* &c. *Pontifex benedicit eum, & Scriniarius: in eccleſia* &c. *Pontifex reſpondet: Deo gratias. Tunc Scriniarius ſuſcipit a Camerario pro nunciatione unum marabotinum. Similiter fit apud S. Petrum* II. *feria.* Jacobus Gajetanus cap. 95. pag. 373. &c. *Cùm autem* (Papa) *venerit ad Merolanam, quidam Scriniarius electus ab omnibus Scriniariis Urbis dicit alta voce: jube* &c. *Ponti-*

(a) Titulus S. Matthæi, qui inter Lateranenſem, & Liberianam eccleſias jacet, ac *in Merulana* nuncupatur, ſatis ſignat locum hujuſce annunciationis.

(b) Rectè hinc colligitur, extaſſe quondam baptiſmalem fontem, adeoque jus (quo nunc caret) parochiale, in baſilica Liberii, quod aliàs innuit liber pontificalis ejuſdem baptiſterium nonnumquam commemorans.

(c) Hic aut *Eleemoſynarius*, aut *Theſaurarius* juxta notata ſub §. 16. ſect. 2. lit. d.

Digitized by Google

tifex benedicit ei. Item Scriniarius, in eccleſia S. Mariæ Dominæ noſtræ, dicit cauendo hac voce, baptizati ſunt tot maſculi, & tot fœminæ. Pontifex tunc reſpondet: Deo gratias. Eodem modo fit feria II. *ad S. Petrum: tertia ad S. Paulum*. Quod poſtremum addendum eſt textui Cencii; uti addenda Cajetani loco memoria muneris Scriniario traditi.

II. Et ad S. Petri, ac S. Paulli ſequentibus diebus.

Conſtanter repetita compendioſiſſima formula (*ſimiliter fit ad S. Petrum, ad S. Paulum* II. *&* III. *feria*) perſpicuum facit, omnia, quæ a Pontifice procedente ad S. Mariam majorem geſta ſunt prima die paſchalis ſollemnioris tridui, exacta fuiſſe ad baſilicas Petri, & Paulli. Nempe, loco aptè conſtituto Notarius annunciabat infantes nocte Paſchatis baptizatos: Papa benedicebat: & largitio exhibebatur. Quocirca corruere videntur, quæ nuperrimè vir doctiſſimus, ac piiſſimus in gratiam baſilicæ Liberianæ colligebat ex ceremonia primæ diei §. præcedente deſcripta. *Cum Pontifici a Patriarchio Lateranenſi diſcedenti* (verba notationum Franc. Blanchini ad vitam S. Pii to. 2. Anaſtaſ. ſect. 12. pag. 126.) *aliorum Urbis fontium baptiſmata non referrentur; ſed ſolius Liberiani fontis* (*qui a conſtituta baſilica intermedius inter Titulos ſibi adhærentes Praxedes, & Pudentianæ illorum vetuſtiorum vices quodammodo gerebat*) *fœcunditas in Chriſto enunciaretur; vix aliam ejuſmodi ritus cauſſam* * *ſuſpicari poſſumus, quàm, ut antiquam illam originem teſtaretur ſollemnis baptiſmi paſchalis in proximo Pudentis Titulo a primitiva Eccleſia celebrati .... Qua etiam de cauſſa* (d) *conſtitutum puto, ut miſſa pontificalis, ac*

---

* Fœcunditatem per baptiſmum comparatam paſſim a Patribus recenſeri inter cauſſas gaudiorum paſchalium, nec extremam haberi partem triumphi Chriſti turbam renatorum in Paſchate, oſtendunt notata in noſtra diſceptatione de ritu variandi chorale indumentum &c. num. 6. pag. 6. & num. 7. pag. 9. Forſan publica illa, ac lætitiæ plena denunciatio baptizatorum, de qua hìc, ad manifeſtationem horumce gaudiorum, ac triumphi erat inſtituta.

(*d*) Rupertus Tuitienſis Abbas lib. 7. divinor. off. cap. 25. quo aſſerit, B. Mariam Virginem primam vidiſſe Domini reſurrectionem, & de eadem fuiſſe lætatam, inquit: *Pulchrè & laudabiliter traditum eſt a Majoribus, ut in hodierna* (diei paſchalis) *cunctiſque per annum proceſſionibus B. Dei Genitricis memoriam prima ſtatione viſitemus eamdem ob cauſam; quia in hodiernæ miſſæ officio ſtatio ad S. Mariam præſcribitur, ut eam principio lætitiæ noſtræ proponamus.* Johannes Fronto in nota ad illa verba (*In Paſcha Dominica Sancta ad Sanctam Mariam majorem in præſepe*) Kalendarii ſui vetuſtiſſimi pag. 65. *Hìc notandum, veteres diem reſurrectionis D. N. Jeſu Chriſti, ut alteram quamdam Nativitatem celebraſſe. Hinc ſtatio eſt ad S. Mariam in præſepe, & Græci eo die legunt Evangelium*

ac ſtatio eadem Dominica Reſurrectionis celebraretur in memorata baſilica Liberiana potiùs, quàm in Lateranenſi, & Vaticana. Prævaluit enim memoria Pontificis Pii paſchalem ſollemnitatem celebrantis ad Pudentis Titulum, & ibidem edicentis, ne extra diem Dominicam a fidelibus peragetetur &c.

III. Liberalitas Papæ ad palatium reverſi die Paſchatis ex Benedicto Canonico.

Multò ſplendidiùs fulgebat liberalitas papalis, quum Pontifex remeaſſet ad palatium prima die. Aures præbeas Benedicto Canonico. Expoſita equitatione ad baſilicam Zachariæ, *Judices* (inquit num. 48. pag. 142. &c.) *ducunt* (Papam) *illo die ad baſilicam magnam Leonianam in camera, ubi ſunt præparata* XI. *ſcamna, & unum ſubſellium circa menſam Domini Pontificis, & lectus ejus benè præparatus in figuram* XII. *Apoſtolorum circa menſam Chriſti, quando comederunt paſcha. Ibi jacent in cubitis* (ideſt, *accubitis*) *quinque* (for. *Presbyteri*) *Cardinales, & quinque Diaconi, & Primicerius ad prandium, datoque priùs* PRESBYTERIO *in camera cum manibus, ſicut in die natalis Domini, ſurgit inde, & venit ad locum, qui dicitur cubitorum, ubi agnus aſſus benedicitur. Tunc Romanus Pontifex tollit parum de agno, & priùs porrigit Priori baſilicario dicens: quod facis, fac citiùs; ſicut ille accepit ad damnationem, & tu accipe ad remiſſionem. Et mittit in os ejus, qui accipit, & comedit. Reliquum agni dat* XI. *diſcumbentibus, & aliis, quibus placet, & ſic omnes comedunt. Ad dimidium verò convivium ex præcepto Archidiaconi ſurgit quidam Diaconus, & legit lectionem. Cantores verò ex præcepto Domini Pontificis cantant ſequentiam, quæ ſit conveniens Paſchati, & modulatis* (e) *organis, eaque finita, eunt, & oſculantur pedes Pontificis, qui dat eis coppam plenam potione, & accipiunt a Saccellario unum bizantium.*

---

lium Johannis: In principio erat Verbum. En (prætermiſſis aliis) multò probabiliores cauſſas miſſæ, & ſtationis, de quibus Præſul eruditiſſimus.

(*e*) Licèt generatim veriſſimum ſit (quod inter alios notat Card. Bona cap. 17. tract. de div. pſalmod. §. 2. num. 5.) tranſlatam ad nos ab Oriente conſuetudinem *Organorum*, aliorumque inſtrumentorum muſicalium, non infeciſſe nobiliores eccleſiaſticas functiones Papæ, ſeu papalis Cappellæ gravitatem; non ſic tamen ab illa abhorruere Pontifices, ut aliquando *organa* per Cantores ſuos ante ſe pulſari non ſinerent. Nunc (quod ſciam) ad veſperas, quas vocant ſecretas, organa pulſantur in palatio, & quando convivia publico ritu exhibentur Magnatibus, veluti Proregibus utriuſque Siciliæ &c. Extra palatium per Cantores pontificios audivi ipſe *modulatis organis* litanias cani apud baſilicam S. Mariæ Transtyb. Innocentio XIII. adſtante, occaſione, quam memorabo ſect. 8. §. 12. nota *e*. Ceterùm hujus extra-palatinæ conſuetudinis non unum ſuppeditabunt exemplum ephemerides geſtorum SS. D. Benedicti XIII.

tium. Talia ante Nonam. Sed, & Nona dicta apud ſecretarium, celebratiſque veſperis in baſilica Salvatoris, *redit Dominus Pontifex* (proſequitur Benedictus) *in præparatam porticum: poſito ibi faciſtorio* (al. *faldiſtorio*) *ſedet ipſe, & alii ordines circa eum; Archtriclinus autem cum aliis juvenibus ordinatè præparat ante Dominum Pontificem potionem, & vinum bibit ipſe, & omnes alii bibunt. Interim Cantores ſurgunt, & cantant ſequentiam græcam*: πασχὰ ἱερὸν ἡμῖν σήμερον. *Qua ſequentia finita, eunt, & oſculantur pedes Pontificis, & dat eis bibere coppam potionis. Sic omnes læti recedunt.*

IV. Et feria ſecūda.

De largitione diei ſecundæ ita breviter idem Benedictus. *Revertitur* (e baſilica Vaticana poſt ſollemnia miſſarum) *ad Lateranum: ibique* (Papa) *honorificè ſuſceptus, factis laudibus Cardinalium, & Judicum, aſcendit palatium: dat* PRESBYTERIUM *ſine manibus: celebrat convivium in eadem baſilica Leoniana: peracto convivio, deſcendit ad veſperas*. Num. 51. pagina 144. &c.

V. Dominicæ paſchalis pontificia liberalitas ex Cencio.

Ordo Camerarii parum, quoad rerum ſummam, differt ab Ordine Benedicti in deſcribendis primæ diei largitionibus. Nam commemorat Papæ reditum de ſtatione, acceſſumque ad baſilicam Leonis: poſtea inquit: *Dein tranſiens* (Pontifex) *per ipſum baſilicam intrat cameram; ubi accepto* PRESBYTERIO *a Camerario in ſcypho argenteo, & dato ſicut in nativitate Domini, ſurgit* &c. Addit deſcriptionem benedictionis agni per juniorem *Presbyterum* agendæ, diſtributionis ejuſdem, ſollemnitatis veſperarum, proceſſionis ad porticum S. Venantii: & tunc: *Ibi* (Papa) *ſedet cum Epiſcopis Cardinalibus, ceteriſque ordinibus tam laicis, quàm clericis in terra ſuper tapetè reſidentibus: deinde propinatur ſibi claretum vinum, & omnibus circumſtantibus ab Archidiacono, & aliis* (ſ) *Primiceriis*. Hæc tit. 15. num. 35. pag. 187. queis proximè jungitur narratio de ſequentia Græca.

VI. Ac ſecundæ feriæ.

Neque diſcrepat circa largitiones diei ſecundæ. Cùm *Dominus Papa* (coronatus equitans) *ad palatium venerit .... intrans cameram dat* PRESBYTERIUM *abſque manibus, ſicut in die S. Stephani: & deinde ducitur, ſicut heſterna die, ad convivium: ſed hodie in baſilica Leoniana, quæ eſt juxta cameram, celebratur: finitoque convivio, deſcendit ad eccleſiam Lateranen-*

(ſ) Memora notata ſub §. 9. ſect. 1. Par. 1.

nenſem: *& celebratis veſperis*, *& propinato clareto*, *& aliis*, *ſicut heſterna die*, *omnes ad propria revertuntur*. Verba Cencii, quæ certè parum diſcordant a relatis per Benedictum. At certum etiam, hunc aliarum plurium largitionum memoriam omiſiſſe, quas Camerarius latiſſimè deſcribit ante prænotatum textum. Lege memorata ad tit. 16. num. 37. pag. 188. &c. tenebis deſcriptionem jactuum denariorum per Urbem tempore equitationis, ac *presbyterii* dari cenſueti Clero Romano ſecundi ſubſellii, civium ordinibus, ipſique Judæorum univerſitati, de quibus, aliiſque primæ quoque diei largitionibus congruentiùs ſectione ſequente.

VII. Quid de largitionibus papalibus Dominicæ paſchalis ſcripſerit Petrus Amelius.

Jejunior narratio Petri Amelii. Titulo 85. *de officio Paſchæ*, enunciata Cardinalium Diaconorum, aliorumque Prælatorum communione, ait: *Acolythi*, *& Clerici*, *& Sacriſta plicant... paramenta*; *& hodie comedunt cum Domino Papa*, *Auditores a latere dextero*; *primùm unus Auditor*; *ſecundò unus Pœnitentiarius*, *& ſic per ordinem*: *a latere ſiniſtro unus Subdiaconus*; *ſecundò unus commenſalis*, *qui eſt Magiſter palatii*, *vel unus alius*; *tertiò unus Acolythus*, *& ſic deinceps*: *& datur* (g) *piper in collatione poſt prandium*. Pag. 507. & ſeq. cit. to II. muſei &c.

VIII. Necnon Bruno Trajectenſis.

(1) *Sect. præced.* §. 6. & 15.

Brunonis Trajectenſis citatum (1) ceremoniale hæc refert in rubrica *de* PRESBYTERIO *dando*, *& quibus diebus* pag. 75. PRESBYTERIUM, *quod datur bis in annum*, *ſcilicet in die natalis Domini*, *& in die Paſchæ dicti Dominis Cardinalibus ex parte Domini Papæ*, *reducendo monetam auri ad monetam Turonenſem*, *ut ſequitur*. *Et primò priori Epiſcopo* VI. *malachin. & ſex ſolid. papienſ. valen. computan. quemlibet malachinum pro* VII. *ſolidis*, *& tres denarios Turonen. parvorum*. *Item cuilibet Epiſcoporum* IIII. *malachin. &* III. *ſolid. papienſ. valent.* XXVII. *Turonenſ. groſſos* IX. *denarios parvorum Turonen. & tertium*. *Item tam cuilibet Presbyterorum*, *quàm Diaconorum duos malachin. & duos ſolidos papienſ. valent.* XIII. *Turonen. groſſos* XII. *denarios duos Turonen. parvorum*.

IX. Memorantur largitiones reliquar. ſollemnitatum uſque ad Adventum.

Paſchalibus largitionibus addendum ſuggerit Cajetanus convivium, quod ſabbatho in albis dabatur. Ait autem cit. Ordinar. tit. 98. pag. 379. &c. *Papa comedit cum Cappellanis*, *& fiunt*

(g) Donis, & præſtationibus nobilioris, cariorisque generis accenſebatur *piper*, antequam, patefactis induſtria nationum maribus, ac detectis ignotis regionibus, veteres aromatum ſpecies copioſiores fierent, novæque adveherentur in Europam.

Digitized by Google

& fiunt aliquæ ſollemnitates, & dantur eis Agnus Dei per Dominum Papam. Verùm ejuſmodi epulum fortaſſis non celebrabatur quotannis; quippe quod conſectarium fuiſſe videtur occaſionis diſpenſationis Agnorum, per eam etiam ætatem ſeptimo quoque pontificatuum anno (præter primum) peragi ſolitæ. Inter annuas quidem papales largitiones collocandi ſunt, qui dabantur aliis ſollemnitatibus *in aula potus*, quorum aliquot ante Cajetani tempora veroſimiliter ſuppeditabat eccleſiarum gaza. Dabatur utique *potus in aula* in vigilia *Aſcenſionis*, de quo idem ſcriptor cap. 101. pag. 383. & *Pentecoſtes*, de quo mox cit. cap. 98. pag. 379. in utriſque veſperis *feſtivitatis SS. Petri, & Pauli*, de quo pag. 385. dicto cap. 101. Cajetanus, Amelius tit. 111. pag. 517., ac Piccolomineus mox citando loco: necnon poſt veſperas feſti *S. Laurentii*, etſi extra Urbem canerentur, ut fert laudatus Cajetanus cit. cap. 98. pag. 379. & in vigilia *Aſſumptionis B. Mariæ* juxta eumdem ad cit. cap. 101. pag. 386. atque Amelium tit. 120. pag. 519. Ad hæc: dabatur in pervigilio *omnium Sanctorum*, de quo (præter Cajetanum pag. 387.) idem Amelius cap. 130. pag. 521. Inſuper primis veſperis *dedicationis baſilicarum Sanctorum Petri, & Pauli* ex teſtimonio toties appellati Cajetani ad pag. 385. & Pientini Epiſcopi, qui etiam potibus (aliàs ætate ſua jam deſuetudinem prolapſis) jungit dandum poſt veſperas *dedicationis baſilicæ Salvatoris*. V. ceremoniale Rom. Eccl. ſive Pſeudo-marcelli lib. 2. cap. 18. ſect. 2. cap. 29. & 30.

X. De nõnullis incerti temporis pontificiis largitionibus.

Num verò prætercam, quod meminit largitionum genus Cajetanus ad cap. 100. pag. 381. & ſequenti, ubi de Alexandri IV. ordinatione? Per ſummum Pontificem *reficiendos pauperes* ibi ait, ac per unumquemque Cardinalium ſive quotannis in anniverſaria Pontificum, & Cardinalium emortuali commemoratione, celebranda nonis Septembris, ſive ſtatim poſt obitum cujuſque. Nec ſilere debeo publicas convivales largitiones occaſione acceſſus virorum Principum ad Urbem, ac reditus Legatorum. De Regibus, Imperatoribus, aliiſque ſupremi gradus mortalibus hoſpitio exceptis Romæ, ſplendidiſſimèque habitis teſtimonia occurrunt paſſim apud ſingula ferè ceremonialia novo-vetera. Ordo Cajetani (ad cap. 118. *de creat. Legator. & Nuncior.* pag. 441.) Legatos poſt *reditum* admittendos ad collationem tradit; ac protinus inquit: *collatione finita, remanent illa die omnes Cardinales ad comedendum*

cum Papa. Sed neque prætereundæ denariorum effuſiones in populum, ſeu miſſilia bis jactari ſolita ad Lateranum per manum Pontificis, ſi fortè ibidem ejus electio contigiſſet. De his minutim Cencius tit. 48. num. 77. 78. & 79. pag. 211. & 212. &c. Res autem agebatur eo prorſus ritu, qui pars erat largitionum agendarum occaſione primæ Coronationis papalis, ut ex narrandis (2) inferiùs.

(2) *Sect.* 6. §. 1. & 2.

XI. Occaſione primæ Coronationis liberales erant Romani Pontifices.

Sanè ad baſilicam Vaticanam Dominica electioni ſuæ proximiore deferebatur Papa, ubi in Epiſcopum ordinatus, aut, ſi jam Epiſcopali charactere dudum decorus eſſet, obſequia Cleri principis excipiens, coronam, ſeu regnum ſtatadie aſſumebat ritu celeberrimo. Petebat poſtmodum Lateranum coronatus, multis illic ceremoniis honorandus. Tota tunc Urbs *coronata* (ut cum citatis, citandiſve authoribus loquar) videbatur. Nimirum, ſub arcubus a populo Romano, inter laudes Clericorum eccleſiarum, ac inter plauſus immenſæ multitudinis viſendi ſtudio circumfuſæ, gentiſque etiam Judaicæ obſequia, cum Cardinalibus, reliquis palatinis Ordinibus, Romulidumque Patriciis equitabat Pontifex, atque tunc publicè, quàm liberalis eſſet, multipliciter demonſtrabat.

XII. Exemplum in geſtis Innocentii III.

Iſthæc autem vera eſſe noſcuntur, collatione facta plurium fragmentorum hiſtoricorum. Quid, evecto ad pontificale culmen Innocentio III., Romæ geſtum ſit, ſequentia, omiſſis aliis, produnt. *Interfuerant conſecrationi... ejus quatuor Archiepiſcopi, & Epiſcopi viginti octo, ſex Presbyteri, & novem Diaconi Cardinales, & decem Abbates, cum quibus omnibus, & tam Priore cum Subdiaconis, quàm Primicerio cum Cantoribus, necnon Judicibus, Advocatis, & Senatore, & ceteris ſcholis proceſſit ſollemniter coronatus per Urbem a baſilica Sancti Petri uſque ad Lateranenſe palatium, comitante Præfecto, & Senatore cum Magiſtratibus, & Nobilibus Urbis, multiſque Capitaneis, & Conſulibus, & Rectoribus civitatum. Coronata eſt tota civitas, & Clerus cum thuribulis, & incenſo, populus autem cum palmis, & floribus; utrinque cum hymnis, & canticis, ſparſis de more miſſilibus, obviam illi catervatim venerunt, factaque laude tam intra eccleſiam S. Petri, quàm ante Lateranenſe palatium. Poſtquam aſcendit in domum majorem, quæ Leonina vocatur,* PRESBYTERIO *per ordinem diſtributo, ſollemne convivium celebravit*. Accidit id anno 1198. feſto die Ca-

Digitized by Google

Cathedræ S. Petri. Ceterùm ejus temporis liberalitatem pariter dèſignant, quæ ſequuntur. *Statim poſt electionem ipſius* (Innocentii III.) *Romanus populus cœpit apud eum vehementer inſtare ſupplicans, & depoſcens, ut eos ad fidelitatem reciperet, & conſueta ſibi dona conferret. Ipſe verò induci non potuit, ut ante conſecrationem ſuper hoc eis vellet præbere conſenſum; ſed poſt conſecrationem, quum turbulentiùs exclamarent, deliberavit ſuper hac petitione populi diligenter .... Antequam populo reſponderet, volens ſcire, utrum theſaurus Eccleſiæ ſufficeret ad hoc opus, uſus eſt hac cautela, quod per ſingulas parochiales eccleſias fecit ſingulos parochiales occultè deſcribere, ut ſciret & numerum, & quantitatem ipſorum. Et ita quantitate comperta, juſſit illos recipi per ſingulas regiones. Sed nunquam tanta potuit adhiberi cautela, quin fraus committeretur.* Legatur Anonymus apud Raynaldum to. 1. continuat. annal. Baron. num. 12.

Bonifacius VIII. quum primùm poſt electionem ſuam Romam acceſſit, coronari voluit more majorum ad S. Petrum, & Lateranum contendere pompa maxima, quam varii deſcribunt; nos verò hauriemus e poematio Cardinalis Cajetani Stephaneſii, quod inſertum eſt a ſociis Bollandianis tomo 4. Maii ſub die 19. pag. 470. Ergo ibi hæc vates hiſtoricus de populi obſequio: XIII. Bonifacii VIII.

. . . . *Populus luſtraverat Urbem*
Arcubus in morem veterem, qua tendere mos eſt,
Atque frequens Patrem currens ſtipabat euntem:
In quem jactus erat validæ per cuncta monetæ
Sive auri, ſeu forte nitens argentea ſtridat,
Conſulibus quondam ſicut diſpergere paſſim,
Quodque genus nummi vetitum tunc temporis aurum
Jactari in vulgus: tenet hæc inſignia Princeps.

Circa Clericos:

Occurrunt ad feſta viri vexilla ferentes
Eccleſiæ de ſorte Dei, qui nomine Clerus
Dicitur, in partes varias redolentia thura
Obtulit, atque, focis ſignatis, pectore formam
Accepit, pſallente choro, dum flexilis unda
Arrigitur fumi, ſpiratque vaporibus aër.

Circa Judæos:

Ecce ſuper Tyberim poſitum de marmore pontem
Tranſierat provectus equo, turrique relicta

De Campo, Judæa canens, quæ cæcula corde eſt,
Occurrit (h) *veſana Duci Parione ſub ipſo,*
Quæ Chriſto gravidam Legem, plenamque ſub umbra
Exbibuit Moyſi: veneratus & ille figuram
Hanc poſt terga dedit cauto ſermone locutus.

Inde, paucis interjectis, quid actum Lateranis, narrat:

. . . . primuſque Sacerdos
Cardineus, ſacram Princeps dum tendit ad aulam,
Ut Levita priùs cecinit præconia, ſeptus
Judicibus declamat hero, laudeſque perorat
Illi, dum reſidens Sylveſtri in limine, ductus
Munera diviſim largitur cardine fultis,
Præſulibuſque aliis, Clero, laicíſque miniſtris
Summus apex humeros roſeum veſtitus amictum.
Hæc ita, ne immemores videamur ſumere faſtus,
Ac humilem ſumpſiſſe domum, ſollemnia Cleri
Pandimus. En ſedes capiens a ſtercore nomen
In platea eſt circa templum deſpecta parumper
Viſa novis, quia fœda loco, quia maximus Heros
Hoc fortaſſe die recubans, ubi primitus illic
Adforet adventu poſitus ter miſſile jactat
In populum, faturque dicens: non aurea nobis,
Argentumve nitens nobis ad gaudia non ſunt;
Quod tamen eſt, hoc prompta manus diſpergere tentat.

Pergit de compoſito Bonifacio ſuper ſellam porphyreticam, porrectiſque eidem nummis, deinde:

Suſceptos effuſa manus ter ſpargere nummos
Incboat, ac fatur: juſtus diſperſit abundè,
Pauperibuſque dedit, manet hæc in ſecula ſecli
Juſtitiæ virtus . . . .

Acta hæc cum reliquis, quæ omittimus, anno 1295. ſicuti conſtat ex laudati Raynaldi tomo 2. continuat. annal. ad num. 5.

XIV. Urbanus VI. Anno 1378. coronatus eſt Urbanus VI. & quidem ipſa Reſurrectionis Dominicæ die. Pompa ſic deſcribitur in percelebri

(*b*) Non tantùm hoc ritu occurriſſe Judæos Epiſcopis Romanis, veſtigia, quæ ſuperſunt moris hujus apud alias nationes, ſatis declarant. Vir fide dignus teſtatus mihi nuper eſt, non diſſimilem occurſum, ſe vidente, factum fuiſſe ingredienti pompa ſollemni Olomucenſi Epiſcopo, ac Principi Wolfgango Hannibali Cardinali de Schrattembach oppidum ditionis ſuæ populoſiſſimum, *Chremſierium* appellatum.

lebri epiſtola Cardinalis Pilei de Prata, Archiepiſcopi Ravennatis, ad Ludovicum Flandriæ Comitem die 15. Decembris data, quæ extat to. 4. Spicilegii Dacheriani pag. 306. *Eum* (ita Cardinalis) *coronatum pontificalibus indutum ipſi Domini Cardinales pontificaliter induti cum equis albo panno coopertis, & tota proceſſione in ſimili habitu pontificalium, & equorum, ac etiam Religioſorum, Clericorum, & Laicorum per ſacram urbem cum magna tripudiatione, & magna feſtivitate Romani populi, & cunctarum fidelium nationum ibidem adſtantium exultatione, atque lætitia ad Lateranenſem eccleſiam conduxerunt. Ibique in ſedibus ordinatis ſecundùm formam Romanæ Eccleſiæ, ceremoniis omnibus obſervatis, intbronizaverunt, & cuncta ibi ſervaverunt, quæ debebant de conſuetudine obſervari, in eademque eccleſia certum numerum monetarum, quæ in coronationibus ſummi Pontificis conſueverunt Cardinalibus dari, receperunt, & deinde Pontificem cum eadem ſollemnitate ad palatium reduxerunt, omnibus Cardinalibus ſecum prandentibus.* In facto Jacobi, ſeu potiùs Johannis de Lignano, legitur, quod per electum Urbanum *diſtributa* fuerit *certa pecuniæ ſumma inter Cardinales, quæ pecunia* (ait Scriptor) *vocatur* PRESBYTERIUM. Videſis vitas Paparum, qui Avenione ſederunt, Baluzianas pag. 500. to. 1. in notis.

XV. Pii Secundi.

Pii II. Coronatio, & ſubſecuta ſollemnia per hæc ſatis innoteſcent: *Pius II. Pontifex maximus Romæ coronatus eſt apud baſilicam S. Petri* III. *nonas Septembris anno ſalutis quinquageſimo octavo ſupra mille quadringentos, petiitque ipſa die Lateranum ſollemni pompa, quo in loco vix necem evaſit inter eos, qui propter* (i) *equum, quo inſederat* (erat enim primò occupantis, ut ex modò dicendis) *gladiis decertabant: ſervatus eſt divina ope: peractis ſollemniis, regale convivium apparuit, non Cardinalibus tantùm, ſed omnibus Legatis Principum, & qui aderant, Proceribus Urbis, & Optimatibus.* Ita lib. 2. commentarii de rebus geſtis ſub Pio, ſcripti per Johannem Gobellinum, aucti poſtea, editique per Franciſcum Band. Piccolomineum pag. 58.

XVI. Et Innocentii VIII.

Johannes Burchardus Sedis Apoſtolicæ vel nimis notus Cerimoniarius ampliſſimis verbis, relatis a Leibnitzio volum. 2. codicis juris Gentium, ſeu mantiſſa ad eumdem, pagi-

(i) Abuſum hunc paullò ante ætatem Pii II. fuiſſe inductum non diffitebitur, qui legerit rubricam, ſeu cap. 22. de *officio Senatorum* &c. Ordinis Jacobi Cajetani pag. 261. tom. 2. muſei Mabilloniani.

Digitized by Google

gina 153. & ſeqq. a num. 245. ad 256. Ceremonialis geſtorum Sede vacante poſt obitum Sixti IV. & uſque ad Innocentii VIII. in Pontificem electi die 29. Auguſti anno 1484. proceſſum ad Lateranum, deſcribit hujus pompam, annexoſque ritus expletos Dominica die, 12. Septembris, qua idem Innocentius coronatus eſt. Ibi autem (ordinibus, qui Papam antecederent, ipſoque equitante memoratis) inquit: *D. Philippus de Canonicis Bononienſibus Scutifer Papæ, & Mareſchallus Curiæ, Soldanus* (k) *nuncupatus, equeſter duas ſcartellas* (forte *ſcarſellas*) *ſive duos ſaccos monetæ, videlicet carolenis, bajocchis, quatrenis, & denariis plenos, ad ſellam equi ante ſe habens pecunias ejuſmodi in locis deputatis, & aliis, ubi oppreſſionem videbat, populo projiciebat*. Quod factum narrat reapſe, *procedente Pontifice de platea S. Petri*, & ubi a Judæis exceptus, & *ad montem Jordanum, S. Marcum, S. Adrianum*, alibique. Ait inſuper: *Cùm Papa perveniſſet prope caſtrum S. Angeli ſe firmavit, & Judæi, qui ad inferiores merulas in angulo dicti caſtri versùs plateam ſe cum ornatu, & Lege ſua receperant, obtulerunt Papæ Legem adorandam, & honorandam verbis hebraicis in hanc fermè ſententiam Papam acclamantes*. Addit verba Hebræorum, ac reſponſum Pontificis: infra poſtea: Cùm *Papa perveniſſet juxta eccleſiam S. Clementis, deſcendit de equo, & aſcendit ſedem, in qua . . . dimiſſo baldachino portatus eſt. Quod factum eſt pro eo, quod in Laterano pro equo Pontificis habendo, & baldachino, quæ Romani ſibi deberi prætendunt, tanta inſolentia, & impetu fieri ſolent non ſine Pontificis periculo: ad id evitandum, quod Pontifex ſic portaretur, ordinatum fuit. Sed non minus periculum exinde venit; nam Soldati, qui Pontificem portabant, & alii ſocii ſui circa eos exiſtentes, tanto furore Pontificem portarunt, quod Pontificis receptio in oſtio, ſive porticu Lateranenſi, & ejus locatio in ſede ſtercoraria, & jactus pecuniarum fieri non potuerunt . . . Perventi ad altare majus Papa deſcendit de ſede, quam Soldati vi rumpentes, & lacerantes ſibi vendicarunt*. Memorat jactus aliquos: exin: *Erat autem ordinatum, quod Papa ad Lateranum pervento, per ſcalam ſuam, quæ ibi parata erat, de equo deſcenderet, ac Prior, & Canonici Lateranenſes, qui proceſſionaliter ibidem aderant, in ſuperpelliceis, & almuciis ipſum reciperent, & in ſede marmorea ſtercoraria nuncupata collocarent*. Sequitur de jactibus, & iis, quæ per Ar-

(k) Nonnulla de hoc Officiali infra ſub §. 2. ſect. 8. nota c.

Archipreſbyterum fierent, *de laudibus* cantatis in palatio, de actis apud baſilicam S. Laurentii &c. atque inde: *Rediit Pontifex ad cappellam S. Sylveſtri... ſedet in ſede eminenti... Acceſſerunt ſinguli Cardinales mitras ante ſe in manibus portantes, & poſt eos eodem modo omnes Prælati parati; quibus ſingulariter coram Papa conſtitutis, Papa dedit* PRESBYTERIUM, *videlicet, ſingulis Cardinalibus duos ducatus, & duos carlenos, & cuilibet Prælato unum ducatum, & unum carlenum; totidem etiam dabat cuilibet ex aliis officialibus, & Subdiaconis, Auditoribus, Clericis Cameræ, Acolythis, videlicet uſque ad Navales incluſivè, quos priùs Papa recipiebat de gremio*... (D. Falconis de Synibaldis) *Theſaurarii ſui. Cardinales, recepto* PRESBYTERIO, *oſculabantur manus Papæ capite inclinato ſtantes; Prælati verò omnes ſimiliter genuflexi oſculabantur pedem Papæ. Poſt Subdiaconos inter Auditores, quia magna conculcatio fuit, acceſſi & ego ad Pontificem, qui mihi dedit ducatum unum, & carlenum unum papalis cunei ſui*. Narrat poſtremò, quod Pontifex, *dato* PRESBYTERIO, perrexerit ad cameram, qua privatim pranſerit, uti etiam quilibet Cardinalis ad ſibi paratam; quod fuerint *pro Romanis, & officialibus Curiæ paratæ multæ menſæ, & cibaria in abundantia in palatio Lateranenſi*, ac tandem hora vigeſima redierit Papa ad S. Petrum. Cetera per ſe videat lector, quem utiliùs faticandum nunc exiſtimo, propoſito catalogo plurium excerptorum de Romanis Ordinibus, ſimilibuſque ſcriptionibus.

SECTIO V.

§. I. Largitiones pôtificiæ diei primæ Coronationis cum annexis ritibus deſcribuntur juxta authores rituales. De variis pecuniæ jactibus per Urbem factis, procedête Papa ad Lateranum, ex Ordine Cencii.

ET herclè in ejuſmodi ſcriptionibus minutior, clariorque notitia traditur largitionum, iiſque conjunctorum rituum, de quibus (ſi excipias poſtremum Burchardi) prolati hiſtoricorum textus compendioſè nimiùm, ac perobſcurè. Ordo Cencii præ cunctis teſtimonio ſit. Ergo deſcribit tit. 48. num. 81. pag. 212. &c. Papæ conſecrationem, poſt quam refert, cantatam miſſam, actaque ſingula, quæ feria ſecunda paſchali, Pontifice ad S. Petri celebrante; hoc addito, quod in ampliorem ſollemnitatis demonſtrationem Archidiaconus cum Subdiaconis, & Scriniariis caneret laudes. Subinde exponit reditum Papæ ad palatium incredibili pompa equitantis cum corona pridem compoſita ſuper caput ceremonia ſingulari.

lari. Dicit poſtea, geſta omnia fuiſſe per viam, quæ geri conſueta forent prænunciata ſecunda feria. Hæc autem ſic Cencius prodiderat tit. 16. num. 37. pag. 188. *Incipiente* (Pontifice) *equitare, Seneſcballus poſt eum vadens facit de denariis jactum unum, ut ſic multitudo populi, quæ impedimentum præſtat Domino Papæ removeri poſſit, denariis ipſis colligendis intendens. Poſtquam verò Dominus Papa pervenit ad turrim Stephani Serpeteri, quæ eſt in capite Parionis, unus de Curialibus Domini Papæ exiſtens in ipſa turri facit ibi unum jactum ob cauſam ſupra ſcriptam. Cùm autem Dominus Papa ad palatium Cencii Muſcæ in Punga* (al. *Perunga*) *in via de Papa venerit, ſimiliter quidam de Curialibus aſcendit palatium, & facit unum jactum ob memoratam cauſam. Quando autem pervenit ad S. Marcum, quidam ſimili modo de Curialibus, & ob eamdem cauſam facit ibi quartum jactum. Cùm autem pervenerit ad S. Adrianum quidam alius de Curialibus aſcendit palatium S. Martinæ, & facit ibi quintum jactum* (a) *ob memoratam cauſam.*

II. *Ex Ceremoniali Gregorii X & ordine Cajetani.*

Jactus ſimiles notat Ceremoniale Gregorii X. num. 10. pag. 229. appellans tamen, quam *turrim Stephani* vocat Cencius, *turrim de campo*, & *unum ex familiaribus*, qui *Curialis* ab eodem dicitur. Utrique conſonat (pauciſſimis demptis) Ordo Cajetani. Legatur caput 20. & 45. pag. 259. & 275. cit. muſei Italici &c.

III. *Judæi occurrebant Papæ per viam. Ritus hujus occurſus.*

Narrat præterea Cencius, quod Papæ progredienti occurrerent Judæi. *Sciendum, quod Domino Papæ ante* (b) *turrim primodictam* (Stephani) *Judæi occurrunt, & ei legem ſuam præſentant, faciuntque laudes*, inquit tit. 16. num. 38. pag. 188. Neque id tacet Ordo Cajetani ad citata capita, paginaſque. *Veniunt illuc Judæi cum Lege facientes ei laudem, & offerunt ei legem, ut adoret. Et tunc Papa commendat Legem, & damnat obſervantiam Judæorum, ſive intellectum: quia, quem dicunt venturum, Eccleſia docet, & prædicat, jam veniſſe Dominum Jeſum Chriſtum.* Sic primo loco. Secundo: *Ibi (ad turrim Stephani, quæ eſt in Parione, & dicitur turris de campo) Dominus Papa ſtat, & ibi veniunt Judæi cum Lege facientes ei laudem, & offerunt Legem ſibi, ut adoret.*

Præ-

(a) Hinc notanda parablepſis Turrigii, qui, memorato jactu pecuniarum ad S. Martinam pag. 553. libri de cryptis Vaticanis, ait; *Queſto ſpargimento di denari ſi faceva in cinque luoghi, cioe il primo a tal chieſa* &c.

(b) V. infra notam *b.* ſub §. 2. ſect. 8.

Præter hunc occurſum alia duo notat Cencius. *A S. Petro* (ait) *uſque ad palatium Domini Papæ fiunt arcus a Romanis honorabiles in via, per quam tranſit*. Hoc primum, quod & innuit Cajetanus cap. 22. pag. 261. dicens: *A S. Petro ad Lateranum fiunt Domino Papæ arcus triumphales*. Alterum: *Clerici omnes occurrunt eidem* (Papæ) *induti undecumque poſſunt cum thuribulo*. Quod pariter ita refert Cajetanus: *Clerici Romani occurrunt eidem* (Papæ) *induti in via ſacra ubicumque poſſunt cum thuribulis, & incenſo*.

IV. De arcubus honori Papæ erectis a Romanis, & occurſu Clericorum.

Quo autem ritu res iſthæc expleretur, abundè monet Ceremoniale Gregorii X. *Veniunt Clerici induti cum crucibus, vexillis, & thuribulo, & capſa cum thure: & quælibet eccleſia occurrit ipſi Papæ cum thuribulo, & ipſa capſa, & idem Dominus Papa de thure cum cochleare in thuribulo ponit, & illi Papæ cum eo incenſant: & faciunt ita omnes eccleſiæ* &c. Verba ſunt laudati Ceremonialis ritum referentis (num. 11. pag. 231.) occurſus Clericorum diverſa quidem occaſione, & illa inferiùs (1) memoranda peracti, qui tamen ceremonia compleretur non diſſimili ab agendis die primæ coronationis.

V. Hujus ritus.

(1) *Sect. ſeq.* §. 11.

Tam verò Judæi, quàm Romani arcuum confectores, & Clerici tunc experiebantur liberalitatem Pontificum. Cencius cit. loco: *Pro laudibus* (Judæi) *recipiunt a Camerario in* PRESBYTERIUM *viginti ſolid. proviſinos... In remunerationem honoris Romanis pro arcubus datur* PRESBYTERIUM *triginta quinque librarum proviſinarum, & dimidiæ: Clericis verò pro thuribulis triginta trium librarum proveſinarum.* Titulo 48. num. 82. pag. 213. &c. *Clericis Romanis pro thuribulis, Judæis pro* (c) *repræſentatione Legis, laicis Romanis pro arcu tale* PRESBYTERIUM *datur, & taliter, quale datur in coronationibus aliis Domini Papæ*. Cajetanus cit. cap. 22. pag. 261. &c. *Dantur Romanis pro arcubus triginta quinque libræ, & Clericis pro thuribulis* XIII. *libræ cum dimidia*.

VI. Judæos, Romanos, & Clericos liberalitatē Papæ fuiſſe expertos.

Sub titulis 17. & 18. præciſiùs loquitur Cencius de largitione Romanis, atque eccleſiis, ſeu Clericis earumdem diſtribuenda. PRESBYTERIUM (ita tit. 17. num. 39. pag. 189.) XXXV. *li-*

VII. Cencius fuſiùs memorat largitionem Romanis traditam.

(c) Aliam obſequii ſpeciem præſtabant Judæi ea die Rom. Pontifici præter Legis repræſentationem cum laudibus &c. teſte Cencio, qui ait tit. 32. num. 56. pag. 200. *Judæi repræſentant D. Papæ in die coronationis ſuæ Legem in via, & ei faciunt laudes, & tres libras, unam piperis, & duas libras de cinnamomo, afferunt ad Cameram.*

Digitized by Google

XXXV. *librarum ... datur illis, qui arcus faciunt. Diſtribuitur autem tali modo. In primis Magiſtris S. Petri, qui ſuper gradibus arcum faciunt ferramentorum*, XII. *ſol. proviſini. A Palleariis uſque ad S. Gregorium* XIV. *ſol. proviſin. A Negotiatoribus uſque ad Fiolarios* XLII. *ſol. proveſin. A S. Gregorio uſque ad viculum* XV. *ſol. proveſin. ſcilicet a Fiolariis uſque ad porticum Romanum Marci* VI. *ſol. proveſ. deinde uſque ad piſces* VIII. *ſol. proveſ. deinde uſque ſub Fontana* VIII. *ſol. proveſ. a Fontana per totum alium porticum* X. *ſol. proveſin. in Caſtello Creſcentii* VI. *ſol. proveſ. in ponte* II. *ſol. proveſ. a domo Stephani Theobaldi uſque ad S. Celſum* III. *ſol. proveſ. deide uſque ad arcum, ubi eſt domus Johannis Pauli* XXVIII. *proveſ. deinde ad domum Stephani de Girone* X. *ſol. proveſin. deinde uſque ad domum Stephani de Nizot* XXVIII. *ſol. proveſ. deinde per totam regionem Parionis* VI. *lib. proveſ. deinde uſque ad domum Maximi* XII. *ſol. proveſin. deinde uſque ad turrim Odonis Bonifilii* X. *ſol. proveſ. deinde uſque ad domum Falconcellorum* X. *ſol. proveſ. deinde uſque ad domum Johannis cum Zoccolis cum Caſalino Nicolai de Hugone* X. *ſol. proveſ. deinde uſque ad domum Gonzii* VI. *ſol. proveſ. deinde uſque ad viam de Calcariis* VI. *ſol. proveſ. deinde uſque ad domum Johannis de Ceſario* XXIV. *ſol. proveſ. & gratis* IV. *ſol. proveſ. deinde uſque ad Amygdalam* X. *ſol. proveſ. ab amygdala uſque ad S. Laurentium penſilem* X. *ſol. proveſ. ad porticum S. Marci* XI. *ſol. proveſ. In porticu* II. *ſol. deinde uſque ad domum Nicolai Gazzi* VII. *ſol. proveſ. deinde ad angulum* IV. *columnarum* VII. *ſol. proveſ. deinde uſque ad Gizubam* VII. *ſol. proveſ. deinde uſque ad domum Nicolai Ferri* V. *ſol. proveſ. deinde uſque ad arcum de Cairandæ* IX. *ſol. proveſ. ab arcu uſque ad porticum S. Coſmæ* V. *ſol. proveſ. cum Monaſterio, cui dantur* II. *ſol. Oliverico* II. *ſol. proveſ. Johanni de Anagnia* IV. *den. Clericis S. Coſmæ* II. *ſol. Theophylacto* II. *ſol. proveſ. in loco, ubi fuerunt ſalacia fragmina pannorum* III. *ſol. proveſ. Romano de Bonella* XX. *den. Johanni adulterino* II. *ſol. proveſ. Citæ* VIII. *den. Johanni de Tinto* VI. *den. in domo Johannis de Gregorio* VI. *den. in domo Saiſonis Macellarii* VIII. *den. in domo Gregorii de Benedicta* II. *ſol. proveſ. in domo Dodæ* XII. *den. in domo Ptolomæi* V. *den. in domo Rainucci de Franco* V. *den. in domo Rainucci de conella* VI. *den. in domo Michinæ* IV. *denar. in domo Benedictæ de Pagano* XII. *denar. in domo Adelaſiæ* VIII. *denar. in Horto* II. *ſol. in domo Scriniarii* V. *ſol. proveſ. Johanni Machino pro domo ſua, & nepotis* XX. *denar. pro do-*

domo Petri de Mantino VIII. den. in domo Petri de Paulo XII. ſol. proveſin. Familiæ Frajapanorum de carthularia VII. ſol. den. proveſ. in domo Sanſonis Manchino II. ſol. proveſ. in domo Sanſonis de olianta XII. denar. in domo Brobotiani XII. ſol. proveſ. in domo Romani de Petro Occilanda XII. denar. in domo Johannis Vulgbarelli VIII. den. in tota domo balnei II. ſol. proveſ. in domo Gerardi II. ſol. proveſ. in domo Griſoli VIII. den. in domo Ulixæ XII. den. in domo Johannis de Benedicto IV. den. in domo Mariæ Johannis de Rainuccio IV. den. in domo Eſonis Lornarii IV. den. in domo Marii de Mancino IV. den. in domo Regiminæ IV. den. in domo Benedictæ de Romano IV. den. in domo Uxi Presbyteri IV. den. in domo Benedictæ IV. den. in domo Johannis de Gregorio XVIII. denar. in domo Petri de Roberti XXX. den. in domo Romani Craſſi XXX. den. in domo Robatiani Romani de Rainuccio VI. den. in domo Odonis Romani Craſſi XXX. den. in domo Marmorata uſque ad Sambucas X. ſol. & dehinc uſque ad S. Nicolaum de Coliſſeo V. ſol. den. proveſ. deinde uſque ad S. Mariam de Ferrariis X. ſol. deinde uſque ad domum Johannis Rapæ VII. ſol. proveſ. deinde uſque ad angulum S. Clementis VIII. ſol. proveſ. ab angulo ipſo uſque ad palatium Lateranenſe XV. ſol. Et licèt nunc horum nomina tranſacta ſint, & termini, ſive ſigna mutata, nihilominus tamen PRESBYTERIUM ipſum per loca dividitur ſupraſcripta. Hactenus Cencius de largitione Romanis concedi ſolita.

VIII. Necnon Patriarchalium, aliarumque principum eccleſiarum Clericis.

Circa largitionem aliis diſtribuendam hæc inde tit. 18. num. 40. pag. 190. PRESBYTERIUM, quod datur Presbyteris Romanis pro thuribulo. Eccleſiæ B. Petri VIII. ſol. S. Mariæ majori III. ſol. S. Johanni Lateran. IV. ſol. S. Laurentio in Lucina II. ſol. S. Marcello II. ſol. S. Marco II. ſol. S. Laurentio in Damaſo II. ſol. S. Apoſtolo Petro ad vincula II. ſol. S. Martino in montibus II. ſol. S. Virgini Praxedi II. ſol. S. Euſebio II. ſol. S. Pontianæ (mel. Pudentianæ) II. ſol. S. Vitali II. ſol. S. Suſannæ II. ſol. S. Cruci II. ſol. S. Stephano in Cælio monte II. ſol. SS. Johanni & Paulo II. ſol. S. Priſcæ II. ſol. S. Sixto II. ſol. S. Nereo II. ſol. S. Balbinæ II. ſol. S. Clementi II. ſol. S. Anaſtaſiæ II. ſol. S. Cyriaco II. ſol. S. Sabinæ II. ſol. SS. Petro & Marcellino II. ſol. S. Mariæ in Tranſtiberim II. ſol. S. Chryſogono II. ſol. S. Cæciliæ II. ſol. S. Mariæ in Dominica II. ſol. S. Luciæ in ſeptemſoliis XVIII. den. S. Mariæ novæ XVIII. den. S. Luciæ in ſilice XVIII. den. S. Vito XVIII. den. S. Goſmato XVIII. den. S. Adriano XVIII. den. SS. Sergio & Baccho XVIII. den. S. Theodoro XVIII. den. S. Georgio ad ve-

velum aureum XVIII. *den. S. Mariæ Scholæ græcæ* XVIII. *den. S. Mariæ de Porticu* XVIII. *den. S. Nicolao de carcere* XVIII. *den. S. Angelo piſcium venditorum* XVIII. *den. S. Agathæ* XVIII. *den. S. Mariæ in via lata* XVIII. *den. S. Mariæ in Aguiro* XVIII. *den. S. Euſtachio* XVIII. *den. S. Laurentio in Miranda* II. *ſol. Monaſterio Palladii* II. *ſol. Monaſterio Agathæ* II. *ſol. SS. Quatuor* II. *ſol. S. Cæſario Græcorum* II. *ſol. S. Mariæ in Monaſterio* II. *ſol. Monaſterio Dominæ Roſæ* II. *ſol. S. Trinitatis Scotorum* II. *ſol. Monaſterio de Villa* XVIII. *den. Monaſterio S. Pancratii* II. *ſol. S. Blaſio Gatruſecuta* II. *ſol. S. Blaſio* XVIII. *den. S. Mariæ in Capitolio* II. *ſol.*

IX. Sicut etiam reliquarum.

In his numerat Cencius Patriarchales, Titulos, Diaconias, & aliquot Monaſteria. Pergit inde. *S. Vincentio* XVIII. *den. S. Sergio palatii Caruli* XVIII. *den. S. Stephano Nuzino* XVIII. *den. S. Salvatori Torrionis* VI. *den. S. Zenoni* VI. *den. S. Martino Bergariorum* VI. *den. S. Juſtino* VI. *den. S. Peregrino* VI. *den. S. Ægidio* VI. *den. S. Gregorio de curtina* VI. *den. S. Laurentio piſcium* VI. *den. S. Martino de curtina* VI. *den. S. Salvatori coxæ caballi* VI. *den. S. Michaeli* VI. *den. S. Mariæ Saxiæ* VI. *den. S. Mariæ tranſpontinæ* VI. *den. S. Abbacyro* XII. *den. S. Salvatori miliciarum* VI. *den. S. Nicolao funariorum* VI. *den. S. Andreæ inde* (ideſt, *funariorum*) VI. *den. S. Mariæ Canapariæ* VI. *den. S. Mariæ de Guinizzo* VI. *den. S. Mariæ de macello* VI. *den. S. Mariæ arcus aurei* VI. *den. SS. Petro & Marcellino* VI. *den. S. Andreæ Tranſtyb.* VI. *den. S. Mariæ in turri Tranſtyberim* VI. *den. S. Bonoſæ* VI. *den. S. Laurentio de piſcinula* VI. *den. S. Mariæ de Cappella* VI. *den. S. Benedicto in piſcinula* VI. *den. S. Salvatori pedepontis* VI. *den. S. Agathæ Tranſtyb.* VI. *den. S. Stephano inde* (hoc eſt, *Tranſtyb.*) VI. *den. S. Blaſio de mercato* VI. *den. S. Mariæ in Prætorio* VI. *den. S. Salvatori trium imaginum* VI. *den. S. Trifoni* XII. *den. S. Stephano de pila* VI. *den. S. Nicolao macelli* VI. *den. S. Mariæ rotundæ* XVIII. *den. S. Mariæ in Campitelli* VI. *den. S. Salvatori de Ceræ* VI. *den. S. Virgini Mariæ de arca Noe* VI. *den. S. Johanni de campo Turriclano* VI. *den. S. Celſo* XVI. *den. S. Anaſtaſio de Trivio* VI. *den. S. Andreæ de Mortarariis* VI. *den. S. Mariæ de Cannella* VI. *den. S. Mariæ balneapolim* VI. *den. S. Salvatori divitiarum* VI. *den. S. Mariæ cunctis Dominæ Micinæ* VI. *den. S. Mariæ in Toſella* VI. *den. S. Laurentio de Muſo* VI. *den. S. Nicolao de Marmoratis* VI. *den. S. Laurentio de Baſcio* VI. *den. S. Anaſtaſio inde* (videl. *de Baſcio*) VI. *den. S. Anna*

Digitized by Google

næ VI. *den. S. Salvatori in marmorata* VI. *den. S. M. de Gradella* VI. *den. S. Gregorio de Gradella* VI. *den. S. Mariæ Secundicerii* VI. *den. S. Gregorio de ponte* VI. *den. S. Laurentio in flumine* VI. *den. S. Stephano rotundo* VI. *den. S. Laurentio modezzarii* VI. *den. S. Geminiano* VI. *den. S. Gregorio Græcorum* VI. *den. S. Mariæ Johannis bovis* VI. *den. S. Mariæ de Vallicella* VI. *den. S. Sergio de forma* VI. *den. S. Johanni de inſula* VI. *den. S. Bartholomæo* VIII. *den. S. Martinæ* XVIII. *den. S. M. in Minerva* XII. *den. S. M. in Cambiatoribus* VI. *den. SS. Abdon & Sennen* VI. *den. S. Pantaleoni muri Clibanorum* VI. *den. S. Sylveſtro in Biberatica* VI. *den. S. Thomæ de Parione* VI. *den. S. Mumiato* VI. *den. S. Cæciliæ de Taſſo* VI. *den. S. Sebaſtiano de via Papæ* VI. *den. S. Blaſio acceptorum* VI. *den. S. Johanni de horrea* VI. *den. S. Petro inde* (nempe, *de horrea*) VI. *den. S. Andreæ de columna* VI. *den. S. Andreæ de urſa* VI. *den. S. Stephano de curte* VI. *den. S. Andreæ de curtis* VI. *den. S. Blaſio curtium* VI. *den. S. Benedicto de piſcina* VI. *den. S. Andreæ putei de Proba* VI. *den. S. Mauro* XII. *den. S. Nicolao Forbitorum* VI. *den. S. Salvatori Scotorum* VI. *den. S. Nicolao de Trivio* VI. *den. S. Thomæ de Spanis* XII. *den. S. Andreæ inde* (ſcil. *de Spanis*) VI. *den. S. Laurentio Biberaticæ* VI. *den. S. Salvatori inde* (ideſt, *Biberaticæ*) VI. *den. S. Anaſtaſio Ariolæ* VI. *den. S. Salvatori ſiburæ* VI. *den. S. Salvatori Maximinorum* VI. *den. S. Cæciliæ Cencii Pantaleonis* VI. *den. S. Virgini Eugeniæ Suburræ* VI. *den. S. Johanni portæ Latinæ* XII. *den. S. Leoni inde* (hoc eſt, *portæ Latinæ*) VI. *den. S. Thomæ Fraternitatis* XVIII. *den. S. Valentino Bobomizomo* VI. *den. S. Salvatori Cacabari* VI. *den. S. Virgini Mariæ inde* (videl. *cacabari*) VI. *den. S. Simeoni de poſterula* VI. *den. S. Calixto Transtyberim* VI. *den. S. Rufinæ* VI. *den. S. Blaſio* VI. *den. S. Angelo in Janiculo* VI. *den. S. Johanni de poſta* (d) VI. *den. S. Sylveſtro* VI. *den. SS. Quadraginta* VI. *den. S. Laurentio de curtibus* VI. *den. S. Salvatori de rota Coliſæi* VI. *den. S. Stephano* VI. *den. S. Salva-*

(*d*) Legendum *de porta*, aut *ante portam*. Quæ eccleſia cum aliis nonnullis præcedentibus, & ſubſequentibus (ut demonſtrat Calliſti II. diploma vulgatum, licèt non ſine mendis, a Creſcimbenio lib. 4. hiſtor. S. Johannis ante portam Latinam cap. 4. pag. 243.) erat una ex cappellis Titulo S.M. trans Tyberim ſubjecta, & vocabatur etiam (quod, me ſuggerente, admonuit idem Creſcimbenius pag. 13. appendicis ad cit. hiſtoriam editæ in fine libri de novo ſtatu S. M. in Coſmedin) eccleſia *S. Johannis de Lombrico*, ſub Eugenio IV. unà cum æde S. Calliſti baſilicæ matri unita, ſicuti ſerunt ejus literæ, quas videſis ad calcem Operis num. 17. aliaque documenta, de quibus in citata ſæpè hiſtoria &c.

vatori Primicerii VI. *den. S. Petro Motæ* (al. *in monte aureo*) VI. *den. S. Luciæ de pinca* VI. *den. S.Martino de Maximo* VI.*den. S.Johanni crib. plumbi* VI. *den. S.Mariæ de Foria* VI.*den. S.Laurentio de Porto* VI. *den. S. Mariæ in via* VI. *den. S. Coſmæ de pinea* VI. *den. S. Anaſtaſio de pinea* VI. *den. S. Ceciliæ Nicolai Mareſcalci* VI. *den. S.Nicolao Arſionum* VI. *den. S.Laurentio de Calcario* VI. *den .S. Sylveſtro de thermis* VI. *den. S. Salvatori de Caballo* VI. *den. S. Martino de Pinarella* VI. *den. S. Mariæ in Campitello* ... *S. Hippolytho* VI. *den. S. Virgini Mariæ* VI. *den. S. Stephano de Caballo* VI. *den. S. Andreæ in Pallacina* VI. *den. S. Mariæ in publico* VI. *den. S.Nicolao de Formis* VI. *den. S.Coſmæ S.Mariæ majoris* VI. *den. S.Adriano Maſſajo Juliana S.Mariæ majoris* VI. *den. S. Nicolao de colonna Hadriani* VI. *den. S. Apollinari* XVIII. *den. S. Johanni de pinea* VI. *den. S.Salvatori de Deo campi* VI. *den. S. Nicolao de pinea* VI. *den. S. Stephano de piſcina* VI. *den. S.Martino de pila* VI.*den. S. Danieli de forma* VI. *den. S. Mariæ in poſterula* VI. *den. S. Ceciliæ Stephani de Petro* VI. *den. S. Mariæ fluminum* VI. *den. S. Benedicto Sconchio* VI. *den. S. Saturnino de Caballo* VI. *den. S. Nicolao Melienorum* VI. *den. S.Mariæ de curte* VI. *den. S.Benedicto de Cacabis* VI.*den. Cellæ de Franſſa* VI. *den. S. Tatiano* VI. *den. S. Eutherio* VI. *den. S. Salvatori de Gallia* VI. *den. S. Agneti agonis* VI. *den. S. Nicolao inde* (ſcil. *agonis*) VI.*den. S.Martino de Monticello* VI.*den. S. Salvatori de Lauro* VI. *den. S. Nicolao Calcariorum* VI. *den. S. Bartholomæo* (e) *Johannis Gajetani* VI. *den. S. Salvatori de Præfecto* VI. *den. S. Martino de Monteria* VI. *den. S. Quirico* VI. *den. S. Mariæ Haſtariorum* VI. *den. SS. Quadraginta Calcariorum* VI. *den. S. Nicolao Gregorii Cencii* VI. *den. S.Blaſio Milonis Saraceni* VI. *den. S.Salvatori de inſula, & coliſæi* VI. *den. S.Sergio de Suburra* VI. *den. S. Sylveſtro* VI. *den. S. Virgini Mariæ de*

(*e*) Ad hanc eccleſiam referendum, non verò ad S. Bartholomæi in inſula (quam ſuperiùs meminit Cencius poſt eccleſiam S. Johannis de inſula eam ſimpliciter notans nomine *S. Bartholomæi*, & tamquam participantem *presbyterium* XVIII. *denariorum*) referendum, inquam, quod habet Conſtantinus Cajetanus. *Cencius Camerarius in ſuo cenſuum Cameræ Apoſtolica regeſto Johannem Caietanum pro eccleſia S. Bartholomæi in inſula Lycaonia ſex denarios Eccleſiæ Romanæ Presbyteris quotannis ſolvere conſueviſſe teſtatur*, inquit eruditus Abbas in commentar. ad vitam Gelaſii II. num. 5. pag. 24. errore manifeſto. Fortè & in eo manifeſtus ſit error, quod notatam hoc loco præſtationem per Cameram Apoſtolicam dandam Clericis *S. Bartholomæi Joh. Caietani* acceperit ille alium Cencii codicem ſcrutans pro debito Cajetani erga Presbyteros Romanæ Eccleſiæ. Quinam cetero hi Rom. Eccleſiæ Presbyteri, quibus cenſus penderetur?

de Aguaricariis VI. *den.* *S. Sixto de Gallis Alberti* VI. *den.* *S. Angelo de Auguſto* VI. *den.* *S. Blaſio de puna* (al. *de prima*) VI. *den.* *S. Andreæ arcus aurei* VI. *den.* *S. Pantaleoni* VI. *den.* *S. Stephano Orphanotrophii* VI. *den.* *S. Salvatori Inverſorum* VI. *den.* *S. Mariæ de Ferrariis* VI. *den.* *S. Nicolao de coloſſo* VI. *den.* *S. Mariæ de monticello* VI. *den.* *S. Mariæ de Catenariis* XII. *den.* *S. Johanni de Ficoſſia* VI. *den.* *S. Stephano Arſionum* VI. *den.* *S. Andreæ de Suburra* VI. *den.* *S. Urſo* VI. *den.* *S. Blaſio de Oliva* VI. *den.* *S. Nicolao Præfecti* VI. *den.* *S. Salvatori Baroncinorum* VI. *den.* *S. Nicolao de Tofo* VI. *den.* *S. Ceciliæ Campi Martis* VI. *den.* *S. Benedicto Ariolæ* VI. *den.* *S. Cæſario de Appia* VI. *den.* *S. Thomæ Vinearum* VI. *den.* *S. Andreæ Johannis ancillæ Dei* VI. *den.* *SS. Quadraginta coliſæi* VI. *den.* *S. Johanni in Argina* VI. *den.* *S. Mariæ inter duas vias* VI. *den.* *S. Luciæ de confinio* VI. *den.* *S. Blaſio de arrerſao* (al. *aſceſa*) VI. *den.* *S. Felici in Pinciis* VI. *den.* *S. Paulo de areola* VI. *den.* *S. Nicolao de Hoſpitali* VI. *den.* *S. Nicolao de furca* VI. *den.* *S. Stephano de capite Africæ* VI. *den.* *S. Mariæ in foro* VI. *den.* *S. Coſmæ montis granatorum* VI. *den.* *S. Andreæ Milonis Saraceni* VI. *den.* *S. Marinæ* VI. *den.* *S. Stephano de pinea* VI. *den.* *S. Laurentio Nicolai Naſonis* VI. *den.* *S. Salvatori de bono eccleſiæ* . . . *S. Mariæ in Monaſterio* VI. *den.*

X. Num codex Cencii mox exſcriptus pro integro habendus ſit ?

Opportunitas hìc emergit eccleſiarum plurium originem, ac denominationem illuſtrandi. At, ne extra orbitam excurriſſe nunc videar, illam rejicio de hoc alibi acturus, niſi in bonum literariæ reip. quamprimùm prodeat labor viri (*f*) clariſſimi, quo Martinelli Roma ſacra innumeris ſupplebitur locis. Ad rem verò obſervo, non omnes in codice Cencii, quem conſuluit (poſt Panvinium) Mabillonius, eccleſias, adeo celebri occaſione donandas, notatas fuiſſe. Quis enim credat indonatas abiiſſe baſilicas S. Paulli, S. Laurentii extra muros, SS. duodecim Apoſtolorum inter Patriarchales, Monaſteria, & Titulos nobiliſſimas, ut mittam alias etiam ſupra (2) ex eodem Cencio indicatas? Quis credat pari infortunio correptam e cappellis, ſub Crucibus Matricium maximè procedentibus, cappellam (notiorem mihi commemoro) *S. Johannis de mica aurea* inter ſubjectas baſilicæ S. Mariæ trans Tyberim facilè principem? Procul dubio eſt, taceri in

(2) P. 2. ſect. 10. §. 5.

(*f*) Franciſci Valeſii, Romani, noſtratibus, exteriſque non eruditione magis, quàm pietate, modeſtiaque cogniti.

in catalogo mox vulgató memoriam cappellæ S. Patermutii, cui denariorum largitionem attributam diſertè ajunt, quæ congeſſit Macrus in Jerolexico (ubi de *feſtivitate thuribulorum*) inferiùs (3) excutiendo.

(3) *Sect.* 7. §. 11.

XI.

De aliis eccleſiis tanquam participibus liberalitatis pontificiæ in eo codice expreſſis.

Reum dixi omiſſionis codicem a Mabillonio contrectatum, non Cencium. Siquidem tam accuratè ſolertiſſimus Cardinalis donandas eccleſias recenſuit, ut catalogum ſequenti quoque titulo, ſerieque auxerit. *Iſtæ ſunt eccleſiæ* (inquit num. 41. pag. 195.) *quæ ſunt ignotæ, & ſine Clericis. S. Maria in Sueſſia* VI. *den. S. Virgini Mariæ in Campo cano* VI. *den. S. Cæſario* VI. *den. S. Salvatori Johannis bovis* VI. *den. S. Eraſmo* VI. *den. S. Thomæ de caſtro* VI. *den. S. Blaſio de Citello* VI. *den. S. Bartholomæo lateran.* VI. *den. S. Laurentio S. Cyriaci* VI. *den. S. Laurentio Arſionum* VI. *den. S. Marcello de Taurello* VI. *den. S. Mariæ in campi carileonis* VI. *den. S. Andreæ de caballo* VI. *den. S. Luciæ Capiumſecuta* VI. *den. S. Mariæ in Majurente* VI. *den. S. Laurentio oculi bovis* VI. *den. S. Vito in campo* VI. *den. S. Nicolao de Alvioto* VI. *den. S. Cæſario Græcorum* VI. *den. S. Mariæ in Turri* VI. *den. S. Gregorio de maſſa* VI. *den.*

XII.

Sphalmata nonnullorum Eruditorum circa quantitatē *presbyterii* eccleſiarum.

Accuratum eſt etiam, quod Camerarius datum expoſuit ſingulis eccleſiis. Idcirco corripiendus Turrigius, quum par. 2. lib. de cryptis Vatic. cap. 4. pag. 189. edit. 2. conceſſos aſſerat VI. ſolidos cappellæ *S. Gregorii de Cortina*, quam accepiſſe vidimus tantùm ſex denarios: & pag. 555. XVIII. ſolidos eccleſiæ *S. Martinæ* (g) juxta Cencium, qui tamen notat denarios octodecim. Corripiendus Creſcimbenius erroris alteri ſupra (4) notato paris reum ſe præbens, dum ait cap. 16. hiſtor. S. Anaſtaſiæ pag. 118. *Nella diſtribuzione de'* PRESBITERJ, *che ſoleva diſpenſare il Papa al Clero Romano ne' giorni delle ſue ſolenni proceſſioni, o cavalcate, quanto alle Collegiate ella era di tre ſoldi, o come allora appellavanſi di tre ſolidi*. Duo enim ſolidi dabantur ex Cencio collegiis Titulorum, Diaconiarum verò XVIII. denarii. Corripiendus Rondoninus hæc de *presbyterio* Clericis S. Clementis tradi ſolito incautè ſcribens lib. 2. cit. hiſtoriæ cap. 7. §. 5. pag. 259. *Luculenter in antiquo ſuo libro Cencius Camerarius, quem Mabillonius in to-*

(4) *Par.* 2. *ſect.* 8. §. 2.

(g) Hæc Turrigius. *In alcune ſolennità, nelle quali da tutte le chieſe s'incenſava il Papa, & il dì di S. Marco, alli Preti di S. Martina ſe gli davano per tal funzione* 18. *ſoldi, il che chiamavaſi* PRESBYTERIUM, *come Cencio ſcrive* &c.

tomo 2. muſei Italici publici juris fecit, ubi S. Clementis eccleſiam inter illas recenſet, quibus pro thuribulo, quod Romanis Presbyteris erogari conſueverat, PRESBYTERIUM *in ſumma undecim ſolidorum tribuebatur.* Authorem eruditum decepit Romana numerica nota (11) pro arabica accepta.

SECTIO VI.

§. I. Quædam de ritibus, & jactibus pecuniæ ante baſilicam Lateranensé actis ex Cajetano.

LARGITIONES deſcriptæ ſequela erant (quod quiſque nullo labore noſcit, & nos advertemus infra diſtinctiùs) geſtorum per viam. Alias progignebant agenda Lateranis. Extra, ac prope veſtibulum baſilicæ S. Johannis Pontifici occurrebant Canonici Lateranenſes, a quibus ducebatur ad januam principem. Sed hujus, reliquorumque ad celeberrimum Patriarchium geſtorum ſeriem authenticè pandat Ordo Cajetani. *Venit* (Pontifex) *ad plateam Lateranenſem* (ita cap. 20. *de ordine proceſſ. poſt miſſam* &c. pag. 259.) *& ducitur ad porticum, quæ vadit ad eccleſiam S. Johannis Lateranenſis: & ibi ante porticum nunc deſtructam ſtatim Lateranenſes Canonici cum eorum comitiva, induti ſollemniter, & cum cruce proceſſionali Papam recipiunt, cùm deſcendit, qui deſcendit ad ſedem* (a) *ſtercorariam, & deponit regnum, & accipit mitram.... Sedet in dicta ſede marmorea, quæ vocatur ſtercoraria, & veniunt omnes Cardinales, & elevant eum, ut verè dicere poſſit: ſuſcitat de pulvere egenum, & de ſtercore erigit pauperem. Et idem Dominus Papa ſtando juxta ipſam ſedem accipit tres pugillatas denariorum de gremio Camerarii, & projicit inter populum dicens: Argentum & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc tibi do. Et tunc duo Cardinales miniſtrant ei, & accipientes eum ducunt ad eccleſiam S. Salvatoris* &c.

II. Et intra eamdé, proximumque palatiũ, & capellam.

Intra eccleſiam multifarias Papa honorabatur, præſertim per hymnum *Te Deum* a Canonicis cantatum, quos *ad pedem, & oſculum* excipiebat ſuper eminenti ſede conſtitutus. *Quo facto* (proſequitur Ordo) *ducitur per Cardinales ad palatium Zachariæ.... intra portam, qua aſcenditur ad dictum palatium, & portam ipſius palatii, ponitur faldiſtorium, ubi ſedet Dominus Papa.... Prior Presbyterorum Cardinalium, ordina-*

(a) De hujus ſedis, quæ tot impoſturis hæreticorum præbuit anſam, origine, conditione, & fortuna quamplures. Tu videſis Mabillonii commentar. prævium ad Ordd. Rom. tit. 18. &c.

tis Judicibus & Scriniariis in filo, facit ibidem laudem.... Poſtea ducitur ab ipſis Cardinalibus ad portam eccleſiæ S. Sylveſtri, ubi ſunt duo ſedes porphyreticæ, & Papa ſedet in illa, quæ eſt ad dextram.... & accedit ad aliam ſimilem, quæ eſt ad ſiniſtram, ubi (poſt expletos varios ritus nonnihil myſticè ſignantes) *recipit Officiales palatii ad pedem, & oſculum: & ſedens ibi accipit de manu Camerarii denarios argenteos valentes decem ſolidos proveſinos, & projicit ſuper populum: & hoc facit ter dicendo: diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſeculum ſeculi.*

III. De alia largitione.

Exin hæc Ordo tradit: *Deinde ducitur* (Papa) *ad Sancta Sanctorum.... & intrant baſilicam S. Laurentii, quæ vulgariter dicitur Sancta Sanctorum: & ante altare ſuam orationem faciens, cantantibus Priore, & Canonicis baſilicæ Sanctæ Sanctorum: Te Deum laudamus: & poſtea reducitur ad cappellam S. Sylveſtri, in qua intrat, & ſedet in loco parato cum ornamentis ſuis, tenente eo mantum ſuper ſcapulas, & mitram ſuper fanonem, ſeu orarium, & dat* PRESBYTERIUM. Cap. 21.

IV. Cujus ritus deſcribitur ex eodem Cajetano.

Hujuſce ritum largitionis Cajetanus exponit præcipuè cap. 45. pag. 277. *Ipſe Papa* (Ordinis verba) *ſedet in ſede, & quilibet Cardinalis, & Prælatus, extracta ſibimet mitra, deferens eam in manu vadit coram eo: flexis genibus, tenet mitram apertam ante Papam, qui ponit in illa pecuniam, quam dat ei in uno ſcypho argenteo Camerarius, & quam dicit liber Cameræ, qui vocatur Polypticus; & ille, qui recipit pecuniam in manu, oſculatur genu Domini Papæ. Idem verò Camerarius habet ante ſe magnam menſam coopertam tobalea, ubi ſunt hujuſmodi monetæ, & aſſiſtunt ipſi Camerario Clericus Cameræ, & duo* (b) *Mercatores. Ipſi verò Camerarius, & Clericus Cameræ ſint induti ſuperpelliciis.*

V. Qui & aliam largitionem meminit.

Excipiebat largitionem hanc alia, videlicet, ſollemne convivium. *Dato* PRESBYTERIO (pergit Ordo), *idem Dominus Papa a duobus Cardinalibus Diaconibus ducitur ad menſam ſollemniter paratam, & ſedet ibi, Epiſcopo Cardinale ſibi dante aquam, duobus Diaconibus tobaleam tenentibus. Eo loto, factaque benedictione menſæ, vadunt omnes ſedere. Sedet autem Papa in una ſede eminenti ſolus, diverſis, & magnis vaſis aureis & argenteis ſuper menſam poſitis. In alia verò menſa, quæ eſt ad dexte-*

(b) *Equitatores* vocantur in ceremoniali Gregorii X. num. 9. pag. 229. cit. to. 2. muſei &c.

dexteram, ſedent Epiſcopi, & poſt eos Presbyteri Cardinales, in parte ſiniſtra Diaconi Cardinales, & poſt menſas Cardinalium erunt menſæ omnes Prælatorum, & aliorum Nobilium. Et attende, quod Papa ſtabit, dum comedit, indutus, & calceatus, ut dictum eſt, cum mitra. Cardinales verò omnes habebunt ſuperpellicia cum camiſiis, & mantellis, & mitris albis ſimplicibus, & ita comedent, & omnes Prælati ſimiliter. Coram Papa ſervient laici majores natu, & nobiliores, qui præſentes erunt. Comeſtione finita, Papa lavabit manus, ut priùs. Sequuntur de lotione manuum Cardinalium, redditione gratiarum, & receſſu omnium varia.

Participes, & conditionem duarum ejuſmodi largitionum, aliaque ad eaſdem pertinentia, qui Cajetanum præceſſit, Cencius non uno exponit, aut ſaltem indicat, loco ſui Ordinis. *Univerſis* (ait tit. 48. num. 82. pag. 213.) *ſcholis palatii .... tale* PRESBYTERIUM *datur, & taliter, quale datur in coronationibus aliis Domini Papæ*, potiſſimùm certè actis occaſione ſollemnitatum Nativitatis, & Paſchatis, de quibus ſuperioribus ſectionibus. Specialius, quod præmiſit. *Sciendum* (ibi Cencius) *quod Cardinales omnes, Græci, Primicerius cum ſchola Cantorum, Præfectus, Senatores, Judices, & Advocati, Scriniarii, Præfecti navales, ſchola Crucium, & Cappellani tale* PRESBYTERIUM, *& taliter datum accipiunt, quale in die Paſchæ ſuperiùs nominatum recipiunt. Subdiaconi autem ſinguli ſingulos melequinos habent, quod tamen non fit in aliqua prædictarum ſollemnitatum: non dantur enim eis etiamſi* XXX. *vel ampliùs eſſent, niſi* XX. *melechini ... Pincerna, & Mareſchallus* (mel. *Seneſcalcus*) *tam de comeſtione, quàm de aliis denariis remunerantur ſimiliter, excepto, quod capita* (c) *porcorum*

VI. Aliqua circa participes, & cōditionem harum largitionū ex Cencio.

(c) Ubique olim ſus cædebatur circa natalitias Domini ferias, quod nunc etiam fit, ut obſervat Novidius lib. 12. faſtor. ſacror. pag. 164. Cæſi verò *ſuis* portio, præſertim *caput* ſeu rictus (*grugno di porco*) afferebatur in conviviis, maximè Italicis, ipſo feſto natalitio celebrari conſuetis; atque id etiam alicubi ſervatur, ſicuti colligitur ex uſibus Mediolanenſibus, quos meminit Puricellus cap. 98. diſſert. Nazar. pag. 471. & 472. num. 4. Neque hæc praxis inanis, ſeu myſterio vacua. *Illud compertiſſimum eſt* (inquit Puricellus) *apud Nobiles etiam Mediolanenſes inviolabiliter adhuc ex antiqua, & immemorabili majorum traditione hunc vigere uſum, ut in nativitate Domini ſuillas carnes, & ex capite præſertim comedant in prima menſa; veluti in execrationem Judæorum, qui Meſſiam, & Salvatorem pertinaciter negant nobis eſſe natum, obſtinatique contendunt antiquæ Legis ceremonias, & ritus adhuc ſervandos eſſe, ac proinde a ſuillis etiamnum carnibus, tanquam immundis, adhuc abſtinendum*. Ex his non unus elucidatur locus Ordinum Romanorum, Cencii potiſſimè, aut datus, aut exhibendus.

rum (quæ dabantur in nativitate Domini) *aptata non habent, neque claretum. Familia quoque, & Curiales* PRESBYTERIUM *habent juxta Camerarii voluntatem.*

VII.
Elucidantur nōnulla obſcuriuſculè dicta in dato Cencii loco ex aliis locis.

Familiæ nomine intelligit *familiares Pontificis* Raſponus lib. 2. cit. hiſtor. inter alia pag. 188. & ſeqq. notans : *Pincernæ, & Mareſchallo præter ejus diei* (coronationis, & poſſeſſionis) *menſam certa etiam pecuniæ ſumma tribuebatur. Et quia capita ſuilla aliis in conviviis eis apponi ſolebant, vinumque generoſum propinari claretum, hæc in iis epulis non miniſtrabantur. Familiares quoque Pontificis, aliique, & Curia* PRESBYTERIUM *capiebant juxta libitum Camerarii*. Sed *Curiales Cencii, aliique* Raſponi quinam? An non plerique ex illis, quorum *presbyterium* diebus Nativitatis, & Paſchatis deſcribit idem Camerarius (tit. 33. *de* PRESBYTERIO *Officialium, & Cameræ Camerarii* num. 57. pag. 200.) inquiens? *Hoc eſt* PRESBYTERIUM, *quod datur Officialibus Cameræ Camerarii, & Officialibus aliis, & Curialibus. Unicuique Curialium, qui Corteſiani vocantur, dantur duo marabotini, Scriptori Cameræ duo melechini, Cambiatori duo melechini, eidem etiam datur porcaſtrum unum in nativitate Domini, & Paſcha pecus unum. Unicuique Coquorum unum melechinum, unicuique Brodariorum aliquam benedictionem. Notandum, quod coqui, & brodarii debent habere ſticchas* (d) *in Paſcha, & in Nativitate Domini. Unicuique Panetariorum duo melechini, & pannum, quem emerunt pro feſto. Unicuique Buticulariorum duo melechini. Mareſcalco equorum alborum tres melechini, &* (e) *naccum: alii Mareſcalco duo melechini. Singulis Oſtiariorum Domini quatuor melechini. Scutiferis, Cappellanis, Subdiaconis, & Acolythis de Cappella debet comeſtio duplicari, & in nativitate Domini ſimiliter. Priori quoque Subdiaconorum unum pecudem in Paſcha, & in Nativitate porcaſtrum. Mareſcalcis verò, & aliis de familia*

(*d*) Cangius in gloſſar. ad lit. S. per *ſticham* indicari putat apud ſequioris ætatis ſcriptores genus *tunicæ*.

(*e*) Inſtratum equorum *naccum* dicebant Majores. Ita hìc Cencius, & Alexander III. epiſtola 52. quæ eſt ad Archiepiſc. Colonienſem, ut alia prætermittam exempla. Dicebant & *nactum*, quod habent verſiculi Jacobi Card. Stephaneſii cap. 9. lib. 1. cit. poematii de coronat. Bonifacii VIII.

Poſt ipſum quadratus equus detextus ad ante,
Velatuſque rubro ſcarleti tergora nacto
Cygneus ad dextram vehitur . . . .

Obeamrem vox utraque retinenda, quæ ſuis exemplis non caret, & immeritò circa hoc a Voſſio diſſentit Cangius. V. cit. gloſſar. ad lit. N.

lia dat Camerarius pro voluntate ſua. Verumtamen Mareſcalci debent, quando vadunt ad berbas, vel paleas, vel fœnum, babere (f) *miſtum, & furcas. Sciendum, quod Cancellarii* (ſupple *Officialibus*) *debet duplicari comeſtio iſtis duabus diebus* (paſchalis ſollemnioris tridui) *& in nativitate Domini ſimiliter*.

VIII. Atque hæc ex aliis.

Capitibus ſuillis, & clareto demptis, quæ portio reliqua donariorum Seneſcalci, & Pincernæ foret, diſco e ſequentibus. *Seneſcalcus major, qui ſervit Domino Papæ in coronatione ultima in Paſcba, & nativitate Domini, & conſecratione Domini Papæ debet babere unam ſcutellam argenteam trium marcarum, & dimidiæ in ſingulis feſtivitatibus, ſi coronatur: & debet recipere victualia pro quindecim bominibus unoquoque die coronationis, & debet comedere in panetaria ſociis ſuis, antequam Dominus Papa redeat a miſſa, & debet recipere a Pincerna unam aquariciam clareti, & unam vini, & debet babere ad domum ſuam ſex capita porcorum parata, & ſex aquariciolas clareti unoquoque die coronationis; & debet in unaquaque coronatione medietatem * cepi, & medietatem de omnibus coriis beſtiarum, quæ veniunt ad menſam Domini Papæ, dum feſtum duraverit*. Tit. 34. num. 58. pag. 201. *Magiſter Pincerna, qui in die coronationis ad menſam* (Papæ) *ſervit, debet babere cuppam unam trium marcarum, & dimidiæ argenti. Ipſe verò Pincerna debet eadem die dare Buticulariis quotidianariis D. Papæ zonam unam de ſerico: debet etiam comedere, antequam Dominus Papa veniat de miſſa, pro quindecim ſociis comeſtionem accipiens, & debet babere ſex capita porcina aptata, & ſex aquaricias clareti, quæ ad domum ſuam tranſmittit, & in comeſtione ſua unam aquariciam clareti, & aliam vini.* Hæc tit. 35. num. 59. apud cit. Ordinem Cencii.

IX. Quid ſpeciatim tribueretur die coronationis laicis aliquot nobiliſſimis. (1) *Sect.* 3. §. 5.

Senatoribus, & Præfecto Urbis, præter pecuniam, de qua (1) ſupra, donum aliud debebatur. *Senatores* (ait Camerarius tit. 36. num. 60. pag. 202. &c.) *quando comedunt, babere*

(f) Datum Mareſchallis *miſtum* non aliud mihi, quàm miſcellum frumenti, quod *mixtum* appellatum ait laudatus Cangius ad lit. M. Sit, cui placuerit, portio panis & vini, qualis aliquando, quæ tradebatur ſub *mixti* vocabulo Ciſtercienſibus poſt Tertiam juxta eorumdem conſtitutiones allegatas in cit. Jerolexico Macri.

* Cangii gloſſarium ex editione PP. S. Mauri. *Cepium pro ſebum Gal.* Suif. *Statuta Maſſil. lib. 2. cap. 33. de Macellariis* §. 6. *Addentes buic capitulo, quod cepium non fundatur amodo, nec debeat fundi inter muros Maſſiliæ* &c.

bere debent lavinam (g) *mediam vini, & mediam clareti in unaquaque die coronationis.... Pro quadraginta comeſtionem recipiunt unaquaque die coronationis.* Titulo 37. num. 61. *Præfectus Urbis debet habere in comeſtione pro quindecim ſociis, & barile unum ferratum clareti, & unum vini.*

X. Num pares ritus, & largitiones obſervatæ, Pontificibus cōſecratis, & coronatis extra Urbem?

Hæc in Urbe. Quid autem ſi Papa conſecratus extra illam fuiſſet, coronatuſque? An deſcripti ritus, & largitiones vacarent? Omnia complebantur, ſervata proportione locorum. Teſtis ſit Ordo Cajetani, quo ritus agendorum, quum coronandus eſſet Peruſiæ (ut videtur) Pontifex, minutiſſimè deſcribuntur cit to. muſei Ital. a pag. 262. ad 271. cap. 24. & novemdecim ſequentibus. Ad cap. 39. jactus per viam memorantur: ad 40. occurſus Judæorum: ad 41. *presbyterium*: epulum verò ad tertium ſupra quadrageſimum.

XI. Iis Romam primò accedentibus, aut repetentibus occurſus fiebat juxta ceremoniale Gregorii X.

Redeuntibus publica pompa Romam Pontificibus, ſive primùm propriam ſedem ante, aut poſt conſecrationem petentibus, ſecundùm antiquam (h) Eccleſiæ, Romanæ potiſſimùm, conſuetudinem occurrendi quandoque feſtivo plauſu propriis, atque etiam aliis bene dè re chriſtiana meritis Epiſcopis, ritu publico occurrebatur. Quæ occaſio eorum liberalitatem ſollicitabat. *Cùm* (Papa) *venerit Romam ad cappellam B. Mariæ Magdalenæ ad radicem montis* (i) *mali* (verba ceremonialis Gregorii X. prolata num. 11. pag. 231. &c.) *& intrat cum Cardinalibus ipſam cappellam, & ibi recipit pluviale, & mitram, & poſtea equitat, & procedit, & Judæi occurrunt cum Lege, & laudibus... & omnes eccleſiæ Urbis ei obviant bono-*

(g) Per *lavinam* vas aliquod, ſeu menſuræ liquidorum ſpecies, ſignificatur, ſic dicta, quaſi parva lacuna. Certè *lavinam*, quandoque memoratam in antiquis chartis, *lacunam ſeu congregationem aquarum defluentium in unum locum* vertit Margarinus in parvo lexico Longobardico.

(h) Exemplo inter plura erit occurſus factus Leoni III. Romam repetenti de partibus Saxonicis ab Anaſtaſio in ejus vita memoratus. Generatim conſuetudinem univerſalem Eccleſiæ occurrendi propriis Epiſcopis ſatis inſinuat locus Auguſtinianæ epiſtolæ ad Maximinum Epiſcopum Donatiſtam 203. veter. edit. *Tranſit honos hujus ſeculi.... nec cathedræ velatæ, nec ſanctimonialium occurſantium greges adhibebuntur, cùm cœperit accuſare conſcientia, & conſcientiarum arbiter judicare. Quæ hic honorant, ibi onerant.* Obviam itum S. Athanaſio Alexandriam poſt exilium redeunti ab omnibus ordinibus Cleri, populique utriuſque ſexus tradit B. Gregorius Nazianzenus: & Sozomenus (lib. 8. hiſtor. cap. 14.) hujus honoris meminit, authore S. Johanne Chryſoſtomo, præſtiti S. Epiphanio Cypriorum Antiſtiti. V. quæ de his notat Altaſerra lib. de Ducib. & Comitib. &c. cap. 17. pag. 87. &c.

(i) Confer locum hunc cum verbis chronici Caſſinenſis promendis ſect. 9. §. 8.

Digitized by Google

norificè cum proceſſione. Sequuntur, quæ præcedenti ſectione (1) produximus: inde: *Et ſic ducitur* (Papa) *per porticum uſque ad gradus S. Petri, ubi eſt proceſſio, & Archipresbyter, & Canonici S. Petri, a quibus recipitur reverenter, &, cantantibus ipſis Canonicis, introducitur in eccleſia* &c.

(1) §. 9.

XII. Quod comprobatur per documenta hiſtoricorum.

Nihil hic de largitione; ſed & pauca memorantur ex agminibus, quæ Pontificem tunc excipere conſueviſſe varia ſubmonent hiſtoricorum teſtimonia. Venientem Calliſtum II. de proſtrato Burdino exultantem perhonorificè excepit Roma anno 1120. tertio nonas Junii, in occurſum effuſis pueris cum ramis, Judæis, ceteriſque ordinibus, quemadmodum refert epiſtola Eginonis apud Baronium tom. 12. annalium. Talem occurſum breviter deſcripſit, quin & actionem initæ pontificiæ poſſeſſionis Nicolaus Cardinalis Roſſelius Aragonius, dum ait in vita laudati Calliſti legenda to. 3. ſcriptor. rer. Italic. doctiſſ. Muratorii pag. 420. col. 1. *Idem Beatiſſimus Pontifex ſecundùm antiquam conſuetudinem ſollemniter eſt* (Romæ) *receptus: & in B. Petri Cathedra ſolemniter poſitus, atque ad Lateranenſe palatium per mediam civitatem, præparatis arcubus de more in ipſa via, cum gaudio magno deductus*. Pleniore ſermone narrantur ab eodem occurſus, plauſuſque facti Eugenio III. pag. 439. col. 2. *Occurrit ei* (inquit Roſſelius in vita hujus Pontificis) *maxima & frequens populi multitudo cum ramis .... & ad ejus veſtigia continuò corruentes poſt pedum oſcula elevabantur ad oris oſcula. Præcedebant Signiferi cum bannis* (al. *bandis*): *Sequebantur Scriniarii, & Judices: Judæi quoque non deerant tantæ lætitiæ portantes in humeris ſuis legem Moſaicam. Univerſus etiam Romanus Clerus pſallebat in unum dicens: Benedictus, qui venit in nomine Domini. Sic itaque cum magno populorum gaudio, & clamore idem Pontifex in palatium conſcendere meruit*. Hactenus ille edoctus a vetuſtiorum chartarum lectione, forte etiam Vaticani codicis, ex quo Eugenio milites, Judæos, & Clericos obviam proceſſiſſe collegit cit. Baronius ad annum 1145. Romam accedenti Alexandro III. *exiverunt obviam in longum ſpatium Clerus Romanus cum vexillis, & crucibus, quod nulli Romanorum Pontificum recolitur factum*, ajunt acta ejuſdem apud Patrem annalium. Nec ſolus Clerus. *Senatores, & Magiſtratus populi* (ſic cit. to. ſcriptor. &c. pag. 475. col. 3. Roſſelius in vita Alexandri III.) *cum concrepantibus tubis, Nobiles cum militia in appa-*

apparatu decoro, & pedeſtris populoſitas cum ramis olivarum laudes Pontificis conſuetas vociferant. Celeberrimè occurſum fuiſſe Bonifacio VIII. cecinit ſeqq. verſiculis Card. Stephaneſius Cajetanus pag. 463. cit. to. 4. Maii Bollandiani.

Roma velut ſponſum remeantem carcere ab hoſtis
Exceptura foret frontem veſtita coronis
Vadit in occurſum, ludenſque excurrit in agris
Miles eques: Cleruſque canens ſua thura miniſtrat
Pontifici: primùm Laterani templa novellum
Suſcipiunt Patrem: confeſtim Principis aula
Clavigeri Petri gaudens ſuſcepit ovantem.
Hìc locus, hìc thalamus, ſedes quoque feſta ſacrando.

De occurſu facto Urbano V. ex Avenionenſi tractu Romam advenienti ita ſcriptor ejus vitæ apud Baluzium cit. collect. vitarum &c. col. 378. *Viterbio recedens* (Urbanus) *die 16. menſis Octobris* (anno 1367.) *Romam intravit, occurrentibus ſibi Clero, & populo Romano ipſum ſolemniter recipientibus cum magno gaudio, & Deum laudantibus de jucundo adventu ſuo.* Curiam ad Urbem reportanti Gregorio XI. ſic occurſum via Oſtienſi anno 1387. narrat Petrus Amelius in Itinerario ejuſdem, relato a Maſſono lib. 6. de Epiſcop. Urbis pag. 316.

Die ipſa ſabbathi XVII. *Januarii, Simone Petro Romam priùs cathedrato*
Anteceſſore tuo, cujus tu veſtigia ſequeris, ibidem cathedram tenuiſti primò.
Te ingrediente Doctoris gentium eccleſiam, tuæ Sanctitati occurrit mirabilis proceſſio.
Flectente genua te, largito panno aureo miſſam audiſti a Senogallienſi Epiſcopo.

Hæc alloquens Amelius Gregorium: deinde:

Facta viſitatione S. Pauli palatii, ordinataque proceſſione, domum Præſul egreditur.
Via incœpta, obviant Pontifici hiſtriones: cum Filozis via tractatur.
Luta ſunt nimia, infinitus eſt apparatus corigantes in jubilo omnes progrediuntur.
Tuba clangente, convocataque acie mirabili vexilla eriguntur.
In porta civitatis affuerunt innumerabiles Prælati induti pontificalibus:

Si-

Signa gerebant papalia, imperialiaque cum Clericis, & Sacerdotibus:

Tintinnabula cum omni genere muſicorum reſonabant cum ſonoribus.

Verè autem & tunc, qui occurrebant, liberalitatem Pontificum, ut in die primæ coronationis, ſentiebant. Quamquam non illa ſuam omnem promebat amplitudinem, quod conſtat e ſequenti teſtimonio Cencii. *Sciendum, quod* PRESBYTERIUM *ſcholarum non ita datur, ſicuti ſi fuerit* (Papa) *conſecratus in Urbe: de* PRESBYTERIO *enim eorum tunc medietas reſecatur, exceptis Judæis, & Clericis Urbis, & Addextratoribus. Præterea Senatores Urbis Dominum Papam debent addextrare, ſive venerit conſecratus, ſive non, a porta civitatis uſque ad locum, ubi fuerit deſcenſus, ſive deſcenderit ad eccleſiam Lateranenſem, ſive ad eccleſiam B. Petri. In remunerationem cujus ſervicii* x. *ſol. pro equo debent habere: verumtamen ſchola Addextratorum debet habere* xx. *ſol.* Tit. 48. num. 85. cit. toties Ordinis, quem quum viderit, exſcripſeritque (juxta prænotata) Raſponus, mirare obiter, lector, de his tractantem ita ſcripſiſſe: *Media pars Judæis tribuebatur, pars verò integra Clericis Romanis, & Pontificis Addextratoribus. Hi* (k) *verò erant Judices ab utroque latere incedentem Pontificem comitantes, ſive is conſecratus, ſive ante conſecrationem* (Romam) *accederet; iidemque a porta civitatis ei obſequebantur uſque ad locum, ubi deſcendebat, ſive ad baſilicam Lateranenſem, ſive ad baſilicam S. Petri, & hujus obſequii gratia ſolidos* XL. *æqualiter inter ſe dividendos accipiebant. Scholæ autem Addextratorum dabantur ſolidi viginti.* Lib. 2. hiſt. Patriarch. Lateran. cap. 12. pag. 181.

XIII. Et tunc etiam liberalitas Pontificum emicabat ex Cencio.

SECTIO VII.

ALIQUID ſimile geri ſolitis occaſione Coronationis, aliiſque mox enunciatis, extra ordinem, uſumque aliquando geſtum ſubinnuit laudatus Amelius in cit. Itinerario, dum turbas memorat occurrentes Papæ procedenti de Vaticano ad baſilicam Liberii die 16. Maii, vigilia Pentecoſtes; occurſumque factum, ac datum convivium ad ejuſdem palatium re-

§. I. Ejuſdem liberalitatis alia extraordinaria exempla.

(k) V. notam *n.* ad ſect. 3. §. 5.

Digitized by Google

redeunti e baſilica Salvatoris poſt celebratam Corporis Chriſti ſollemnitatem:

Mane orto jam ſole in vigilia Pentecoſtes celeriter currunt manipuli;
Romæ namque Banderenſes cum ſuis cuneis acceſſerunt, militeſque Mareſchalli.

. . . .
. . . .

Hiſtriones, joculatoreſque erant innumerabiles, qui præibant, etiam & Muſici,
Rectores Urbis, & ſacræ ſocietatis tripudiabant omnes Clerici, & laici.
Conſervatores antecedebant omnes induti loricis, currebant periti, & ſervuli,

. . . .
. . . .

Quanta fuit inde almi Spiritus in templo S. Mariæ jubilatio.
Tota Urbs ſacra congregata ibi interfuit manè in papali ſacrificio.

Sic pag. 317. Amelius de primo occurſu: de alio pag. 318.

. . . . Non valebat Præſul equitare, impediente turba,
Patienter ferens egregius Paſtor oppreſſionem a ſuis devotis ovibus,
Lætanter iens, beniguèque ſuſcipiens vota a ſuis ſervulis humilibus,
Iter præbens profundæ humilitatis, ſanctitatiſque devotis ſuis ſequacibus,
Gratanter audiens, publicam ſuſcipiens Legem Moſaycam promptis Judæorum cerimonialibus.
Ingreſſo templo S. Mariæ in monte (a) *ſuperagio cum lætitia,*
Aggreſſo prandium ſolemne cum Romanis Nobilibus, totaque familia,
Completo convivio, roboratur inter ipſum, & Romanos ſincera amicitia.

II. Somma notatorum circa largitiones ætatis minùs antiquæ. In quos illæ profuſæ.

Et alia huic, allatiſque aſſui poſſent majorum teſtimonia. Sed, iis prætermiſſis, attendamus, quid ex productis colligatur. Ætate minùs antiqua publica papalis munificentia ferè in omnium ordinum homines ſeſe effundebat. S. R. E. Car-

(a) Ideſt, *Sanctiſſimæ*.

Cardinales, exteros Antiſtites, ſcholas palatii ſacro Cardinalium collegio inferiores, Papæ familiares, Curiæ miniſtros, Clericos eccleſiarum Urbis, Romanos magiſtratus, Nobiles, ſuprema militiæ capita, laicos alios, pauperes etiam, popellumque donatos ſuſpeximus. Quinimmò & ipſa gens viliſſima Judæorum papalis largitatis particeps quandoque erat.

Largitionum genera quid rememorem? An verò meminiſſe juverit, quod de equo Pii II. & Sede Innocentii VIII. narratum (1) eſt? Dabantur cœnæ, comeſtiones, prandia, & prorſus regalia convivia. Dabantur refectiones, potus, hoc eſt, vina, claretum, & ſpecies. Aqua, herbæ, piper, coppæ vini ſive potionis: agni, panis, ac bovis portio: pecudes, porcaſtri (ut omittam aquaricias, lavinas, ferrataque barilia cum vino, aut clareto, ipſaque coria beſtiarum &c.) quandoque dabantur. Dabantur itidem, qui talibus uti ſolerent, miniſtris argenteæ ſcutellæ, ſeu coppæ, ſticchæ, miſtum, cœpium, furcæ, zonæque. Sed præcipuè dabantur nummi, ærei interdum, quales jacti ſemel ad Lateranum, & alibi per Urbem: interdum argentei, quales denarii, caroleni, groſſi Turonenſes: interdum aurei, veluti melequini, ſeu melechini, aut malachini, marabotini, biſuntæi ſive bizantii, ſolidi, floreni, ducati.

III. Quot earum ſpecies.

(1) *Sect.* 4. §. 15. & 16.

Harum largitionum quædam manu Papæ, ut ſæpè nummi, & aliquando vini, cibique portiones, tradebantur. Reliquas diſpenſabant miniſtri; frequentiùs utique Camerarius, Theſaurarius, nonnumquam Eleemoſynarius, aliàs Saccellarius, unus de Curialibus, Seneſchallus, Mareſchallus, ac Soldanus Curiæ, non ſine tamen Principis authoritate.

IV. Quorum manu profunderentur.

Quibus opportunitatibus eæ traderentur, obvium planumque. Videlicet, per omnes ferme ſollemnitates a Curia celebrari conſuetas in anni circulo, puta, per dies Sabbathi ante Dominicam *Gaudete*, Natalitias, S. Stephani, Epiphaniæ, Carniſprivii, varias ſanctioris hebdomadis, paſchalis tridui, ceteraſque IV. ſectione (2) notatas. Tradebantur præterea per occaſiones non adeo fixas certaſque, ſeu incerti temporis, aut extraordinarias, quas inter nonnullæ eadem (3) quoque deſcriptæ, ac ſequente ſectione; hoc eſt, per anniverſarias defunctorum Pontificum, & Cardinalium ferias, acceſſus Principum ad Urbem, reditus Legatorum, coronationes

V. Et quibus opportunitatibus.

(2) §. 9.

(3) §. 10.

Digitized by Google

Paparum, eorumque ad propriam cathedram regreſſiones &c.

VI.
Inter has illuſtrior dies coronationis, præſertim prima.

Obvium pariter planumque, quænam foret ex his opportunitatibus, imò etiam largitionibus, illuſtrior celebriorque. Inter opportunitates illuſtrior omnino erat quævis appellata paſſim *dies coronationis* in datis excerptis, aut ſecundùm phraſin Ordinis XI. Mabilloniani (n. 16. & 36. pag. 125. & 135. muſei &c.) *celebritas*, ſeu *feſtum coronæ*, quo nimirum Pontifex niveo ſive cycneo ſublimis equo vel ante, vel poſt ſollemnia miſſarum per Urbem devehebatur regali thiara ſeu regno redimitus: quod agebat diebus electionis, aut conſecrationis, natalis Domini, S.Stephani, Epiphaniæ, tridui paſchalis, aliiſque juxta notata ſparſim præcedentibus ſectionibus, & alibi (4) ſuperiùs. Nam tunc & pompa ceremoniaque actionis ſplendidior, & multitudo participantium de Pontificiis donis frequentior, & gravior ditiorque munerum aliquot cumulus. Id quod maximè Majores mirabantur occaſione primæ coronationis, & cujuſque paris feſtivitatis; ideſt, quotieſcumque Pontifex equitabat a baſilica S. Petri ad Salvatoris. Quæ ſanè occaſiones propter arcus, & obſequia Romanorum, atque occurſus Judæorum, & Cleri, indeque aucta dona (ut mittam plura) ſupra ceteras refulgebant.

(4) Par.1.ſect.5. n.16.&c.

VII.
Largitionum papalium nobiliſſima, quæ ex nummis manu Pontificis, potiſſimè mox notatis diebus diſtributa.

Illuſtrior largitio haud dubiè, quam nobilior materies conſlabat, & Papa ſuis manibus, eademque nobiliori materie (aureis nempe argenteiſque nummis) conſtantem, ritu auguſto, memorabilique loco quamplurimis (præſertim ampliſſimæ Dignitatis viris) impertiebat. Quod potiſſimùm eveniſſe vidimus occaſione primæ, eique ſimilium coronationum. Quàm enim illuſtre, aſſidiſſe Pontificem ſanctioribus indumentis amictum excelſo loco in principe Urbis, & Orbis Eccleſia, atque uno ex præcipuis ſacellis (hoc eſt, S. Sylveſtri) aſſiſtente ſibi cum aliis Apoſtolicæ Sedis miniſtris Camerario, poſitoſque ſuper paratam menſam nummos porrigente: ad aſſidentem acceſſiſſe fulgidiora eccleſiaſticæ Hierarchiæ capita, S. R. E. Cardinales, depoſitaque mitra intra eamdem excepiſſe nummos exhibitos papali manu, muneratorem perquam humili ritu venerantes! Quàm illuſtre, Prælatos, Proceresque (ut nihil dicam de ceteris) multiplici ratione poſt illos probaſſe liberalitatem Antiſtitis ſummi, eidemque demiſſiſſimi obſequii rependiſſe vices! Relege ſaltem paullò ſu-

Digitized by Google

ſuperiùs (5) data hiſtoricorum, aliorumque ſcriptorum loca quædam.

(5) *Sect.* 4. & 6.

VIII. Eædem deſumptæ ex ærario Apoſtolico, datæque pro libito Papæ.

Tum verò prælaudata, tum reliquæ largitiones de Cameræ gazophylacio proferebantur. Repetita crebrò apud authores mentio ſollicitudinis, ac miniſterii circa illas Camerarii; necnon aliquando generatim dictum, quod dari deberent a *Curia* (6) largitiones, rem prorſus evincunt. Evincitur item ex aliis, eaſdem diſtributas ad libitum Pontificis, quod Bonanno cauſſæ fuit, ut (to. 2. de numiſmat. Romanor. Pontiff. num. 4. pag. 710.) ſcriberet de *presbyterii* quantitate: *animadvertendum, banc pecuniæ quantitatem pro libito Pontificum modò auctam, modò diminutam*. Alicubi (7) certè aliquam explicatè *pro voluntate Papæ* conceſſam audivimus.

(6) *Sect.* 3. §. 6.

(7) *Ibid.* §. 5.

IX. Libiti hujus quæ regula.

Regula tamen hujus voluntatis, ſi quantitatem ſpectemus, quoad illos, quibus ſigillatim præſtatio aliqua (qualis conflata ex nummis) concedebatur, dignitas graduſve erat recipientis. Hinc (cauſsâ exempli) quilibet Cardinalis Epiſcopus plus accipiebat, quàm Presbyter: plus hic, quàm Diaconus: plus quàm Epiſcopi extranei, Archiepiſcopi. Uno verbo; hinc illa proportio, quæ ſpeciatim apparet in relatis, maximè ſectione III. (8). Hinc etiam (quod & ibi viſitur) cuique diverſarum ſcholarum Priori dabatur amplior largitio ſingulari vocabulo *manus* nuncupata. Quoad eccleſias, menſura deſumpta videtur ab earum, quæ per ætatem illam divulgata eſſet, repræſentatione, opinioneque. Memineris hæc jam a nobis expoſita; quum de proportione *presbyterii* Vaticani (9): indeque percipies, quare plus datum eccleſiæ S. Petri, quàm Lateranenſi: plus huic, quàm eccleſiæ Liberii: plus huic, quàm Titulorum cuilibet: plus iſtis, quàm Diaconiis: plus Diaconiis, quàm Cappellis ferme omnibus. Ferme, aio; quum certò aliquæ par iiſdem aſſignato perciperent munus; ſicuti quædam Monaſteria par Diaconiis, quin & aliquando conceſſo Titulis accipiebant juxta catalogum jamſupra (10) relatum. Quod factum ob privilegia eorumdem, doteſque explicandas promiſſo opere de Hierarchia &c.

(8) *Eod.* §.

(9) P. 2. *ſect.* 10. §§. 16. 11. 12.

(10) *Sect.* 5. §. 8. *ad ult.*

X. Participantes liberalitatem Pontificis aliquo ex titulo participes erant.

Titulus ſeu cauſſa tot Papalium erogationum multiplex. Omnium utique cauſſa generalis (præſertim conviviorum ſollemnium, jactuum monetarum in vulgus, traditorumque nummorum primis Capitibus, veluti Cardinalibus univerſis, Prælatis notæ ſublimioris, aliiſque, præcipuè diebus coronatio-

tionum) dicenda mera liberalitas, magnificentia, majeſtas Pontificum. At explicatum quandoque, eas e ſpeciali benevolentia, gratoque animo prorupiſſe Papæ, remunerationem quampiam exhibere volentis ſubditis ſuis pro laboribus, ſerviciis, honoribus, obſequiis ſibi præſtitis, ut prætercam, ſe largum exhibuiſſe illum nonnunquam in repræſentationem myſterii cujuſpiam, quo potiſſimè tendebat diſtributio agni (11) facta in ſollemnitate paſchali. Propterea datos (12) quandoque nummos, aliaque perſpeximus pro cantu antiphonæ, ſequentiæ &c. pro laudibus proclamatis a Cardinalibus, aliiſque: & (ne per plura diſcurram) propterea voces illæ auditæ (13) apud allegatos ſcriptores: *Scholis Urbis datur propter ſervitium, quod exhibent Curiæ Romanæ: pro laudibus* (Judæi) *recipiunt .... in remunerationem honoris Romanis pro arcubus datur ... Clericis pro thuribulis: Clericis Romanis pro thuribulis, Judæis pro repræſentatione Legis, laicis Romanis pro arcu ... datur: in remunerationem ſervicii ... debent habere* (Senatores): *hujus obſequii gratia* (Judices) *accipiebant*.

(11) *Sect.* 4. §. 3.
(12) *Ibid.*
(13) *Sect.* 3. §. 5. *ſect.* 5. §. 6. *ſect.* 6. §. 13.

XI.
Feſtum thuribulorum quodnam?

Sæpè repetita verba: *pro thuribulis*: dubio procul ſignificant obſequium Clericorum, qua data porta, ruentium in occurſum equitantis Principis, eumque thurificantium. Quæ actio decoris tantum tribuebat ſollemnitati, ut *feſtivitates* vocarentur *thuribulorum* dies coronationis primæ, eique ſimiles ejuſcemodi equitationibus illuſtratæ. Norunt id quotquot veterum idioma calluere, ipſeque (ceterò eruditus) Creſcimbenius circa pleraque non ſatis ſcienter quandoque loquutus, uti alibi dicta, dicendaque probant; ipſe, inquam, hæc ſcribens lib. 7. cap. 10. pag. 358. cit. hiſtoriæ S. M. in Coſmedin: *Nelle ſolenni calvacate* (intellige præfatarum dierum) *il Papa dava il* PRESBITERIO *sì al popolo Romano, come a Cherici* (addere debuiſſet ac Judæis): *a quello, perche l'onorava con archi trionfali, che alzava per la via: a queſti, perche veſtiti di loro abiti di chieſa gli ſi facevano incontro incenſandolo co' turibili ... e queſte ſi chiamavano anche feſte de' Turibili.* Unde non video, cur neſcio quid diverſum a tota ſollemnitate feſti coronationum in antiquis ſcriptionibus *feſtivitatem thuribulorum* innuentibus recognoſcere potuerit Macrus. Ait quippe in Jerolexico: *Thuribulorum feſtivitas erat quædam feſtivitas, quæ celebrabatur a Clero in aliqua eccleſia; quando accipiebantur a Papa quædam monetarum munera* PRESBYTERIUM *appellata*.

Ad-

Addit quidem: *de qua ceremonia ſit mentio in quibuſdam ſcripturis in archivo S. Angeli ad forum piſcatorium, in quibus loquitur de Clero eccleſiæ S. Patermutii, ubi Clerus ſuſcipiebat a Pontifice* PRESBYTERIUM VI. *denariorum*. Aſt ego e ſcriptionibus illis colligi poſſe noſco, portionem denariorum ſex conceſſam fuiſſe eccleſiæ S. Patermutii, recurrente feſto *thuribulorum*, ideſt Coronationum, quod & ſupra (14) narratum; nullo tamen modo, quoties Clerus liberalitatem Papæ experiretur, apud aliquam eccleſiam ejus habitum conventum, qui *feſtivitas thuribulorum* diceretur. Nullæ certè conventus hujus memoria eſt apud priſcos authores. Illinc ad ſummum elicere quiviſſet Macrus, ſingularum eccleſiarum Clerum poſt actionem thurificationis ad propriam remeaſſe ſtationem, ibique expectaſſe Camerarium, ejuſve ſubſtitutos (eoſdem veroſimillimè, quos deputatos alibi (15) vidimus Vaticani *presbyterii* diſpenſationi), de quorum manibus papale munus prodiret. Cui conjecturæ non illibenter ipſe ſubſcriberem.

(14) *Sect.* 5. §. 10.

(15) P. 1. *ſect.* 10. §. 12.

XII. Pauca ſuper arcubus a populo Romano die coronationis primæ, aliiſque erectis, ac via papali a S. Petro ad Lateranum.

Quod attinet ad arcus (cauſſam laborum Romani populi, adeoque incitamentum unum pontificiæ liberalitatis) nihil ſuggeſſere producti textus, quo dilucidè conditio eorumdem, & allaborantium perſpici valeat. Brevitas quidem temporis, qua confici neceſſariò debebant, iis pares fuiſſe monet erigi ſolitis etiamnum per occaſionem popularium feſtivitatum; videlicet, compactis ex trabibus undique florum, viridantium foliorum, tabellarum, & auricalchi in bracteas concisi ornamento circumamictis. Sed hæc pura putaque conjectura. A laicis illos erectos citati textus, turbaque Scriptorum clamant: atque eos probabiliter fuiſſe profeſſores artium, & univerſitates laicales tum adnotatio conſtruentium (16) primum arcum ſuper gradus S. Petri, tum catalogus quorumdam ex titulo 19. num. 42. Ordinis Cencii (17) prolatus inſinuare videntur. Verùm perturbat omnem rerum ideam ingeſta mentio Clericorum aliquot, quando expoſitus (18) modus diſtribuendi Romanorum *presbyterium* ſeſe iterum menti offert. Fortaſſis alicujus loci Clericis tradebatur moneta, quam ſubditis confectoribus arcus conſignarent. Utut de his; unum ex deſignatis in eo locis non incommodè diſcimus; ſummam nempe viæ (*b*) equitatione Pontificis illuſtratæ. Coronatus An-

(16) *Sect.* 5. §. 7.

(17) *Sect.* 3. §. 5.

(18) *Sect.* 5. §. 7.

(*b*) Ante Cencium papalem hanc viam deſcripſit Benedictus Canonicus num. 50. & 51. ord. 11. Mabill. pag. 143. & ſeq.

Antiſtes in Vaticano procedebat illinc per *gradus* baſilicæ tranſiens ante varias ejuſdem cappellas, maximè *S. Gregorii* alibi appellatam *in curtina*, ac *porticus*, & circumjacentia *ponti* edificia, potiſſimè *caſtellum Creſcentii*, nunc S. Angeli: inde ante palatium *Maximorum*, ædeſque Viæ *de calcaria*, præſertim *Cæſariorum*, modò Cæſarinorum, ubi nunc S. Nicolai eccleſia, & SS. Stygmatum B. Franciſci, olim SS. Quadraginta *Calcariorum* juxta narrata a Martinello cap. 11. Romæ ſacræ pag. 261. & in literis Clementis VIII. ſupprimentis curam animarum annexam eccleſiæ SS. Quadraginta impreſſis anno 1700. ad calcem ſtatutorum ſodalitii prælaudatorum Stygmatum: inde procedebat ante Titulum *S. Marci*, eique conjunctam porticum, necnon ſuppoſitas clivo Capitolino moles: inde ante porticum *S. Coſmæ*, vicinumque *monaſterium*, quod S. Laurentii *in miranda*: inde ante propinquas *Coloſſæo* cappellas, qualis *S. Nicolai*, & *S. Mariæ de ferrariis*: tandem ante Titulum S. Clementis, hærenteſque *palatio* Lateranenſi ſubſtructiones. Quis per paucos hoſce terminos ibi deſcriptos, & adhuc notos, quis, inquam, Romanæ Urbis ichnographiam callens non continuò deprehendat, quæ foret tot arcubus coronata, tanta populi ſollicitudine culta papalis triumphi ſpectatrix ſemita? Sed gravius aliud imminet obſervandum.

XIII. Denominatio præſtitorum a Pontifice multiplex; ſed *presbyterii* frequentior.

Nimirum, quibus denominationibus pontificiæ liberalitatis data diſtinxerint perpenſæ hucuſque ætatis ſcriptiones. Appellabantur *cœna*, *potus*, *refectiones*, *convivium*, *epulum*, *prandium*, *eleemoſyna*, quæ verè talia forent, ſuo ſæpè vocabulo. At nummus Priori baſilicario præſtitus, *honorantia* quandoque vocatus: duplicata quibuſdam pecuniæ portio, *manus* paſſim dicta: & *largitio*, quæ pecunia daretur die *Jovis* ſancti: *donativum*, data pecunia in Epiphania Domini: *miſſilia*, jactatæ frequenter monetæ: *dona*, diſtributæ per regiones eleemoſynæ: *munera*, quotquot traderentur Cardinalibus Præſulibus, Clero, laiciſque ad Lateranum: *datum*, & *donarium*, conceſſa quædam diebus aliquot Coronationum: *benedictio*, præſtitum *brodariis* munus. Nulla tamen frequentior occurrit denominatio, quàm *presbyterii*. Fermè ſingulæ præfatæ ſcriptiones *presbyterium* ſonant.

XIV. Imò *presbyterii* denominatio genus erat ceterarum.

Imò (quod animadverſione dignius) tam diverſæ denominationes in eamdem unicè reſolvi videbantur. Hinc, quod ali-

alicubi *manus*, explicatur aliquando, *ideſt presbyterium* (19) *duplum*, ſicut etiam advertitur a Mabillonio in notula ſuppoſita tit. 12. num. 26. Ord. Cencii pag. 180. aut dicitur *duplicatum presbyterium*. Hinc, quæ *largitio* appellata, *presbyterium* exponitur; ac ad voculam *donativum* additur, *ideſt presbyterium*. Hinc, quæ *comeſtiones*, quæ *benedictio*, quæ denique diverſiſſimæ ſpeciei data, ſub titulo *de* PRESBYTERIO nonnumquam a Cencio diſertiſſimè (20) collocantur. Ex quibus percipimus, nomenclationem *presbyterii* communem fuiſſe quibuſcumque papalis liberalitatis ſignificationibus, ſeu quaſi illarum genericum nomen.

Satis hæc perſpicua. Sed multò magis clarum, extare tot inter *presbyteria*, unum verè, & propriè *presbyterium* nuncupatum, & *presbyterium*, quod tanquam ſpecies a genere diſtingueretur. Id revelavit Cencius, quando variam diei nativitatis Domini traditam Priori Diaconorum largitionem ſic (21) expreſſit: *Priori Diaconorum Cardinalium* (dat Papa) *quatuor melequivos*, *& totidem ſolidos pro prioratu*, PRESBYTERIO, *& laude*, ubi apertè ſecernitur a præſtationibus ob laudes, & prioratum conceſſis præſtatio ſpeciatim *presbyterium* dicenda; quamquam & illæ juxta ſuperioribus *ſſ*. notata generatim *presbyterium* quoque dici poſſent. Demonſtravit idipſum invariatus omnium Scriptorum uſus non aliud adhibendi vocabulum, quàm quoties, quod verum eſſet, propriè que *presbyterium* (conſlatum ſcilicet ex monetis munus) annotare vellent. Ex quo formulæ (22) nonnullorum: *ſuſcepit biſuntæos aureos*, *quod* PRESBYTERIA *vocant*: *ponit pro* PRESBYTERIO ... *groſſos argenti*: *ſumptuoſum donativum, quod* PRESBYTERIUM *nominant*: *diſtributa pecunia*, *quæ vocatur* PRESBYTERIUM &c. Erat autem munus illud, quod Pontifex largiebatur pleriſque propria manu feria v. in cœna Domini; & maximè vel manu itidem ſua, vel per vicariam Camerarii, ejuſve miniſtrorum operam, quando coronatus incedebat, prima præſertim ſuæ aſſumptionis, ſeu coronationis die, eique non diſſimilibus occaſionibus. Volve iterum, lector, præcedentes ſectiones: nullum offendes, præter ſpecialem nummorum munus talibus ſollemnitatibus, eaque diſtributum ratione, tam conſtanter, unanimiterque *presbyterium* appellatum.

Et quidem optimè, judicio meo. Quandoquidem, quum ple-

(19) *Sect.* 3. §. 4.

(20) *Sect.* 6. §. 7.

XV. Attamen *presbyterium* vocabatur ſpeciatim unum datorum, præſertim die Coronationis, eique ſimilibus.

(21) *Sect.* 3. §. 5.

(22) *Ibid.* §. 8. 14. 15. 16. & *ſect.* 4. §. 14.

XVI. Ethymon ejuſcemodi, aliorumque *presbyteriorum* papalium.

pleræque ex ceteris largitionibus (ut obſervanti patebit) valde remotè, ejuſmodi verò munus proximè, atque evidentiùs proflueret de Romani Pontificis liberalitate, religioſiùs *presbyterium* dici debuit. A ſupremo namque *Presbytero* datum juſtiùs affirmari poterat; a quo *presbyteriorum* omnium papalium uſque huc deſcriptorum abſdubiè nomenclatura proceſſit. Fidenter hoc ajo; quia non illa (majori ſaltem ex parte) video pertinuiſſe ad Clericos, aliàs *presbyteros*, uti contingebat in Vaticana largitione, de qua propterea ſuo loco (23) diximus ſuſpicari nos poſſe, quod etiam nomen *presbyterii* ab iiſdem acceperit. Ordines omnes laicorum, videlicet nobiles, plebecula, pauperrimi inter Romanos, exteri, ipſi Judæi, maxima pars erant participantium de liberalitate *Presbyteri* ſupremi.

(23) Par. 2. ſect. 4. §. 2.

SECTIO VIII.

§. I. Ætas minùs antiqua veterem publicæ pontificiæ liberalitatis œconomiâ ſervavit. An, & noviſſima?

TExtus ſectione 3. ac tribus ſequentibus relati hæc omnia colligenda ſuggeſſere, ex quibus tota ratio perſpici valet publicæ munificentiæ papalis poſt duodecimum ſeculum ad conditum uſque ultimum pontificium Ceremoniale frequentatæ. Ea verò quiſquis ſingillatim contulerit cum collectis pridem ſectione ſecunda, comprehendet, vetuſtioris ætatis œconomiam per idem tempus (1) utcumque fuiſſe ſervatam. Servatæ certò ſunt pleræque ex antiquis occaſionibus: ſervata multiplicitas, varietaſque largitionum: ſervata eaſdem miniſtrantium, & ferè omnium participantium conditio: ſervata generalis, ſpecialiſque vocis *presbyterii* acceptio: ſervatæ *presbyterii* diſtribuendi formulæ. Prætereo cetera, minutiora potiſſimùm. Nunc de poſtrema ætate quid dicam? Quod verum. Nempe, ſervaſſe & illam priſcam laudatæ liberalitatis indolem, rationemque; in ſola tamen (niſi probè decipiar animo recogitans recentiores (*a*) ejuſdem mores) ſollemnitate

(1) Sect. 3. §. 1.

(*a*) Nunc Pontifex aſſumptus plura aureorum millia diſtribui mandat iis, quos *Conclaviſtas* vocant. Quotannis nomine Papæ (præſertim ſub anniverſario Coronationis) diſpenſantur publicæ eleemoſynæ. Circa natalitias Domini ferias Papæ familiaribus diſtribuuntur chartæ beneficiorum, ac penſionum. In nocte Nativitatis cœna datur Cardinalibus, aliiſque. Feria v. majoris hebdomadis, quibus abluuntur pedes per Pontificem, vel Cardinales, duplex traditur numiſma, aureum unum, alterum argenteum præter candidam veſtem, & epulum. Convivia,

te primi celeberrimi ſummorum Antiſtitum ad Lateranum acceſſus, quem vocant modò ſollemnitatem *poſſeſſionis ſacroſanctæ Lateranenſis eccleſiæ*. Dubitas? Attende, quid pro eadem exequenda præſcripſerit præfatum ceremoniale: & quæ fuerit uſque ad noviſſimos annos (ſecundùm documenta, quæ videre potui) præſcriptorum fortuna.

II.
Quid recentius ceremoniale R. E. in ſollemnitate ineundæ per Pontificem poſſeſſionis agẽda præſcripſerit ad Vaticanum, & per viam uſque ad baſilicã Lateranenſem.

Ceremoniale, ritibus quamplurimis, maximè conſecrationis, & coronationis ſummi Pontificis, tanquam unius diei circulo complendis ad S. Petrum, narratis, deſcribit, quæ proceſſum ejuſdem ad Lateranum, perficiendaque ibi ad coronidem ſollemnium manifeſtant. Præmittit, quod nonnihil cibi ſumi poſſit poſt coronationem ab omnibus proceſſuris; videlicet, a Pontifice, & Cardinalibus *in atrio domus Archipresbyteri baſilicæ*; ab aliis Prælatis *in vicinis domibus Canonicorum*. Memorat inde ſingulorum Ordinum (potiſſimè cum Pontifice ſacris habitibus ornatorum) nomen, ac ſeriem, quæ equitando procedere inciperet. Addit poſtea: *Hoc ordine proceditur ad Lateranum. Cùm Pontifex pervenerit ad montem* (b) *Jordanum, Judæi illi obviam eunt, genuflexi Legem*

L l 2 *Pon-*

via, ſeu refectiones ſollemnes fiunt eadem feria v. & ſequenti, præcipuè purpuratis Patribus. Die Paſchatis, & anniverſaria Coronationis varii Clerici cappellares, puta, Ceremoniarii, Cantores &c. ſtrenis aliquot donantur. In feſto SS. Apoſtolorum Petri & Paulli celſiores Ordines Curiæ, maximè Cardinales, ac intimiores Papæ familiares accipiunt Apoſtolicæ Cameræ cuſa impenſis argentea, aureaque numiſmata. Quoties apud ſacellum pontificium, aut per eccleſias celebratæ ſunt ſollemniores Curiæ miſſæ, quas *veſperæ ſecretæ* nuncupatæ, præſente Papa, ſubſequantur, Magiſtris ceremoniarum, Cantoribus, aliiſque paratur prandium, vel ejus vicem tenentes denarii conceduntur. Cardinalibus, & Epiſcopis, qui primùm auguſtè ſacrificaverint in magnis S. Sedis functionibus, pro munuſculo placenta (*torta*) tranſmittitur. In aula palatina propinari ſæpè ſolent rigentium, *aptatarumque* (juxta phraſin Cencii Camerarii) aquarum cyathi, præſertim quum Pontificem conveniunt viri Principes. Largum ſe quoque publicè oſtendit Papa in eoſdem, miſſis ad eorum domicilia donariis variarum ſpecierum, atque etiam aliquando datis ſplendidiſſimis epulis &c.

(*b*) Explicat hic locus, ubi verè ſita turris *Serpeteri*, ſeu *turris de Campo* &c. ad quam Hebræorum occurſum affixum vidimus per Cencium, & Cajetanum. Nempe ea parte montis Jordani, quo attollitur modò poſtica pars habitaculi Patrum Congregationis Oratorii, & eſt initium, caputque Parionis. Quo loco extaſſe ſciunt Eruditi ſacram ædem B. Cæciliæ *de turre campi*, ac etiam *Stephani de Petro*, a Majoribus dictam, ideſt, Petri Præfecti Urbis, qui in eadem turri occluſiſſe perhibetur S. Gregorium VII. V. Turrigium in hiſtoria imaginis Deiparæ apud Moniales SS. Dominici & Sixti cultæ cap. 13. pag. 32. Ciampinum in enarratione poſita ſub calce libri de dignitate Vicecancell. pag. 169. & ſeq. Martinellum cap. 8. Romæ ethnicoſacræ pag. 38. Poſtea adverte, num veritati congruant,

quæ

Pontifici offerunt lingua hebraica Legem laudantes, & hortantes Pontificem, ut illam veneretur. Pontifex, illis auditis, in hanc ſententiam reſpondet: Sanctam Legem &c. *Sed, quoniam nonnunquam accidit, ut Judæi populi multitudine opprimantur, ſolent aliquando impetrare pro eorum ſecuritate, ut hoc faciant ſuper antemurali arcis S. Angeli in angulo ad viam, qua itur ad palatium. Aliquando ante, aliquando poſt* (Pontificem) *equitabit Mareſcallus, ſeu Soldanus* (c) *Curiæ cum duobus ſacculis pecuniarum ante ſellam, & ipſas pecunias projiciet ſuper populum ad preſſuram dimovendam. Primum jactum pecuniarum faciet cùm Pontifex incipiet ſe movere: alind apud pontem Hadriani: tum in area apud montem Jordanum: inde in area Parionis: inde alium apud S. Marcum: poſtea apud S. Hadrianum: & demum ubicumque magnam preſſuram apud Pontificem viderit; &, ut faciliùs poſſit pertranſire, ad partem tranſverſam jaciet pecuniam.*

III. Ac prope, & intra eamdem. De largitionibus, *presbyterii* præſertim, ibi faciendis.

Pergit ceremoniale, narrato ingreſſu Papæ in porticum Lateranenſem: *a Priore & Canonicis* (qui illi extra eccleſiam occurrerant) *ducitur ad marmoream ſedem ante portam principalem a ſiniſtra ſtantem, quæ appellatur ſtercoraria, ad quam accedentes Cardinales elevant eum honorificè dicentes: ſuſcitat* &c. *Surgens Pontifex accipit de gremio Camerarii ſibi aſſiſtentis quantum pugno poteſt complecti pecuniarum, ubi tamen nihil prorſus ſit argenti, aut auri, & ſpargit inter populum dicens: argentum, & aurum non eſt mihi* &c. Narrat continuò, quod

quæ in notatione ad verſiculos Cardinalis Stephaneſii allegatos hìc ſect. 4. §. 13. ſcripſere doctiſſimi continuatores Bollandiani operis de loco occurſus Judæorum. *Inter Ghettum (ita vicus Judæorum appellatur) ubi illi occurrerunt* (Bonifacio VIII.) *Pontifici, medius patet campus Martius, in quo pervetus turris constructa horologio, & nunc intra Piorum ædes comprehenſa, ad quem illi convenerunt obviam ituri.*

(c) Hoc Ceremoniale ſect. 12. cap. 1. *de ordine, quomodo Papa equitat in pontificalib.* onus jactandi pecunias attribuit Eleemoſynario; ſed ſub eo titulo minimè comprehenſam, credo, intellexit ſollemniorem poſſeſſionis equitationem. Neque enim *Soldani* meminiſſet hìc ſeu *Mareſcalli Curiæ*, cujus dignitas poſtremis temporibus venalis (niſi fortè plures fuerint in Urbe *Soldani*, quod mihi ignotum) evaſerat, &, antequam extingueretur, propria erat illuſtris familiæ de Capiteſerreo. Extincta autem eſt per Pontificem Gregorium XIII. proventu ad ſodalitii B. Hieronymi de charitate commodum translato, in beneficium pauperum, potiſſimè detentorum carceribus, erogando, uti oſtendunt literæ Apoſtolicæ apud Scannarolam de viſit. carcer. in append. §. 1. cap. 9. Quod foret princeps *Soldani* munus, explicatur *Motu proprio* Julii Papæ II. familiarem ſuum ad ejuſmodi munus aſſumentis, cujus tenorem dabimus ad calcem operis num. 18.

Digitized by Google

quod intra eccleſiam multiformiter honoretur Pontifex, *laudes* excipiat in palatio, ducatur ad ſacellum S. Sylveſtri, ſedeat in prima ſede porphyretica, tandem in ſecunda, *ubi ſedens* (inquit) *e gremio Camerarii capit denarios argenteos omnifariam, quotquot poteſt manu continere, & ſuper populum ſpargit dicens: diſperſit, dedit pauperibus* &c. *& hoc tertiò facit*. Exin ductum ait Pontificem ad *Sancta Sanctorum*, quo oret: ac ſubjungit: *Surgens cum mitra revertitur ad cappellam Sancti Sylveſtri, in quam intrans ſedet ſuper ſedem ibi paratam. Tum deponit mitram* (pretioſam), *chirothecas, pallium, planetam, & aſſumit pluviale, & mitram ſimplicem, & ſedens dat* PRESBYTERIUM *hoc modo: Cardinalibus duos aureos, & duos groſſos argenteos. Veniunt Cardinales, & profundè caput inclinant ante Pontificem, porriguntque mitram apertam, in qua Pontifex immittit pecuniam. Illi, accepta pecunia, manum Pontificis oſculantur. Pecunias capit Pontifex e gremio Camerarii. Alii Prælati genuflectunt ante Pontificem, & accipiunt in mitra ſua unum aureum, & unum groſſum, & oſculantur dextrum genu Papæ. Alii verò Prælati, & Officiales accipiunt in manu tantumdem, & oſculantur pedem. Dato* PRESBYTERIO, *Pontifex cum Cardinalibus aſcendit ad palatium Lateranenſe, &, ſi non facit ſolemne convivium, deponit paramenta, & intrat cameram... Cardinales ducuntur ad cameras ſibi ordinatas, quieſcunt, & expectant Pontificem, ſi vult redire ad S. Petrum*. Sic ceremoniale ſectione 2. tit. de coronat. Romani Pontificis ad librum primum.

IV. Quæ methodus deſcriptarum actionum, Papa extra Urbem coronato, juxta laudatum ceremoniale.

Ibi (at ſectione quarta) præſcribit, quid agendum foret, conſecrato, coronatoque Papa extra Urbem. *Pontifex ornatus* (verba ceremonialis) *poterit equitare cum ſolemni proceſſione, ut ad Lateranum conſuevit, ad aliquam eccleſiam, & in via fient jactus pecuniarum, & Judæi obviabunt cum Lege, & reſpondebitur, & fiet, ut in via ad Lateranum: & cùm pervenerit ad dictum locum* (aliis exactis ceremoniis, impertitaque populo benedictione) *aſcendit ad ſedem eminentem, & dat* PRESBYTERIUM *Cardinalibus, & Prælatis, &, finitis omnibus, vadit ad locum, ubi ordinatum eſt convivium, vel ad cameram ſuam, ſi privatim prandet, & omnia ſervantur, ut in Urbe, quæ ſervari poſſunt.*

V. De obſequiis a Rom. populo Papæ præſtandis.

De populi plauſibus, honoribuſque Papæ proceſſuro exhibendis, nihil fert conditor ceremonialis, credo, quòd re-ſer-

ſervari voluerit Innocentius VIII. (cujus authoritate compactum primò opus illud fuiſſe dudum notavimus) ejuſdem populi arbitrio. Ceterùm magnificentiſſimè per Urbem exceptam equitationem vel ipſis conditi operis proximiùs conſequutis annis atteſtatur epiſtola, qua deſcribitur fuſiſſimè factus die 27. Auguſti anno 1492. proceſſus Alexandri VI. ad Lateranum apud collectionem epiſtolarum Petri Delphini. *Via omnis* (hæc inquit inter multa) *per quam equitavimus, pannis erat contecta, ac variis triumphantum ſimilitudinibus ornata: pendentibus diſtichis, aulæis* &c. V. epiſt. 38. lib. 3. De honoribus cuique poſtea procedenti tali occaſione Pontifici verè præſtitis ambiget nemo, qui integra loca legerit plurium mox allegandorum ſcriptorum, & perpenderit referenda §. poſtremo.

VI. Præſcripta in ceremoniali nō integrè obſervata. Quid certò obſervatum ſub Leone X.

Non idem pronuncio de præſcriptis in ceremoniali. Etſi tota ſollemnitas numquam (niſi fortè præmaturæ mortis cauſſa) omiſſa, nec ab ipſis Innocentii VIII. proximioribus ſucceſſoribus adamuſſim ceremoniæ, deſcriptique uſus ſunt obſervati. Largitiones quidem haud neglectas innuit fragmentum Diariorum Paridis de Craſſis relatum (tit. 18. commentarii prævii ad Ordd. Roman. pag. 123.) a Mabillonio, quod narrat profuſos fuiſſe denarios in porticu baſilicæ manu Leonis X., & ſedis ſtercorariæ commemorat uſum. Aliàs & iſte, adeoque annexa largitio, ſicuti, quæ de porphyretica emitti præſcribitur, deſiit poſt Leonem. Quandoquidem verum eſt, quod monet pag. ſequenti cit. commentarii cit. Mabillonius: *Totus ille ſedium ritus penitus abolitus eſt poſt Leonem Decimum*: & certò falſum, quod ſcribit Guillelmus Burius (ut ceteros prætercam, maximè etherodoxos authores) in ſua brevi notitia Romanor. Pontiff. ubi de Johanne VIII. *Adhuc* (nimirum noſtris temporibus) *ſedi* (ſtercorariæ) *imponitur Papa, cùm deportatur ad baſilicam Lateranenſem pro Pontificatus poſſeſſione accipienda, & paullò poſt in altera .... a Cardinalibus adorandus.*

VII. Et ſub Paullo III.

Paullus III. poſt coronationem ſuam, quæ acta fuit ad S. Petri die 5. Novembris anno 1534. minimè proceſſit ad Lateranum. Sed parata pompa ſtetit ibidem, ibidemque jactus habendi per viam, traditio *presbyterii*, convivium, aliaque completa ſunt. Audiamus Novidium ſollemnitatem ita poeticis coloribus pingentem lib. 11. faſtor. ſacror. pag. 143. & ſeq.

Pa-

Poſtera lux oritur, diſcedere ſydera nollent:
Deque ſuo certant noxque, dieſque loco:
Candidaque exorto face Phœbo eſt æmula Phœbe:
Invidet & fratri lumine pulſa ſoror.
Cernere dum certant cæleſtia ſigna Coronam,
SANCTE, *tuam lis hæc de ſtatione poli eſt.*
Ante fores templi tollit ſe ſcena columnis,
Ara Patrum alterno eſt dum Laterana loco.
Pergite, Caſtalides, veſtra eſt hæc cura, ſorores,
Lux licèt Heroum poſtulat iſta pedem.
Scilicet hic rerum moderamina ſera recepit,
Vrbis jampridem quum Pater ipſe foret.
Curia convenit, tolluntur que ordine ſigna:
Sit velut in media pompa ſtat ipſa via.
Quæque ſuis triviis per compita danda fuiſſent,
Æra, premat ne vis, dat mora certa foro.
Sed ſolio ecce ſedet: linguiſque, animiſque favete,
Dum Patri Patriæ ſacra Corona datur.
Vix ea: plaudebat jam fœmina, virque ſedenti:
Quum tonuit lævus, promicuitque polus.
Atque novus populi pervenit ad æthera clamor:
Et Vaticanum ſuſtulit ora jugum.
Æs dabat is Patribus, proque ære illi oſcula proni
Dant: pariter Sanctum ſuſpiciuntque Senem.
Roma ſalutabat poſt hæc ſed læta Parentem,
Gaudia quòd poſt tot triſtia nacta foret.
Interea accumbit: ſplendent convivia luxu:
Funde Coronato, proxima Flora, roſas.

Sequuntur variæ fauſtorum adprecationes ποιητικῶς inductæ. Exinde:

Hæc Flora, atque Iris mecum ipſa domeſtica dixit,
E menſa larga quum dabat æra manu.
Ergo Deus, cujus nobis moderaris habenas,
Hoc caput, hæc cui nunc trina thiara data eſt,
Quod caput eſt Orbis, populis, temploque reſervet:
Præſentemque velit ſæpè redire diem.

Graviora accidere ſub Pontificibus laudato Paullo III. & Clementi VIII. intermediis, docente, quod ſcripſit Johannes Paullus Mucantius Apoſtolicus Ceremoniarius in mss. diariis poſt verba §. ſeq. notanda, quibus præcipuè pompam deſcribit

VIII. Multùm poſtea variatum. Omiſſa maximè non ſemel *presbyterialis* largitio.

Digitized by Google

bit *preſbyterialis* largitionis datæ a Clemente VIII. quum poſſeſſionem iniret. *Vſus iſte* (talia Mucantius) *dandi* PRESBYTERIUM .... *jam in diſſuetudinem abierat, ſicut & alia multa, quæ in hoc poſſeſſionis actu fiebant, ut ex lectione libri ceremonialis advertere unicuique licebit. Reverendiſſimus D. Cardinalis Geſualdus Sacri Collegii Decanus, tanquam Sacræ Congregationis Rituum Præfectus, hunc in priſtinum reſtitui curavit, ne bonæ & laudabiles ceremoniæ, cujuſmodi hæc eſt, omnino perirent, &, ut hæc renovaretur, jam inde a creatione Gregorii XIII. & Innocentii IX. fel. record. Pontificum procuraverat. Sed, quia prænotati Pontifices ſtatim poſt coronationem ad Lateranum equitaverunt, non ſuperfuit tempus ſtatim ad numiſmata cudenda, prout nunc factum fuit, cùm ultra duorum menſium ſpatium a Coronatione Sanctiſſimus Dominus noſter Clemens VIII. ad hunc poſſeſſionis actum interfuerit. Quare hæc omnia Reverendiſſimo Cardinali Geſualdo debemus, qui propterea maximè laudandus eſt, tanquam hujus antiquæ ceremoniæ, & laudabilis conſuetudinis reſtitutor*. Cerne per intermedia tempora abolita multa ex præſcriptis in Ceremoniali, qualia, reor, occurſus Judæorum, proceſſio Pontificis cum ſacris habitibus, jactus per viam, convivium ſollemnè &c. Cerne diverſa die a die coronationis captam poſſeſſionem, omiſſam quandoque penitus erogationem *preſbyterii*, & pro eadem effundendam pecuniam in numiſmata converſam, credo, ut res nobiliùs ageretur.

IX. Quæ reſtituta per Clementem VIII. Excerptū hiſtoriæ Initæ ab eodem poſſeſſionis.

Tunc in reliquis univerſæ actionis partibus novi plures paullatim non dubiè invecti mores. Sed, qua methodo *preſbyterii* diſtributio cum affinibus ceremoniis ab inſtauratore Clemente celebrata ſit, idem referat Mucantius. Ait ergo, deſcriptis equitationis pompa, geſtis circa eccleſiam Lateranenſem a Capitulo cum Archipreſbytero, de cujus quoque oratione loquitur recitata, quum claves juxta Ceremoniale præſentaret, & nonnullis intra eccleſiam actis, præſertim præſtita *obedientia* per Cardd. *Qua finita, Pontifex ad altare* (majus) *acceſſit, eoque, depoſita mitra, in medio oſculato, ſuper illud aurea ſcuta 50. obtulit, quæ incluſa in rubra crumena ſericea R. P. D. Bartholomæus Cæſius ſuæ Sanctitatis Generalis Theſaurarius Pontifici miniſtravit*. Notat inde, quod, Papa ex altari benedixerit populo: poſtea: *Data benedictione, præcedente cruce, & Cardinalibus, rediit Pontifex verſùs altare*

tare Sanctiſſimi Sacramenti; ante quod, depoſita mitra, genuflexit, ſed non oravit.... Facta genuflexione.... aſcendit iterum ſellam geſtatoriam, & loco mitræ thiaram ſeu regnum accepit, licèt ſecundùm inſtitutionem debuiſſet cum mitra ire uſque ad ſalam. Sed ita melius fuit, & convenientius, ut Pontifex cum thiara duceretur ad aulam prædictam, & cum thiara ſeu regno daretCardinalibus PRESBYTERIUM. Addit quædam de acceſſu ad aulam, de collocatione Papæ ſuper *ſedem eminentem*; de *Cardinalibus quaſi circulum* hinc inde *facientibus*: de laudibus *cantatis per antiquiorem Presbyterum Cardinalem*: deinde: *Laudibus expletis, Pontifex ſingulis Cardinalibus dedit* PRESBYTERIUM: *hoc eſt, duo numiſmata, alterum aureum, alterum argenteum, quæ Sanctitatis ſuæ Theſaurarius Reverendiſſimo D. Cardinali Sfortiæ, Diacono aſſiſtenti a dextris, porrigebat, & ipſe Pontifici, qui illa in vacuum mitræ ſingulorum Cardinalium accedentium ponebat, prout fit in diſtributione agnorum Dei. Decanus verò portionem duplicatam accepit, ideſt, duo numiſmata aurea, & duo argentea, ſicut & alii Cardinales Officiales, ut ſolet fieri in diſtributione candelarum, palmarum, & agnorum Dei. Quam duplicatam portionem accepit etiam Reverendiſſimus Aſcanius Columna, quem ob orationem factam, dum Pontifici claves eccleſiæ tradidit, ut ſupra dixi, tanquam celebrantem tractare voluit, ſicut expreſsè dixit, dum ei numiſmata tradidit. Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Montaltus triplicatam portionem accepit, tanquam Vicecancellarius, & Summiſta, quam & triplicatam prætendebat Reverendiſſimus Ruſticuccius; ſed non habuit niſi duplicatam. Numiſmata autem prædicta erant in duabus crumenis, quas tenebat Theſaurarius prædictus; ſed decentius fuiſſet, ſi in bacili argenteo locata eſſent, & Theſaurarius genuflexus apud Pontificem, illa ſuſtinuiſſet, & Diaconus Cardinalis a dextris ad manus Pontificis porrexiſſet, & Pontifex Cardinalibus: licèt in libro ceremoniali dicatur, quod Papa de gremio Camerarii pecunias accipiat, & diſtribuat* &c. *Sed Theſaurarius ad cautelam, ne facilè poſſent ſibi numiſmata ſubripi, illa in crumenis conſervabat, & opportunè diſtribuebat. Fuit autem hoc* PRESBYTERIUM *datum ſolis Cardinalibus, quamvis poſt Cardinales non ſolùm Epiſcopis, ſed etiam ceteris Officialibus dandum fuiſſet, ut in eodem ceremoniali dicitur. Pontifex verò quamdiu* (mel. *quia diu*) *faticaverat, noluit ampliùs continuare. Ordinavit autem,*

Digitized by Google

ut Epiſcopis PRESBYTERIUM *prædictum daretur per Theſaurarium, prout factum eſſe credo. An verò aliis Officialibus datum ſit, ignoro.* Hæc Mucantius in cit. diariis a pag. 149. ad 153. to. 2., ſeu to. 18. diariorum; quæ occulit archivum ſecretum Apoſtolico-Vaticanum, ſub die 12. Aprilis, qua poſſeſſionem cœpit Clemens VIII.

X. Reſtitutam largitionem nunquam poſtea neglectam, duorũ Scriptorum verbis comprobatur.

Poſtea, licèt quoad circumſtantias actionis, proximèque agendorum, aliquid variatum ſemper, additumve ſit, ut narranda attentè legentibus ſignificabunt, nunquam omiſſa eſt, quod ſciam *presbyterii* diſtributio. Id verò effecit, ut abſolutè ſcripſerit Carolus Cartharius pag. 118. & ſeq. ſyllabi Advocatorum Conſiſtorial. in Antonio Gabriellio: *Hiſce temporibus ſingulis S. R. E. Cardinalibus tantùm ....* PRESBYTERIUM *bini numiſmatis aurei, & argentei Papa elargitur, quo die triumphali pompa vectus poſſeſſionem init vicariæ Divinitatis in terris*: Et Raſponus alios commemorans *presbyterio* noviſſimis temporibus donatos, per miniſterium tamen privatum Theſaurarii: *Singulis Cardinalibus* (Papa) *numiſmata, aureum alterum, alterum argenteum diſtribuit: multaque ſimilia pariter Archiepiſcopis, Epiſcopis, Oratoribus Regum, Senatori Romano, Magiſtratibus, primariis Præſulibus, qui ei pompæ interſunt: necnon Lateranenſis eccleſiæ Canonicis diſtribuit.* Lib. 4. cit. hiſt. Patriarch. Lateran. cap. 3.

XI. Necnon exemplo geſtorum in poſſeſſione inita per varios Pontifices ſeculi 17.

Quamobrem, ſi quando incideris in ſcriptores celebritatem poſſeſſionis alicujus poſterioris Pontificis exponentes, nec *presbyterii* diſtributionem indicantes, mancos jejunoſque dicas, hortor; uti profectò dicendus Janus Nicius Erithræus, qui, quum geſta in poſſeſſione capta per Innocentium X. die 23. Novembris anni 1644. (to. 1. epiſtolar. ad Thyrrenum pag. 201. epiſt. 80.) eleganter minutimque deſcribat, minoris quoque ponderis largitionem memorans, qualis diſperſio monetarum in populum facta per manus Præfecti ærarii de ſublimi xyſto baſilicæ Lateranenſis, nec verbulum profert circa diſpenſationem *presbyterii*. De reliquo ferè omnes, quos evolvi, ſcriptores ſeculi præcedentis teſtes habeo de ſervato *presbyterialis* largitionis uſu religioſiſſimè. Tres erunt ceterorum ſpecimen. *Reliquit* (Pontifex), *data benedictione, ſupra altare unam burſam ſericeam rubram, intuſque erant quinquaginta duplæ aureæ in totum* 100. *aur. &, recepta mitra, accepit regnum tunc, quia pro commoditate Papæ non fuerunt can-*

cantatæ laudes in aula magna, & datæ medaliæ, prout tempore fel. record. Pauli V. Sed Papa fecit medalias (presbyterii) *dare Illuſtriſſimis Dominis Cardinalibus hodie manè, & ſic ante operam factam ſolvit per manus D. Theſaurarii generalis juxta diſtributionem, quæ fit in diſtributione palmarum, & candelarum pro Cardinalibus, qui habent officium, & etiam fecit illas dare Dominis Canonicis baſilicæ Lateranenſis argenteas tantùm pro ſua liberalitate, quia tempore fel. record. Pauli V. fuerunt datæ tantùm Illuſtriſſimis Dominis Cardinalibus per manus ſuas, & Oratoribus de ſolio per manus Theſaurarii .... Oratores non habuerunt medalias, ſicut tempore fel. record. Pauli V.* Talia Paullus Alaleo citatus alibi ſupra, Magiſter ceremoniarum pontificius, in ſuo ms. diario apud præfatum archivum, captam poſſeſſionem notans die 19. Decembris anno 1623. ab Urbano VIII. in Papam jampridem electo, & coronato. *Ante principem aram* (Lateranenſem) *geſtatus Alexander preces Deo fudit, & in ſolio .... conſidens purpuratos Patres ſolemni ritu demiſſa obſequia deferentes excepit : tum ad aram, qua incluſa eſt lignea ara, in qua D. Petrus ſacra peragere conſueverat... accedens, mediæque impreſſo ſacro oſculo, marſupium ab ærarii Præfecto porrectum, nitentibus refertum aureis Chiſio ſtemmate pretioſiſſimis, illi impoſuit, demiſſique in æternum Numen obſequii æternum pignus, & monumentum dimiſit .... Cardinales* (in aula Palatii poſt *laudes* Papæ cantatas) *dimiſſa ex auguſtis capitibus mitra, ſinguli ordine ſuo, flexis* (quod tamen fortaſſe non verum) *genibus, in ea aureum, argenteumque majoris formæ numiſmata Alexandri effigie, & ſtemmatibus nitentia (quæ vocantur* PRESBYTERIA) *in amoris pignus, & præmium obſequii, in geſtæ rei monumentum ex amantiſſima & liberali manu Alexandri accepere .... Reſtitutis religioſi agminis ordinibus ex aula pontificia ad Lateranenſis baſilicæ ſuperiorem porticum pompa ducta eſt, atque e ſublimi a Cardinalibus, & Præfecto ærarii argenteus imber in confertiſſimam populi multitudinem ... effuſus eſt.* Verba Caroli Valeſii (poſt expoſitam ampliſſimè pompam accedentis ad capiendam poſſeſſionem die 9. Maii anno 1655. Alexandri VII. ac narratum ordinem proceſſionis, expletaque circa porticum, & in eadem) referentis geſta intra eccleſiam, aulamque palatii Lateranenſis, in libello (*d*)

ipſi

(*d*) Titulus libelli. *Alexandro VII. Divinitatis nutu delecto ſacroſancta, in terris Chriſti ſceptra digniſsima manu capeſſenti, Carolus Valeſius Dubourgdieu, Burdigalenſis, Doctor Medicus, ſupplicibus oſculis ſacros pedes adoraturus.*

ipſi Pontifici oblato ad tit. *Equeſtris pompa triumphalis* &c. pag. 83. 85. & 86. *In porticu* (baſilicæ Salvatoris) *ſolita ſcamna pro Eminentiſſimis Cardinalibus, & ſolium pro Pontifice parata erant, in quibus iidem conſederunt: & Pontifex, Lateranenſi Capitulo ad pedis oſculum admiſſo, deinde Eminentiſſimis Cardinalibus ſolitum* PRESBYTERIUM *diſtribuit*. Hæc de poſſeſſione inita ab Alexandro VIII. Ciampinus pag. 104. libri de Abbreviatoribus de Parco majori.

XII. Et alios noſtri ſeculi, cujus praxis circa univerſam pontificiarum poſſeſſionu celebritatem deſcribitur.


Labentis ſeculi uſum teſtabor ego curſim exponens praxin noviſſimam integræ ſollemnitatis poſſeſſionum, re deducta ex iis, quæ vel oculis excepi meis, vel in divulgatis authenticis deſcriptionibus, & ineditis codicibus Magiſtrorum ceremoniarum S. Sedis Candidi Caſſinæ, & Placidi Ghezzii ſuperiùs laudatorum geſta legi ſub Clemente XI. Innocentio XIII. ac SS. D. N. Benedicto pariter XIII. Ergo nunc, poſtquam diſtinctis diebus Papa electus adoratuſque publicè a ſacro Senatu, & conſecratus (ſi fortè conſecrandus ſit) coronatuſque eſt ad S. Petrum, dies ex ejus placito indicitur agendæ ſollemni equitationi ad Lateranum. Ut illa advenit, hora præſtituta, cunctorum Ordinum, qui procedere tenentur, populique accurrere volentis commoditati opportuna, inchoatur equitatio a palatio Vaticano, niſi aliud placuerit Pontifici, ut ſanè Benedicto XIII. placuit, cui propter nimios diei 24. Septembris anni 1724. calores, qua poſſeſſionem iniit, melius viſum, dediſſe celebritati exordium a Quirinali. Ordines Romanæ Curiæ, & Laici Senatum populumque repræſentantes Papam aut albo inſidentem equo (quod factum per Clementem XI. die 10. Aprilis anno 1701. & Benedictum mox memoratum), aut ſella, lecticave delatum (quod factum per Innocentium XIII. die 16. Novembris anni 1721.), præcedunt, ſubſequuntur, comitanturque ea ratione, quam explicatam quivis intueri poterit in cit. epiſtola Erithræi, & opuſculo Valeſii a pag. 68. ad 76. Qua tranſit pompa (tranſit autem per burgum *novum* appellatum, pontem S. Angeli, viam Parionis, forum Paſquilli, Maximorum ac Cæſarinorum palatium, ædem Profeſſorum Societatis Jeſu, Capitolium, arcus Septimii, & Titi, latus Coloſſæi, Titulumque S. Clementis) domus, palatia, templa, rudera antiquitatis, arbores, incultique muri circumpoſitis ſtromatis, viridantibus foliis, auricalcho in bracteas redacto, aliiſque ornamentis (quorum ali-

aliqua Romanæ plebis, atque etiam Hebræorum expenſis aptantur) peramænum ingerunt ſpectaculum. Quum Pontifex ſuperavit elegantiſſimè circumveſtiti Capitolii verticem, quem aliquando Romanus Magiſtratus illuſtriorem reddit, arcu excitato veterum magnificentiam æmulante, ſubſiſtit ad gradus palatii principis ob occurſum Senatoris, qui verbis factiſque (claves enim porrigit Domino) Quirinæ gentis lætitiam, jugemque obedientiam profitetur, pollicetur que. Ponè hortos Farneſios ſub arcu, impenſis extrui ſolito Ducis Parmæ, ac Placentiæ, hortorum poſſeſſoris, non uno titulo Romæ obſtricti, procedit, procedenſque faciles præbet aures Ablegato ejuſdem Ducis in Urbe degenti perpaucis ſubjectionem Heri ſui rememoranti, adprecantique proſpera, diuturnamque dominationem. Ubi ad Sancta Sanctorum pervenit, occurrentem ſibi reperit Clerum Lateranenſem cum Archipresbytero, qui tamen illico retrocedunt, præſtolanturque in propyleo baſilicæ deſcendentem ex equo, ſellave Pontificem. Ut deſcendit, genuflectit, oſculaturque Servatoris Crucifixi figuram ab Archipresbytero oblatam: dein ſurgit, paratoque ſolio ſedet, induitur ſacris albis pretioſis veſtibus, aureaque redimitur mitra, & Cardinalem ipſum Archipresbyterum audit Urbi, & Orbi gratulantem de aſſumptione ſua, dum binas ſibi claves porrigit, auream unam, alteram argenteam, in aureo ſcypho per Vicarium dicti Archipresbyteri, aut, eo abſente, per antiquiorem Canonicum delatas. Allocutione finita, admiſſoque Cardinale oratore ad oſculum pedis, manuſque, ac amplexum, admiſſis etiam Canonicis, aliiſque de Clero ad pedis (*e*) oſculum, mandatoque facto Theſaurario, ut ſingulis Canonicis numiſma unum argenteum con-

(*e*) Ad pedis oſculum ſedens in ſacrario, aut alio ſibi placito loco, admittere benignè ſolet eccleſiis miniſtrantium Clericorum collegia; quum eas adit Romanus Pontifex. Quia ſtatim poſt electionem deſcendit ad baſilicam S. Petri a Cardinalibus adorandus, expleta ceremonia, Capitulum, & Clerus ejuſdem pedes Papæ oſculantur omnium primi. Ipſe cum reliquis Canonicis, & Clero S. Mariæ trans Tyberim eo obſequii genere (ut nihil proferam de actis cum SS. Benedicto XIII. &c.) proſequutus ſum Innocentium XIII. ſedentem portatili ſella in medio inſignis ſacelli Altaempſiani B. Mariæ de Clementia, quum acceſſiſſet illuc primùm die 25. Julii anno 1722. planam miſſam coram ſacro Cardinalium collegio celebraturus ad aram Deiparæ, atque adſtiturus ſollemni cantui litaniarum, occaſionem præbente neceſſitate implorandi magnæ Virginis auxilium adversùs Turcas Melitenſem Inſulam (uti rumor erat) invaſuros. Pro qua præcedentibus diebus publicata fuerat plenaria peccatorum remiſſio &c.

concedat, deſcendit e ſolio, cum Cardinalibus, ac ceteris Patribus, qui interea ad ſcamna ibi diſpoſita conſederant, & ſacra aſſumpſerant indumenta, aliiſque, qui ſteterant, baſilicam tanquam ſponſam viro ſuo ornatam ingreſſurus. Ingreditur. Aſt incidit iterum ad oſtium in Archipresbyterum, ab eoque accipit aſperſorium, quo ſe, & circumſtantes aſpergit, terque thurificatur. Poſtmodum aſcendit dodecaphorum, caputque protectus umbella (vulgo *baldacchino*), quam ſuſtinent eccleſiæ Canonici, ac latera duobus flabellis, præeunte papali cruce, delata per juniorem Rotæ Romanæ Auditorem Subdiaconum Apoſtolicum, tunica ſericea amictum, mediumque inter duos Signaturæ Votantes Acolythos pontificios candelabra geſtantes, & concinentibus hymnum *Te Deum* palatinis Pſaltibus; ad adorandum primò devehitur auguſtiſſimum Sacramentum, inde ad veneranda Petri & Paulli Capita, demum ad orandum ante aram maximam. Quæ ut agat de ſella ſemper deſcendit, quam prorſus dimittit perrecturus ad ſolium ſub abſide erectum. Ibi ſedens (ſtrepentes inter acclamationes, precationeſque, ſeu *laudes*, a Priore Presbyterorum Cardinalium planetam induto cum Auditoribus Rotæ, & Advocatis Conſiſtorianis, omnibus pluviali circumveſtitis, elata voce cantatas) ſingulis, ſoliſque Cardinalibus *presbyterium* diſtribuit. Quod ita conficitur. Theſaurarius Generalis cappa indutus manet a dextris ſolii in ejuſdem plano, flexis (*f*) genibus, tenetque ante ſe, ſive manu ſiniſtra ſuſtinet recluſa marſupia duo, ſeu potiùs unum duplicis ſectionis, quarum altera aurea continet, altera argentea numiſmata, ſingula papyraceo involucro obducta, quæ ipſe ordinatè profeſrat, porrigatque proximiori aſſiſtenti Diacono Eminentiſſimo, qui eadem tradit Pontifici Cardinalibus acceſſuris diſpenſaturo. Accedunt Cardinales eo prorſus more modoque, quo ad *obedientiam* (ſic ajunt) accedere conſueverunt: manum Pontificis aurifriſio pluvialis tectam oſculantur: vacuum mitræ præſentant: in eam projicit Papa numiſma unum aureum valoris quinque circiter ducatorum auri de Camera, & unum argenteum pondus quinque juliorum non excedens: illi beneficæ

(*f*) Hìc certè ſtatus Theſaurarii, qui numiſmata ſervabat, porrigebatque Diacono Cardinali poſtremis ætatis meæ actionibus poſſeſſionum pontificiarum; licèt non defuerint ex Apoſtolicis Ceremoniariis, quibus ea praxis non probanda videretur.



Joh. Philippus Morettus delin. Joseph Vogi inc.

Digitized by Google

ficæ dant oſcula dexteræ, redeuntque ad ſedilia chori, quem conſcenderant, ſtanteſque expectant actionis finem, de percepto munere lætantes. Ea autem expleta, ſecedit Theſaurarius, cujus curæ permittitur, ut numiſmaton horumce participes fiant, quotquot ex ordinibus Curiæ, aliiſque deſcripti ſunt in catalogis Cameræ Apoſtolicæ, veluti dignatione tali honorandi. Pontifex verò ſe confert ad aram maximam, populoque illinc ſollemniter benedicto, deponit ſuper menſam pretioſam crumenam cum oblatione centum quinquaginta ſcutorum monetæ argenteæ recèns cuſæ ſibi per laudatum ærarii Præfectum traditam, regno coronatur, parilique paullò ante notatæ pompa defertur ad ſuperiorem porticum, ubi populo ſubjacentem aream opplenti, verberantique plauſibus æthera benedictionem impertit. Quo facto, pergit ad thalamum paramentorum: exuitur ſacris habitibus: grates agit Cardinalibus, & minùs ſollemni ritu, vel ad Vaticanum, vel ad Quirinale domicilium revertitur.

SECTIO IX.

§. I. In ſollemnitate poſſeſſionis eccleſiæ Lateranenſis ſervata fuit priſca publicæ liberalitatis pótificiæ œconomia.

VIDES, quid Ceremoniale præſcripſerit, & quæ fortuna præſcriptorum, ideſt, ſollemnitatis primi ſplendidiſſimi acceſſus Pontificum ad Lateranum pro ineunda poſſeſſione Patriarchii, ſeu (quod Chartarius ajebat) *vicariæ Divinitatis in terris*? At quis non ſimul viderit, eamdem (parciùs licèt) ad nos uſque perveniſſe publicæ pontificiæ munificentiæ perantiquam rationem? Pervenit in ipſa ſollemnitate nobilior ex occaſionibus, & illuſtrior papalium equitationum pompa. Pervenit aliquid priſcæ diſtributionis in laicos, clericos eccleſiarum, ordines palatinos, alioſque viros eccleſiaſticos. Sed, quod majorem promeretur animadverſionem, pervenit uſus, quo manu diſtribuatur quidpiam ſummi Antiſtitis, talique largitioni *presbyterii* nomen concedatur. Nonne hæc perſpicuæ reliquiæ ſunt, ac veluti compendium diſquiſitorum antea de vetuſtiori liberalitate Pontificum?

II. Ex dictis hactenus pernoſcitur, quid presbyterium Lateranen. Unde ejus nomen, & qualis ejus ritus.

Quorſum autem iſtud, imò quicquid uſque huc tam prolixè, & fortaſſis ad faſtidium oggeſſimus? Ut, re juxta methodum §. primo ſectionis primæ propoſitam veſtigata, conficeretur alterius Partis argumenti noſtri explanatio. Et verè jam illa fermè confecta eſt. Nam quid, oro, grave quæri poteſt

teſt circa *presbyterium* Lateranenſe, quod in prænarratis non apertum lectoribus ſit, dummodo diligenter omnia percurrerint, aut ſaltem prolata præcedenti ſectione cum obſervatis ſecunda, ſeptimaque contulerint? Quæritur inter plura, quid ipſa præſtatio, erogatiove? Claruit, reſiduum eſſe aliarum quamplurium pontificiarum, quibus generaliter nomen idem, aut par attributum, ac veſtigium eſſe conſpicuum ſpeciei ejuſmodi erogationum, quæ certis Romanæ Curiæ celebritatibus exhiberentur. Quæritur, unde illi *presbyterii* denominatio? Claruit, a Supremo *Presbytero*, cujus e libito pependerint ſemper univerſa ejus quantitas, conditio, multitudo participantium &c., cujus e manibus præcipua portio traderetur. Quæritur, quando inter papales conſuetudines aſſumpta? Claruit, non heſterna hoc factum die, non media, ſequiorique ætate, ſed melioribus, atque antiquioribus annis Eccleſiæ a perſecutionibus liberæ. Quæritur, quis actionis hujuſce gradus? Claruit, pro uno habitam fuiſſe nobiliorum illuſtriorumque papalium rituum, quòd tanquam unum ex præcipuis pontificiæ Dignitatis indiciis innoteſceret, quòd majeſtatis plena ratione, modoque, quoad potiorem inſtitutionis ſuæ partem, compleretur, quòd in ſplendidioribus adhiberetur ſollemnitatibus, quòd, innumeris aliis extinctis, utcumque illa miras inter varietates immota perſtiterit.

III. Quanti olim fecerit Romanus populus donari *presbyterio* per Pontifices.

Summam hanc qui perpendit, fateatur neceſſe eſt, integram jam a ſe teneri notitiam Ritus noſtri; imò tantum jam ſibi datum, quantum ſatis ſuperque ſit librandæ ejuſdem præſtantiæ. Verumenimverò nonnihil adhuc annotandum ſupereſt, quo hæc luculentiùs eniteat. Romanus populus tam altè quondam ſenſit de papalibus *presbyteriis*, quæ Primores ſaltem ſuos tangerent, ut inter pacta conventa cum Clemente III. hoc expreſſum voluerit: *Vos dabitis Senatoribus, qui erunt per tempora beneficia, & PRESBYTERIA conſueta: Item Judicibus, Advocatis, Scriniariis a Romano Pontifice ordinatis, & Officialibus Senatus* PRESBYTERIA *conſueta*. V. diploma concordiæ to. 12. annal. Baronii ad an. 1188. *.

IV. Largitiones *presbyterii* a Pſeudo-pontificibus non omiſſæ.

Pſeudo-pontifices piaculum duxiſſe viſi ſunt, *presbyterii* largitionem negligere; quin potiùs illam augere affectarunt. *Die*

* V. etiam pag. 6. & ſeqq. tractatus Benedicti Floravantis de antiquis Pontificum denariis, ubi cum variantibus lectionibus vulgatum eſt iterum, illuſtratumque diploma concordiæ &c.

Die Dominica menſis Octobris XI. (an. 1394.) *fuit conſecratus . . . . & poſtea , dato priùs in fine miſſæ* PRESBYTERIO , *coronatus* , inquit de Petro de Luna (al. Benedicto XIII.) author actorum ejus electionis pag. 567. collectionis Baluzianæ ad calcem tom. 1. vitarum Pontiff. qui Avenione ſederunt . Sequenti tomo (pag. ſeu col. 1104.) viſitur teſtamentum Cardinalis Benedictinæ obedientiæ Johannis de Mucolio , quo legitur : *Item Dominus Benedictus XIII. ſtatim poſt aſſumptionem ſuam promiſit , & dedit verbo cuilibet Cardinali ibidem præſenti quatuor millia florenorum pro uno ſemel , de quo non habui denarium , licèt fecerim diligentias* . Eruditus Baluzius to. 1. in notis p. 1408. munus hoc *presbyterium* vocat .

V. Honor diſpenſandi *presbyterii* a Pontiff. conceſſus Præſulibus exteris illuſtrioribus .

Legitimi verò Pontifices , quoties aliquem primarum poſt Romanam Sedium Antiſtitem ad Urbem accedentem ſpecialioribus honoris notis proſequi voluerunt , ut *presbyterium* largiretur,potiſſimè indulſerunt. Ita factum ſeculo VII., Theodoro Papa indulgente , cum Pyrrho regiæ Conſtantinianæ civitatis Patriarcha , elicitur e numero 127. libri pontificalis. *His peractis* (videl. ejurata Monothelitica inſania , perfectiſque eccleſiaſticæ reconciliationis, ac unionis ceremoniis) *fecit Theodorus eum* (Pyrrhum) *munera erogare in populum , & cathedram ei ponere juxta altare , honorans eum , ut Sacerdotem regiæ civitatis* . Nulla hic mentio erogationis in Clericos . Attamen obſervandum , papalia *presbyteria* apud Anaſtaſium per *erogationes in populum* exprimi, quod affatim probat lectio textus vitæ Vigilii, quem ſupra (1) retulimus .

(1) *Sect.* 1. §. 3.

VI. Honor idem cōceſſus laicis Principibus , quod exemplo cōprobatur Regis Anglo-ſaxonum .

Credibile aliàs non videtur , novæ Romæ Patriarcham , Eccleſiæ tam amplam inſignemque partem repræſentantem , minùs habitum in Urbe , qua conſuetudo obtineret , ut integri *presbyterii* papalis donandi honorem participarent aliquando ipſi laici Principes . Notum , quod accidit , quum Romæ Rex Anglo-ſaxonum Ethelvulphus degeret , Pontificium tenente Benedicto III. *Ipſe* (ſic rem prodidit liber pontificalis num. 575.) *Rex Saxonum, poſtulante Domno Benedicto Papa , ut faceret rogam in eccleſia B. Petri Apoſtoli publicam, de pondere auri , vel argenti librarum Epiſcopis , Presbyteris , Diaconis , & univerſo Clero , & Optimatibus Romanis tribuit aurum , populo verò minimum argentum* .

VII. Et Cæſarum novi Occidentalis Imperii .

Idem , ſimileve indultum conceſſum præcipuè Cæſaribus reſtaurati in Occidente Imperii , quoties publico apparatu Ro-

Nn

Romam acceſſere, vel manu Romani Pontificis, ejuſve Legatorum coronati ſunt, varia ſuadent, demonſtrantque. De Carolo M. & Ludovico ejus filio nihil tradunt hiſtorici. Signant *presbyteria* (quamquam obſcuriuſculè), quæ dediſſe Romano populo dona ** Carolum Calvum ſubmonent Rhegino Prumienſis, & author annalium Metenſium: necnon Henricum V. Conradus Abbas Urſpergenſis: aut Berengarium Auguſtum per hunc verſiculum,

Quid referam, quantis implerit mœnia donis?

panegyris primùm edita ab Hadriano Valeſio, ac noviſſimè iterùm a Muratorio pag. 412. to. 2. Scriptor. rer. Italic. Sed apertiſſimum de *presbyterio* effuſo per manus Henrici Luxemburgici, & Caroli IV. ſuppeditant documentum apud Raynaldum ad annum 1311. num. 13. & 1355. num. 10. Clemens PP. V. & Innocentius VI. in literis ſuper illorum Coronatione Apoſtolicos Legatos ad eamdem perficiendam deputatos inſtruentibus, in quibus hæc leguntur: *Conſuevit Imperator larga* PRESBYTERIA *omnibus exhibere, quibus ea, quum coronatur, Summus Pontifex elargitur; videlicet, Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis Cardinalibus, Primicerio, & Cantoribus, Subdiaconis, Baſilicariis, & Regionariis, univerſitati Cleri Romani, Cappellanis, & ceteris Officialibus, & miniſterialibus Curiæ, Præfecto Urbis, Senatoribus, Judicibus, Advocatis, Judicibus, & Scriniariis, ac Præfectis navalium.* Ita laudati Pontifices, ſeu potiùs Ordinarius pontificalis, cujus particulas exſcribunt valdè conformes relatis in Ordinario Jacobi Cajetani, ejuſque additione, capite 106. pag. 406. to. 2. muſei Italici &c.

VIII. Laicis Principibus, maximè Impp., ut coronarentur, Romam petentibus obſequia, & occurſus præſtabãtur ab omnibus ordinibus.

De *presbyterio* Judæorum nihil habent allatæ ſcriptiones, quod viderim. Credo equidem & ipſos participaſſe liberalitatem Principum, quos & Pontificiam participaſſe meminimus. Neque hoc honore privabatur minutior populus. Miſſilia enim ſparſa in vulgus ab Impp. dicta occaſione *** Coronatio-

** Ad hæc, & ſequentia potiſſimùm reſpexiſſe puto cl. Bencinum, quum ſcriberet, largitiones juxta veterum Imperatorum morem, de quo infra, uſitatas quoque fuiſſe Cæſaribus novi Occidentalis Imperii. V. ſæpecitatas notas ad vitam Johannis IV. Anaſtaſianam.

*** In habita ad S. Petrum d. 6. Januarii an. 1266. per Cardinales a Clemente IV. deputatos coronatione Caroli Andegavenſis Regis, & Beatricis Reginæ utriuſque Siciliæ effuſos ab his nummos in plebem, & quidem ea opportunitate cuſos, conji-

cit

tionis , quæ notat Raynaldus ad citatos annos 1311. 1355. ex Ordinario pontificali,ſatis docent.Ceterùm munus aliquod merebantur obſequia , maximè (*a*) occurſus ab univerſis hominum ordinibus juſſu papali præſtiti tantis Principibus , & publicarum acclamationum. Occurſus factus Carolo M. de mandato Leonis IV. in veteribus Francorum annalibus ad an. 800. Ludovico Regi in vita Sergii II. Anaſtaſiana , Berengario in cit. panegyri , ac annalibus Fuldenſibus editis a Pithæo , & Frehero, in quibus etiam deſcribitur Arnulphi Regis acceſſus ad Urbem , Friderico Imperatori ſub Paullo II. in epiſtola Auguſtini Piccolominei legenda to. 1. allegati muſei Italici Mabilloniani memoratur. De occurſu , obſequiiſque actis Regi Lothario anno 1133. Chronographus Saxo apud Leibnitzium to. 2. acceſſion. hiſtoricar. p. 289. *In Kal. maii Romam veniens* (Lotharius) *ad S. Johannem in Lateranis a Papa , & Clero , & Romanis honorificè ſuſcipitur , ibique Pentecoſten celebrat , & in ipſo die monte Aventino ad S. Sabinam coronatus proceſſit &c.* Occurſus, plauſuſque factos Henrico V., regnante Paſchali II.,ſic prodit chronicon Caſſin.editionis Angeli de Nuce lib. 4. cap. 37. num. marg. 1720. *Obviam* (b) *miſit Paſchalis in monte* (c)*gaudii . . . bajulos, Ceroſtatarios , Stau-*

cit cit. Floravantes ad pag. 31. libri de antiqu. Romanor. Pontiff. denariis , dum elucidat nummum tabulæ 17. num. 11. inquiens : *Non inveriſimile eſt,hujus formæ nummos , quos miſtiles non ineptè dixeris , populo ea occaſione ſparſos fuiſſe .*

(*a*) Omnium temporum , omnium nationum honoris genus fuit *occurſus* . Joſephus lib. 11. antiquit. Judaic. cap. 8. deſcribit Jaddi Sacerdotis pompam , qua occurrit magno Alexandro Hieroſolymas ſubituro . *Civitas omnis obviam effuſa cum coniugibus , ac liberis , Sacerdotes cum inſignibus ſuis intrantem Urbem ac Divi propè exciti ædibus ſuis exceperunt,*inquit Livius penetrantem Athenas Regem Attalum exhibens lib. 31. hiſtoriar. De Friderico I. Imp. Papiam introeunte hæc in Ligurino Guntherus :

. . . . . . Non eſt tractabile ſenſu ,
Eloquioque meo , quæ gaudia , quantus ab urbe
Occurſus populi ; quo ſcilicet ordine caſtus
Antiſtes , lætuſque ſuo cum Præſule Clerus
Veſtibus ornati nitidis , precioſa ferentes
Signa Crucis , textuſque ſacros , thuriſque vapores ;
Prodierint . . . .

Occurriſſe Clerum , & populum Philippo Auguſto Regi Chriſtianiſſimo e ſacra expeditione redeunti Pariſios,refert Florilegus apud Altaſerram p.89.lib.1.de Ducib. & Comit. Gall. cap.17. &c.

(*b*) V. quid ſuper turba occurſantium , qui hìc memorantur , notarit doctiſſimus editor . De nonnullis jam nos ſparſim .

(*c*) Mons iſte nunc *Marius*, olim *malus* , ut demonſtrat locus Ceremonialis Cappellæ relatus ſupra ſect. 6. §. 11. & plura ferunt infimi , mediique ævi alia documenta , quorum unum præbere libet append. III. num. 19.

roferos, Aquiliferos, Leoniferos, Lupiferos, Draconarios, Candidatos, Defenſores, Stratores, & maximam populi multitudinem cum floribus, & palmis... Ante portam a Judæis, in porta a Græcis cantando (Henricus) *exceptus eſt. Illic omnis Romanæ urbis Clerus ex Pontificis præcepto convenerat, & eum ex equo deſcendentem uſque ad S. Petri gradus cum laudibus deduxerunt. Cùm verò ad ſuperiora graduum aſcendiſſet, illic Dominus Papa cum Epiſcopis pluribus, & Cardinalibus Presbyteris, & Diaconibus, & Subdiaconibus, & ceteris ſcholæ Cantorum affuit.* Verùm ad quid exempla, quum veterum Ceremonialium adhuc extent ordinationes, in quibus Cleri, & laicorum obſequia qualia forent, & ubi aptè præſtari deberent, diſertè notatur? Videſis additionem ad caput 105. Ordinis Cajetani pag. 391. to. 2. muſei Italici, Ordinarium pontificalem ſuperiùs (2) memoratum &c.

(2) *Hic* §. 7.

IX. In coronatione Caroli V. Bononiæ acta largitio propriè dicta *presbyterium* omiſſa fuit.

In recentiore Ceremoniali Romanæ Curiæ ſtatutum quidpiam viſitur ſuper his obſequiis, & occurſu lib. 1. ſect. 5. cap. 2. & 3. ſect. 3. &c. Atqui etiam circa largitiones Auguſtorum in populum. *Inter equitandum* (ita Ceremoniale cit. cap. 3.) *Cæſaris Camerarius pecuniam ſpargere conſuevit, ut diximus in Coronatione Papæ de Soldano*. Nullum tamen fit verbum de largitione *presbyterium* propriè dicta. Cujus ſilentii conſectarium videtur, quod a Carolo V. Bononiæ (ut alibi memoratum eſt) more prorſus Romano per Clementem VII. coronato *presbyterium* reapſe datum non fuerit. De eo certè nihil Blaſius Cæſenas deſcribens aliàs diligentiſſimè in diurnis ſuis mss. ceremoniariis ritus coronationis, nihil Rainaldus in annalibus, nihil hiſtoricæ aliæ vulgatæ lucubrationes, præcipuè liber Marci del Guazzo rerum memorabilium &c., licèt minimè prætereant diſpenſationem monetarum, quas in populum per miniſtros effudit Cæſar tum ingrediens civitatem, tum per eamdem equitans celeberrimè cum Pontifice, coronatione abſoluta. Unde vix percipio, quare Chartarius, author ſyllabi Advocatorum conſiſtorialium, poſt etiam lectum, productumque excerptum laudati Blaſii de Ceſena pag. 117. in Antonio Gabriellio, qui Caroli coronationi interfuerat, hæc dubitantis ſtylo lectoribus oggerat: *An Carolus Imperator in hac ſollemnitate conſuetum* PRESBYTERIUM (*ideſt donarium*) *Officialibus exhibuerit, haud teneo. Hoc tamen certò ſcio, qui retroactis ſeculis præceſſerunt, Imperatores exhibuiſſe. In au-*

authentico quippe vetuſto ms. an. 1310. (for. 1350. vel 1355.) *pro Carolo IV. Imperatore ad ſceptrum initiando a ſummo Romano Antiſtite emanato verba hæc ad rem perlegi . Conſuevit &c.* cum reliquis , quæ leviſſimè diſcrepant ab adductis (3) ſupra ex Raynaldo , & Mabillonio .

(3) *Ibid.*

X. Permiſſio diſpenſandi *presbyterium* ſeculi Principibus cōceſſa , concedendave carpi non poteſt .

Si nunc ſciſcitetur aliquis, cur ea retroactis ſeculis obſervata conſuetudo ſileatur in præfato Ceremoniali , quid pro certo affirmem , neſcio . Fortaſſis id factum , ut omnino ex libito pendere Pontificum ejuſmodi actionis permiſſionem , oſtenderetur . Fortaſſis (*d*) creditum , e dignitate non eſſe Romanæ Curiæ , maximè ſupremorum poſt pontificale Capitum , Cæſareis , Regalibuſque donari rogis . Fortaſſis omiſſio recenſionis per quandam illuſtris concinnatoris , editoriſve indiligentiam obtigit . Sed hæc divinationes ſunt . Deliramentum foret aſſerere (quod mihi aliquando nonnulli perſuadere annitebantur) eam omiſſam ceremoniam , quia non licitum apparuerit , eccleſiaſticum ritum a ſeculi Principe exerceri . Neque enim & priſcis Romanis Pontificibus , qui hanc prærogativam conceſſere Principibus , aut qui impoſterùm , ſi voluerint , conceſſuri ſint: & viris doctis ignotum obſcurumque, quàm rectè permitti queat excelſioribus ſeculi Poteſtatibus uſuum exercitium , qui originem traxerint ab eorum inſtitutis ; nec propterea umquam eorum eſſe propria deſierint : accedente etiam , quod non modica fortaſſis pars deſignatorum per actionem *presbyterialis* diſtributionis (de quibus (4) infra) laicis quoque Principibus congruat .

(4) *Sect.* 10. §. 13.

XI. Num aliquod papalis liberalitatis inſtitutum ab imitatione Judaicarū conſuetudinum fluxerit ?

Profectò exploratum eſt , antiquiores Pontifices largitionum * * * * ſpecies, placitaque ferè ſingula , imò illarum agendarum occaſiones , & nomina , e Principum ſeculi , Romanorum potiſſimè , ethnicorum etiam , moribus accepiſſe , libera tamen , aut purgata a ſuperſtitionibus . Ferè ſingula , in-

(*d*) An ſapienter , varia dubitare compellunt , præcipuè quod egit magnus Conſtantinus Auguſtus . Non ille tantùm populos anno 325. anniverſario ſui natalis in Imperatorem tempore conſuetis donis ditavit , ſed univerſos œcumenicæ Synodi Nicænæ Patres publico excepit epulo , ingentibuſque muneribus affecit lætantes , plaudenteſque . V. lib. 3. ejus vitæ ab Euſebio ſcriptæ cap. 15. 16. 21. &c. V. & lib. 11. hiſtor. eccl. Claudii Fleurii num. 25. &c.

* * * * Sæpè laudatus Bencinus in allegata nota ad vitam Johannis IV. pag. 38. to. 4. Anaſt. Vatic. apertè docet, Romanos Pontifices imitatores fuiſſe Auguſtorum in diſtribuendis rogis Clero, & populo. Vide eamdem notam, qua varia relatorum hactenus ac referendorum collecta etiam invenies .

Digitized by Google

inquam; nam fortè præ oculis habuere in aliquot inſtituendis ex publicis epulis illud ſupremi Antiſtitis Judaicæ gentis convivium, de quo ita Joh. Fronto §. 7. num. 15. diſſertationis *de diebus feſtivis* veteri Eccleſ. Romanæ Kalendario adjectæ: *Debebat ſummus* (Judæorum) *Sacerdos quibuſdam diebus feſtis Sacerdotibus, ac Levitis diem bonum facere, hoc eſt, eos convivio excipere*. Utut verò de hoc ſentias, ne arbitreris, nimiùm a me confidenter jactari derivationem ejuſmodi papalium inſtitutorum, cum pontificiis ſuperiùs perామplè deſcriptis compara, quæ de Romanis præſertim proferam in Excurſu hiſtorico ad calcem Operis pro II. appendice exhibendo.

XII. Uſus miſſilium translatus in pōtificios ex laicorum, etiam ethnicorū, moribus.

Sciendum interim hujuſce derivationis opinionem mihi communem eſſe cum pleriſque doctrinæ fama, & eruditione claris. Cardinalis Stephaneſius uſum papalium miſſilium a Conſulum, & Principum jactibus diſertè deduxit, ſi reminiſcimur verſiculos jam ſupra (5) allegatos. Nec aliud ſubinnuunt carmina Novidii Paullum III. diſpergentem pecuniam in plebem, quum ad Urbem remearet, pace firmata cum Cæſare, ſic exprimentis, comparantiſque triumphantibus quondam Auguſtis pag. 87. lib. 7. faſtor.

(5) *Sect.* 4. §. 13.

In ſolio pictas cum utroque adeunte Senatu
It Capitolinum vectus in ora jugum.
Curritur, argentum felix ſpargebat, & aurum,
Quaque ibat feſtus per loca plauſus erat.
. . . .
. . . .
Parcite Cæſaribus veteres donare triumphos,
Non fuit hæc noſtro lætior Urbe dies.

Clariùs Polydorus Virgilius: *Ex ethnicorum luxuriæ fonte manavit, ut, quum coronantur Romanus Pontifex, Imperator . . . & Rex, aliique Principes aliquo inſigni boneſtantur honore, mos ſit, ſpargere in populum . . . nummos argenteos, vel aureos, quo ſic futuræ liberalitatis ſignum ab inita ſtatim dignitate appareat.* Lib. 5. de rer. Inventorib. cap. 2. p. 295. edit. Rom. an. 1585.

XIII. Et conſuetudo diſtribuēdi *presbyterii* propriè dictum.

Ab eodem fonte fluxiſſe confitetur Vignolius numiſmaton largitionem *presbyterium* ſtrictiùs, ſeu *roga* nuncupatam. Dum enim Vigilium munera erogaſſe in populum cum Anaſtaſio advertit, *Imperatorum*, ait, *Romanorum more, qui in publicis ac ſollemnibus feſtivitatibus, præcipuè natalis ſui die, hoc eſt, qua Imperiales infulas ſuſcepere, munera & largitiones ſuis*

ſuis ipſis manibus erogabant, ut illorum numiſmata ſatis ſuperque teſtantur. To. 1. lib. pontif. pag. 216. num.4. nota 6.

XIV. Atque epulas dandi certis ſolemnils.

Eadem origo quorumdam ex conviviis a Pontificibus, præſertim diebus ſpiritalis conjugii, ſeu aſſumptionis ad dignitatem, ejuſque anniverſariis dari ſolitis, affirmante cit. Polydoro Virgilio; dum poſt ea verba, quibus, uti perſpeximus, cum ſecularium Principum uſibus pontificios miſſilium permiſcet, continuò addit: *Solent ſimul epulum, hoc eſt, publicum convivium civibus, & præſertim in nuptiis dare, quod veteres præcipuè Romani ſive in triumphis, ſive in ludis, ſive in funere ad ſepulchrum pro hæreditatum facultatibus facere conſueverunt*.

XV. Etiam uſus celebrandi natalē aſſumptionis.

Quin ipſum uſum celebrandi præfatæ aſſumptionis, ſeu cathedræ natalem derivatum volunt Docti ab imitatione geſtorum per ſeculi Principes. *Uti olim Imperatores Imperii ſui ortum, ſeu natalem celebrabant, ita Romani Pontifices cathedræ, ſeu epiſcopatus ſui natalem celebrare ſunt ſoliti*. Hæc Roſweydus in ***** notis ad epiſtolam 16. S. Paulini, Delphino directam, ſuffragantibus Joh. Lud. de Lacerda cap. 167. adverſarior. ſacr. num. 18. Joh. Chockierio fac. hiſtor. centur. 2. cap. 10. Willelmo Erneſto Tnezelio exercitationum ſelectar. par. 1. exercit. 9. pag. 345. &c.

XVI. Necnon ritus Coronationis.

Manaſſe quoque illinc (e) Coronationis papalis inſtitutum credidit Garnerius; quum in diſſertatione 2. ſive appendice ad notas capitis 2. diurni Romanorum Pontificum, poſt repetitum textum: *Archidiaconus annectit ei* (Papæ, de cujus ordinatione agitur) *pallium, & aſcendit ad ſedem*: hæc dicat §. 2. num. 3. pag. 158. *Pallium plenitudinem poteſtatis, ἐνθρονισμὸς præſidentiam ſignificabat. Nondum ulla coronationis mentio, Roma ſerviente adhuc ſeculari poteſtati*. In præfatione ſapienter præmonuerat Garnerius, librum diurnum fuiſſe compactum, Gregorio II. Eccleſiam adminiſtrante, paullò poſt annum 714.

XVII. Quædam tamen poſtea accepta a ſeculi Principibus chriſtianis Romanæ originis ex inſtitutis eccleſiaſticarum largitionum, occaſiones potiſſimùm.

Aliàs obſervaſſe liceat curſim, Principes ſeculi, ex quo Chriſto dedere nomen, vices rependiſſe ſuas Romanis Pontificibus. Varia nempe ex inſtitutis eccleſiaſticis adoptarunt, præ-

***** Epiſtola ad Delphinum x x. eſt, & data Roſvveydi verba extant pag. ſeu col. 886. nota 63. in accuratiſſima operum S. Paulini editione doctiſſ. L. A. Muratorii.

(e) Circa hoc nos copiosè in Diatriba, quam paramus, ſuper manto papali &c.

præcipuè chriſtianas opportunitates exercendæ liberalitatis. Conſtantinus Magnus (quod etiam feciſſe vidimus priſcos Pontifices, authore veroſimiliter Sylveſtro) die Paſchatis largum ſeſe omnibus præbebat. Alii aliis ſanctæ Religionis ſacratioribus diebus. De Conſtantino Euſebius. *Simul ac dies* (Paſchæ) *illuxerat, Servatoris noſtri beneficentiam imitari ſtudens Imperator univerſis gentibus, provinciis, ac populis largam manum porrigebat opulentiſſima donans omnibus munera*. Videſis lib. 4. vitæ Conſtantini cap. 22. pag. 536. edit. Valeſianæ, necnon editoris annotationes ad hunc locum pag. 240. & Antonii Bellotte volumen de ritib. eccleſ. Laudunen. pag. 148. obſervat. 24. num. 1. Succeſſores Auguſtos invenio munera diſpenſaſſe circa eamdem ſollemnitatem. Sub feſto palmarum (quod τὴν ἑορτὴν βαΐων Græci vocabant, teſte Gretſero lib. 3. obſervationum cap. 5. in caput 9. de off. CPolit. eccl. Codini Curopalatis pag. 230.) peramplam erogationem a ſe viſam in palatio Byzantæo tradit Luitprandus Ticinenſis. *In ea, quæ eſt ante Bajophoron, quod nos palmarum ramos dicimus, hebdomada, tam in militibus, quàm in diverſis conſtitutis officiis numiſmatum aureorum erogationem, prout cujuſque meretur officium, Imperator facit*. Sic lib. 3. hiſtor. cap. 5. Luitprandus, cujus etiam locum deſcriptum reperies in theſauro vocum eccleſiaſtic. Suiceri ad voc. ῥόγα. Idem Luitprandus teſtis, & particeps fuit epuli Græcanico apparatu per Nicephorum Phocam in ſollemnitate Pentecoſtes celebrati, ut ipſe narrat in epiſtola de Legatione ſua, quam vulgavit Caniſius, & recudit cl. Muratorius tom. 2. Scriptorum rerum Italicarum pag. 480. col. 2.

XVIII. Et conceſſio munerum Clericis, ſeu eccleſiis,

Fortè etiam imitabantur Imperatores (præter vetuſtiores ethnicos Principes) ſummum quemque Chriſtianorum Antiſtitem, dum non populo ſolùm, militibus, ac magnatibus rogas diſtribuerent ſuas, ſed & ſacrorum Præfectis, ſeu Clericis, aut eccleſiis. Huc alluſit Suidas rogam ita definiens: ῥόγα ἡ τῶν βασιλέων εὐσέβεια, καὶ φιλοτιμία: ideſt, *Imperatorum pietas, & munificentia*. Quod Goarus in notis ad cap. 5. operis laudati Codini de offic. CPolit. nota 42. edit. Gretſerianæ verbis hiſce explicavit: *Erogabant Imperatores quotannis de ſuo eccleſiis, proceribus, militibus, populo ſtipendia, & munera. Eccleſiis collata* εὐσεβείας, *aliis quibuſcumque donata* φιλοτιμίας *nomen promerentur*. Exemplum Imperatoriæ hujus *pie-*

pietatis habes in Michaele Curopalate, de quo ſic Theophanes: *In ambone magnæ eccleſiæ a Nicephoro Patriarcha Michael* (die 4. Octobris an. 811.) *coronatus eſt . . . Ipſe verò Patriarchæ auri libras quinquaginta, Clero triginta quinque* (ἐδωρήσατο) *largitus eſt . . . .* Addit, quod φιλοτιμίαν referat: *Senatum, militareſque ordines muneribus ſuis recreavit*. Vide ad paginam 418. ejus chronographiam ex edit. regia Pariſ. Dona a Theophilo, Michaelis Balbi filio, Patriarchæ, Clero, & Senatui tradita meminit Leo Grammaticus &c.

XIX. An & alii chriſtiani Principes diverſæ a Romana originis ſimile quidpiam deſcriptis egerint?

Placuit ſimiliter aliis chriſtianis Principibus diverſæ a Romana denominationis, & originis munificos ſe oſtendere per celebriores Chriſtianiſmi dies, atque etiam in Clericos. Reges Francorum (quemadmodum videre eſt apud Altaſerram cit. operis de Comit. & Ducib. libro 3. cap. 11. pag. 243.) agebant *Curias*, ſive conventus ſollemnes in Paſchate potiſſimùm, ac natali Domini; & tunc inter cetera publicæ lætitiæ, & liberalitatis ſigna Proceribus, quorum numero erant Epiſcopi, convivia, veſtium, & aliorum xeniorum munera dabant. Nec populum præteribant, cui, unde ederent, biberentque omnes, largiter tribuebatur, quod ex Monſtreletio (vol. 1. chron. c. 163.) ſatis liquet. De Rege Anglorum Henrico juniore hæc (apud eumdem Altaſerram pag. 244.) Robertus Montenſis in ſupplemento Segeberti ad annum 1173. *Ad natale fuit ad Bur juxta Bajoc, & quia tunc primùm tenebat Curiam in Normannia, voluit, ut magnificè feſtivitas celebraretur. Interfuerunt Epiſcopi, Abbates, Comites, Barones, & multa multis largitus eſt* &c.

SECTIO X.

§. I. Legati a latere imitatores fuere papalis liberalitatis.

AT ſecularia mittantur. Ad uberiorem argumenti notitiam, decuſque pertinet, ſcire, num ad æmulationem provocaverit unquam viros alios eccleſiaſticos, maximè celſioris dignitatis, & præfecturæ laudata papalis munificentia. Legatos a latere Pontificios *preſbyterium* more Domini pro modulo temporum, locorum, ac perſonarum nonnunquam diſpenſaſſe, mihi certum eſt cogitanti, quæ Romæ contigere in pervigilio Natalis mox mox elapſi anni Jubilei, claudente portam ſanctam baſilicæ Liberianæ Petro Cardinali Othobono Archipreſbytero, tanquam Legato Sanctiſſimi Domini

noſtri Benedicti XIII. *Hoc temporis intervallo* (quo, perfectis omnibus, cantabatur hymnus, *Te Deum*) *univerſus Liberianæ baſilicæ Clerus ſacro munere donatus fuit. Ex aurea ſcilicet lance, quam deferebat Acolythus, depromere numiſmata cœpit ſecundus ceremoniarum Magiſter, & ſingulis Canonicis bina, unum nempe æreum, alterum argenteum, ceteris tantummodo æreum diſtribuit. Hujuſmodi largitione, prorſus ſejuncta a quovis ambitu terrenæ laudis, ad cæleſtem dignitatem, & gloriam omnibus aditum patefacere Eminentiſſ. Cardinalis pio ſecum animo cogitavit. Æternum quippe inæſtimabile pretium Apoſtolicæ benedictionis cuncta numiſmata continebant.* Verba ſunt opellæ al. laudati Johannis Chriſtophori Battellii, Archiepiſcopi Amaſeni, nuperrimè defuncti, propediem * vulgandæ, quæ a me deſcribi humaniter paſſus eſt eruditus baſilicæ Damaſianæ Canonicus Dominicus Antonius Norcia, cujus curis editio permiſſa.

II. Presbyteri Cardinales itidem poſt ordinationes ſuas.

Imitationem papalis liberalitatis ſapit, quod actum a Cardinalibus in Presbyteros ordinatis edicit Ordo nonus Mabillonianus, ſeu *de gradib. Rom. Eccleſ.* num. 3. *Expletis omnibus, miſſa ritè completa, ſtant Regiones paratæ ad ſingulos Titulos pertinentes cum candelabris, & thuribulis, ut proprium ſuſcipiant Sacerdotem..... Egredientes* (ordinatos) *præcedunt unumquemque vel triginta candelabra cum thuribulis. Ipſe* (Ordinatus) *ſedet ſuper equum album: & ſubſequens populus canit ei laudem: ſimiliter etiam fœminæ Diaconiſſæ, & Presbyteriſſæ, quæ eadem die benedicuntur. Plateæ autem civitatis, unde tranſituri ſunt, coronantur lauro, & palliis, & cum tanta gloria ad ſtatutos Titulos reducunt proprios Sacerdotes: & ipſe facit eo die convivium.* Hæc pag. 91. to. 2. muſei Ital. in quibus imaginem quamdam, compendiumve habemus pontificiæ proceſſionis diei coronationis, cantus laudum, ſeu plauſuum popularium, ornatus, apparatuſque Urbis, demonſtrationis munificentiæ &c.

III. Et Patriarchæ novæ Romæ.

Novæ Romæ Antiſtites rogas diſtribuebant ea methodo, quam

---

* Vulgata eſt typis Antonii de Rubeis, vergente ad occaſum anno 1726. Opellæ titulus. *Brevis enarratio ſacrorum rituum ſervatorum in aperienda, & claudenda porta ſancta Patriarchalis baſilicæ S. Mariæ majoris ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Principe Petro Cardinali Otthobono, Vicecancellario, Epiſcopo Sabinen. eiuſdemque baſilicæ Archipresbytero, & Apoſtolico de latere Legato.* Allata verba occurrunt ad pag. 41. & 42. Qui formam numiſmatum intueri velit, videat paginam 37.

quam ſuſpicor ab iiſdem acceptam ex moribus noſtris, præcipuè poſt guſtatam cognitamque proximiùs iſtorum majeſtatem per Pirrhum ſupra memoratum, creſcente apud Grajos Romano-pontificia affectandi prurigine, Latinique ſplendoris invidia apertum obduratumque ſchiſma ſequioribus paritura ſeculis. *Celſiſſimam ſacrorum Imperatorum circumſpectionem, & Patriarcharum amplitudinem inter alia reddebant auguſtiorem annuæ rogæ, & bajorum largitiones. Quippe ſedebant annis ſingulis cujuſque temporis Patriarchæ, & Imperatores per hæc ſubditos ad benevolentiam invitabant*, inquit Balſamon generatim æmulam Antiſtitum novæ Romæ liberalitatem deſignans in epiſtola *de incenſis* præſcripta lib. 7. Juris Græco-rom. relataque inter allegatas Gretſeri obſervationes lib. 3. cap. 9. ad cap. 14. operis Codini pag. 245.

Et ipſe Balſomon memoriam dierum ſuggerit, ac munerum conceſſorum a præfatis Patriarchis, dum, extincta anno 1063. (propter avaritiam Conſtantini Ducæ) Auguſtorum munificentia, & pietate, atteſtatur, vix umbram ſuperſtitem fuiſſe tempore ſuo largitatis Antiſtitum. Sed hæc omnia percipere libet ex Gretſero Balſamonis ſcripta verſante. *Fons iſte* (Imperatoriæ munificentiæ) *exaruerat in palatio, quo fermè etiam in Patriarchio tempore Balſamonis, ut ipſe conqueritur. Et Patriarcha quidem, ne fortè immunificus videretur, κατὰ τὴν ἡμέραν τῆς κατηχήσεως, feſto Catecheſeos* (*fer.* III. *poſt Dominicam carniſprivii ex epiſtola de incenſis Balſamonis* ...) *διμιάματα dividebat: feſto bajorum, ſeu palmarum cereos, & cruces: magna* IV. *feria, hoc eſt, die mercurii majoris ſeptimanæ cereos, & thymiamata: die Paſchatis ἀσπασμὸς, καὶ τρικέφαλα, ſalutationes, & tricipitia; oſculo enim & amplexu excipiebat populum feſto Paſchatis, dans unicuique tricephalum, exiguum monetæ genus a tribus capitibus nomen ducens*. Sic mox cit. pag. 245. Gretſerus, qui aliquid horumce attingit etiam in opuſculo de benedictionibus &c. lib. 2. cap. 203.

IV. Quibus occaſionibus, & quibus, illorum munera darentur.

Haud tenemus tamen ex ejus verbis, utrum gravius quidpiam acciperent e manu Patriarchæ Clericorum Ordines. Credo ego, proſperiori ætate Græcanici Imperii vel aureos nummos iis papali more fuiſſe diſtributos. Judicium hocce qualecumque meum præformavit clariſſimus Suareſius, quem apertiſſimè dicentem data a CPolitanis Præſulibus, præſertim *Clericis in die Paſchatis numiſmata, quaſi* PRESBYTERIUM,

V. Pauca de nummis per eoſdem Patriarchas diſtributis Clero.

 ſeu

Digitized by Google

ſeu nummos aureos, offendi legens ejus corollarium II. ad tractatiunculam Panvinii de baptiſm. paſchali, & conſecrat. agnor. Dei cap. 17. pag. 150.

VI. Uſus eccleſiæ Edeſſenæ. Quaſi *presbyterium* Romano valde conforme largiebantur quoque Clericis aliquid Antiſtites Edeſſeni. *Conſuetudo eſt in eccleſia* (Edeſſena) *in die ſancto Paſchæ, aut ante diem dare eum* (Epiſcopum) *de manu* (διδόναι αὐτὸν ἐκ χειρὸς) *Clericis* (φανερά τινα ἑορτάσιμα) *quædam pro feſtivitate. Hæc daturus, alloquitur primitùs, & ſic dat*. Verba ſunt Libelli, ſeu actorum Beryti an. 448. per Samuelem, alioſque adversùs Iban, quæ etiam poſtea dona illa non ſemel τὰς εὐλογίας (*benedictiones*) nuncupant, præſtitaque ajunt ἐν τῷ τρικλίνῳ τοῦ ἐπισκοπείου. V. geſta actione x. Concilii Chalcedonenſis apud to. 4. collectionis Labbeanæ &c.

VII. De erogationibus Antiſtitum Ravennatum. In aliorum Antiſtitum moribus non eſt difficile ſanctæ æmulationis ſpiritum agnoſcere. Mitto, quod hunc viguiſſe generatim apud Latinos indicat Aurelianenſis III. Concilii canon 11. quo ſancitur, ne aliquot Clerici, propria detrectantes officia, ullatenus *inter reliquos Canonicos Clericos habeantur, & ex rebus eccleſiaſticis ſtipendia, aut munera* (ideſt, meo judicio, *presbyteria*) *ulla percipiant*. Archiepiſcopi Ravennatenſis papalibus ſimiles erogationes ſignare videtur ** Conſtitutio Felicis Papæ IV. quam refert Agnellus pag. 96. lib. pontifical. Ravennatis in vita Eccleſii Epiſcopi. *Quarta patrimonii* (Conſtitutionis locus) *Ravennatenſis eccleſiæ: hoc eſt, tria millia ſolidorum ſolitis erogationibus Clericis omnibus, vel quibus erogari eſt ſolitum, erogetur*.

VIII. Ac Mediolanenſis eccleſiæ. Olent *presbyteriales* largitiones, uſuſque aliquæ Mediolanenſis eccleſiæ conſuetudines, de quibus Beroldus apud Puricellum in diſſert. Nazariana. Narrat ille, die Dominici natalis plura ab Archiepiſcopo diſpenſata dona Clero, Vicecomiti, aliiſque, chirothecas, vinum &c. necnon pleriſque prandium datum. Addit: *Eodem modo, & ordine reficiunt in Pa-*

** Certum eſt Bencino, quod ego non ſatis intrepidè pronuncio. Etenim in laudata pluries annotatione ad vitam Johannis IV. Anaſtaſianam hoc Felicis teſtimonium affert pro illuſtranda confirmandaque pontificiarum largitionum conſuetudine. *Aliis in eccleſiis* (ait) *ad rationem redditŭum Clero fiebat erogatio. Extat Felicis IV. conſtitutio apud Agnellum* &c. Profert inde textum hic productum, & alterum duplicationem ejuſmodi præſtationum decernentem; ſicubi redditus epiſcopales *ex penſionibus, ſive hæreditatibus creſcere* contingeret. Quod tamen non tam ſecurè dici poſſe monent, quæ notavi ſub §. 2. ſectionis 1. nota *.

Digitized by Google

Paſcha Reſurrectionis cum ipſo. Et propterea ſciendum, quia, quòd duo cuſtodes minores hebdomadarii cuſtodiunt theſaurum ſuper altare in natali Domini, & in Epiphania, prædictus Archiepiſcopus dat eis duos panes, & unum caput porci, & minam vini: & ſexdecim cuſtodibus dat medium arietem, & quatuor panes, & ſextariam vini: videlicet, in hoc (natalis Domini) *die, & in Reſurrectione, & Pentecoſte*. Hæc Beroldus, qui poſtea memorat prandium Clericis opiparè paratum die Epiphaniæ. Adi cit. diſſertationis caput 98. num. 4. pag. 471.

In eccleſia Lucana ſaltem, uti Romæ, ciborum diſpenſatio, aut, ſi vis, conviviorum celebratio agebatur in feſtis ſollemnioribus, teſtante Gelaſii II. diplomate, quo Cleri ejuſdem privilegia, & conſuetudines confirmantur anno 1118. *Charitativa illa ciborum beneficia, quæ ab Epiſcopis noſtris* (*ſive præſentes, ſive abſentes fuerint*) *in ſollemnioribus feſtis conſuevistis accipere, vobis, veſtriſque rata præcipimus, & obſervata ſervari*, habet Gelaſius apud Conſtantini Cajetani commentarium ad numerum 31. ejus vitæ pag. 102. IX. Lucanæ.

Saltem etiam conviviorum erogationem uſitatam fuiſſe in Rhemenſi, ac Lugdunenſi, Gallicanis eccleſiis inſinuat teſtamentum S. Rhemigii, ubi primò Beatiſſimus Antiſtes ait: *Vineam, quam Bebrimodus facit, tibi* (hæredem alloquitur) *eatenus derelinquo, ut diebus feſtis, & omnibus Dominicis ſacro offeratur oblatio, atque annua convivia Rhemenſibus Presbyteris, & Diaconibus præbeantur*: mox decernit, ut ex fructibus alterius vineæ tum ſimilis oblatio fiat, tum *Lugdunenſibus Presbyteris, atque Diaconibus convivia, concedente Domino, præbeantur*. Teſtamentum extat to. 1. ms. bibliothecæ Labbeanæ, & to. 1. annal. Francor. Cointii num. 50. ad annum Chriſti 533. pag. 408. &c. X. Rhemenſis, & Lugdunenſis.

Verùm, quæ proximiùs tangit, exprimitque vividiùs æmulationem aliorum Epiſcoporum Latinæ Eccleſiæ circa propriè dictum *presbyterium*, conſuetudo cenſenda eſt, quam e diverſis rubricis voluminis Antonii Bellotte de ritib. eccl. Laudunen. labore modico colligemus. *In nativitate Domini* (ibi par. 2. cap. 3. num. 8. pag. 50. col. 2.) *die Paſchæ, feſto Pentecoſtes, finita oratione, ſeu finitis orationibus, quas poſt hymnum Angelicum Celebrans recitare ſolet, cantantur laudes, ſeu litaniæ a duobus Canonicis, Cantore, & Succentore . . . quibus decantatis, duo prædicti Canonici accedunt per medium presby-* XI. Laudunenſis.

byterii ad Epiſcopum in faldiſtorio ſedentem, ac debitis reverentiis, qui nummos eis largitur, quos ipſi recipiunt cum oſculo manus porrigentis... Similes nummos largitur Epiſcopus Subdiacono poſt lectam in ambone epiſtolam. Ea enim decantata, accedit ad Epiſcopum, cujus manum dexteram ſuper libro poſitam reverenter oſculatur. Numero 9. pag. 51. col. 1., præſcripto ritu benedictionis incenſi deferendi ad Evangelium petitæ a Thuriferariis, notat idem rituale: *Paullò poſt accedunt Cantores graduales ex ambone ad Epiſcopum, a quo ſinguli recipiunt nummos eodem ritu, quo alii miniſtri præcedentes.* Nectuntur his alia, præſertim circa lectionem Evangelii, ejuſque conſectaria, ſymboli cantum, ac intermedios ritus uſque ad verba, *& homo factus eſt*. Deinde num. 10. *Quibus finitis, ſedet Epiſcopus in faldiſtorio, ubi Diaconus, & poſt eum alii miſſæ officio inſervientes accedunt ad Epiſcopum, qui præfatis diebus nativitis Domini, Paſchæ, & Pentecoſtes eodem modo, quo ſupra, nummos elargitur cuilibet eorum.* En apud Laudunenſem eccleſiam factas *laudes* Epiſcopo: diſpenſatos ejus manu (quam oſcularentur accedentes) pluribus Clericis nummos aliquot: geſta hæc in Cathedrali: & in ſollemnioribus chriſtianæ Religionis feſtis. Quibus quid apertius ad comprobandum, per Latinam quoque reliquam Eccleſiam frequentatum olim fuiſſe morem Lateranenſis æmulum?

XII. *An adhuc vigeat apud eamdem uſus erogationis pontificio presbyterio perſimilis?*

Olim, aio: quia revelavit mihi nemo; ſed neque ex vulgatis, evolutiſque a me etiam ineditis ſcriptionibus didici, ſimile adhuc alibi quidpiam obſervari. Quod affirmare non abnuo, elapſo ſeculo fortaſſis deſcripti Laudunenſes ritus vigebant; niſi me fallunt, quæ ſequuntur laudati Antonii Bellotte verba. *Non abſimili planè ritu* (inquit ille pag. 149. obſervat. 24. num. 4. variis antea dictis circa priſcas Cæſareas largitiones, & epicombia) *Pontifex Laudunenſis Sacra peracturus in Chriſti natalitiis diebus, item Dominicæ Reſurrectionis, & Pentecoſtes, laudibus ejus ante lectionem epiſtolæ celebratis, annisque ei multis exoptatis, miniſtris acceptæ gratiæ mercedem redditurus eos nummis cereo globulo concluſis ſollemni & publico ritu donat, quo per globulum cereum, uti ſymbolum caſtitatis, ex opere ſcilicet apum puriſſimo confectum, moneantur munditiam ſervare caſtitatis in corpore, & per nummos egentibus & miſeris ſubvenientes lumen edere veritatis in operatione.* Omitto alia, quæ non inutiliter percurret lector, ſicuti etiam cumu-

mulata ab erudito ſcriptore obſervat. 23. pag. 145. & ſeqq. potiſſimùm ad num. 9. quo formulam exhibet laudum, ſeu acclamationum allato loco memoratarum.

XIII.
Myſticum aliquid ſubintellectum fuiſſe in quibuſdam ex diſtributionibus præfatis. An hoc acceptū ex Romanis moribus?

Paullulùm quidem ſuper extremis ejus verbis juvat immorari. Docent enim, neſcio quid myſticum piumque (præter ideam quamdam Dignitatis diſtributoris, quam intentam a Rom. Pontiff., maximè in præſtatione Lateranenſi (1) ſupra advertebamus) fuiſſe præſignatum ab Epiſcopis Laudunenſibus in diſtributione nummorum. Aliàs diſtributæ a Conſtantino Auguſto pecuniæ, ceteraque dona (ſi attendimus prolatum (2) Euſebii teſtimonium) in memoriam refundebantur beneficentiæ Chriſti erga genus humanum largiſſimè profuſæ, celebratæque paſchali tempore. Quò veriſimiliter reſpiciebat Commodianus ita Clerum in pauperes immunificum paſchali feſto corripiens lib. 2. inſtitutionum cap. 57.

Congruit in Paſcha die feliciſſimo noſtro,
Lætentur & illi, qui poſtulant ſumpta diurna,
Erogetur ei, quod ſufficit, vinum, & eſca.
Reſpicite fontem, quo memorantur iſta pro vobis.
Immodico ſumptu deficitis Chriſto donare.
Cùm ipſi non facitis, quomodo ſuadere poteſtis
Juſtitiæ leges talibus? vel ſemel in anno,
Sic multos urget blaſphemia ſæpè de vobis.

An autem & hæ piæ ſignificationes in largitionibus Romanæ Eccleſiæ præluxere? Aſſerere id pro indubio nolim. Scio, atque inquio ſolùm, per ea, quæ habemus, dedimuſque, abundè ſuaderi poſſe, myſticum aliquid, ſanctumve ſub formulæ earumdem cortice voluiſſe tegi a beatiſſimis inſtitutoribus. Expende vel unicam Lateranenſis gravioris quaſi præambulam largitionem, in populum effuſam ad porticum, & gremium baſilicæ, de qua etiam (3) Ceremoniale poſtremum Romanæ Curiæ.

(1) *Sect. 9. §. 2. &c.*
(2) *Ibid. §. 17.*
(3) V. *ſect. 8. §. 3.*

XIV.
Quid probabiliter ſubintelligi voluerint majores noſtri per inſtitutum *presbyterii* Lateranenſis?

Quid autem tegi voluerint, maximè in *presbyterii* ſtrictim ſumpti conſuetudine, non tam arduum eſt conjicere. Uti exemplo ſaltem Vaticani moris explanati ſuperiùs innotuit, aliquod Religionis debitum inculcari curarunt ſemper ſuarum ope inſtitutionum Romani Pontifices. Crederem ergo, præberi voluiſſe per noſtrum Ritum ſupremis Præſidibus monumentum, ut in genus humanum ſe liberales, miſericordes, gratos, bonos, quales Chriſtianos deceat Principes, eſſe

eſſe debere recordarentur, præſertim in ſubditos, famuloſque quoſcumque. His verò, ut monerentur de ſubjectione, de honore, de obſequio Superioribus debito juxta memorabiles Petri, & Paulli principum Apoſtolorum inſtructiones: *Subjecti eſtote . . . Regi, quaſi præcellenti . . . Regem honorificate. Omnis anima Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit . . . Reddite omnibus debitum . . . cui honorem: Admone illos, Principibus, & Poteſtatibus ſubditos eſſe*. V. 1. Petri epiſtolam II. 13. & epiſt. Paulli ad Romanos XIII. 1. & ad Titum III. 1. Hoc utique noſtræ Religionis conſonum ſacramentum pandere mihi videtur vetus ac nova jam tandem veſtigata, & explanata ratio diſtribuendi *presbyterium* tam publica, tam ſollemnis, moduſque tam ſollemnis & publicus illud percipiendi. Rem penſet catholicus lector.

XV.

Quàm rectè ſervatus ritus *presbyterii* Lateranēſis. Num credibile ſit, eum aliquando abolendum fore?

Caruerit tamen cujuſvis myſterii prærogativa, aut ſignificatione (quod quidem falſum) Romanus hic Ritus. Vix quicquam de ejus præſtantiæ amplitudine detrahitur. Annon ampliſſimam fuiſſe reliqua demonſtravit dictorum ſeries? Atque hinc intelligitur, quare doctiſs. Card. Geſualdus (ſicuti ex Mucantio (4) narratum eſt) e tot negligi cœptis papalibus inſtitutis celeberrimæ actionis primi acceſſus ad Lateranum, ſeu poſſeſſionis Lateranenſis, ut ille redintegraretur, potiſſimùm adlaboraverit. Intelligitur etiam, quare poſtea ſemper diligentiſſimè ſervatus ſit, miras licèt inter variationes: & (ſi vaticinari libet) quare numquam abolebitur, intelligent ſeri nepotes. Ad majeſtatem ille pontificiam commendandam, eique conciliandam venerationem egregiè factus videtur. Quotquot autem ejuſmodi charactere inſigniuntur conſuetudines Romanæ, ne aboleantur pereantve, ipſum cavere ſolet ſacrum Cardinalium collegium. Certa res, atque ætate mea luculento comprobata documento, quod reminiſci jucundum, nec inutile erit. Emmanuel Theodoſius a Turre, Cardinalis Decanus, Bullionius nuncupatus, impetravit anno 1714. à Clemente PP. XI. moris illius pervetuſti abolitionem, quo ante Conſiſtorialium arcanarum diſquiſitionum initium Cardinalium quilibet ad *audientiam* (ſic ajunt) Pontificis accedens, capite prorſus detecto, eumdem alloquitur. Verùm ea Principis modeſtiſſimi dignatione nec ſemel uti voluerunt Patres ampliſſimi, exiſtimantes propriam labefactari Dignitatem, vel tantillùm imminuta papali per

(4) *Sect.* 8. §. 8.

per abrogationem publici reverentiæ actus, de quo aliqua legi in mſs. Diurnis Petri Orlandi Apoſtolici Ceremoniarii.

XVI. De veris cauſis viciſſitudinum, & abrogationis *presbyterialium* largitionum. Eruditi Scriptoris opinio notata.

Ceterùm rationes aliæ non deſunt, quibus præconcepta foveatur ſpes de perenni Ritus noſtri obſervantia. Lateranenſis largitionis ceremonia, primæ pontificiæ ſollemnis equitationis, ſive formulæ capiendæ adeptæ authoritatis poſſeſſionis portio, e tot quondam ſui ſimilibus ad unicam redacta eſt: raró, brevique temporis ſpatio perficitur: ubique expleri poteſt: & fortaſſis ope laboris hujuſce noſtri notior evadet poſthac, digniorque obtutibus hominum, ac recordatione. Hinc ad ejus perniciem veroſimiliter non ignorantia, non ſeceſſus Curiæ ab Urbe, non amor commoditatis, non aliæ ſubverſionis, vel deformationis urbanarum quamplurium veterum conſuetudinum cauſſæ, de quibus jamdudum, militabunt ampliùs. Satis iis fuerit eamdem anguſtioribus concluſiſſe finibus, pareſque, nec paucas, largitiones abrogaſſe. Verè ſiquidem uſuum ejuſmodi viciſſitudines, omnimodaſve abrogationes cauſſæ tales (5) progenuere potiùs, quàm quæ ſuggeſta nobis videtur a Daniele Papebrokio. Scilicet is in reſponſione ad exhibitionem errorum, evulgatam per Sebaſtianum a S. Paulo, Par. 2. art.14. §.1. n. 30. p. 73. poſt excripta loca quædam Anaſtaſianæ vitæ Leonis IV. diſtributas ab eo *rogas* atteſtantia, neque a nobis (6) ſuperiùs omiſſa, *Vides*, inquit obtrectatorem ſuum alloquens, *omnes ferè eas cauſſas, & occaſiones, quibus undecimi, aut duodecimi ſeculi Pontifices pro erogatione pecuniaria, aliorumque munerum cœperunt largiri indulgentias ad ... fundandas, & dedicandas eccleſias, monaſteria, civitates, quemadmodum poſtea Urbanus IV. inſtituens novum venerabilis Sacramenti feſtum loco diſtributionum materialium ... ſtipendia ſpiritualia Apoſtolica largitione conceſſit, ſicut in ipſo officio atteſtatur S. Thomas: diſpendio utique Cameræ minori, ſed fructu longè copioſiore, atque ad plures pertinente.* Quibus profectò verbis inſinuat Papebrokius, abrogatas fuiſſe varias *presbyterium* dandi conſuetudines per ſubſtitutionem Indulgentiarum. Quòd, ut audacter cogitatum, & imprudenter aſſertum, ita parùm ſolidè probatum. Nam S. Thomas in Officio, non ad pontificias, quæ de gaza *Cameræ* eruerentur, largitiones, ad diſtributiones alluſit, *communia* nuncupatas, quæ de redditibus cujuſvis Collegiatæ eccleſiæ ſumerentur, Clericis aliquando tribuendas. Sed manum de tabula.

(5) *V. ſect.* 1. §. 1.

(6) *Sect.* 1. §. 11.

COROLLARIUM

Quo pollicita in Prologo exſoluta fuiſſe declaratur, & afferuntur nonnulla in tractatione prætermiſſa.

SECTIO UNICA.

§. I. Complexio breviſſima eorum, quæ aſſerta ſunt I. & II. Parte Lucubrationis circa *presbyterium* Vaticanum.

CERTE' & expeditis, quæ ad *presbyterium* Lateranenſe attinebant, omnibus (neque enim aliud, quod ad illud explanandum faciat, habeo), promiſſa in Operis limine penitùs exſolvimus. Probatum eſt, Romanum Ritum dandi aliquando *presbyterium* Papæ, & Clericis Urbis die S. Marci ad Vaticanum eſſe veſtigium moris nobiliſſimi, adlaborantibus Canonicis S. Petri, nec ſine Pontificum cura, a ſeculis antiquioribus ad nos uſque perducti, licèt (propter cauſſas nec paucas, nec leves) inſigniter deformati. Quandoquidem (ut graviora capita rememorem) olim unicè ad baſilicam Principis Apoſtolorum *presbyterium* hocce diſpenſabatur, & in ſtationibus plurimis: nunc & in quibuſcumque eccleſiis, quotieſcumque celebraverit Pontifex pompa ſollemni, exequiali excepta; quodque Clericos reſpicit, ſola occaſione litaniæ majoris, diſpenſatur. Olim tamquam ſtipendium, ac ſalarium dabatur tum Papæ, tum Clericis: nunc Papæ datur tamquam gratulationis ſignum, munuſve pro miſſa bene cantata, Clericis verò, opinione diſtribuentium, tamquam ſalarium; opinione accipientium, tamquam debita per Canonicos S. Petri recognitio. Olim & Cardinales, & Curiæ univerſæ minores ordines, & Regulares plerique, & alii ejuſmodi præſtatione fruebantur: nunc nihil percipiunt. Probatum eſt, Vaticanum *presbyterium* ſumptum fuiſſe ab initio, atque etiamnum quoquomodo ſumi ex oblationibus fidelium ad altare, maximè tumulo Principis Apoſtolorum ſuperextructum, importatis, e quarum oblationum diſciplina originem certò traxerit ejuſce di-

diſtributionis Ritus. Probatum & hinc eſt, Chriſtum, & Petrum (pro modulo cujuſque ſupremos Eccleſiæ Presbyteros, ſeu Sacerdotes, Duceſque) veluti diſtributores habendos Vaticanæ præſtationis, quantalibet varietate intercedente; proptereaque liquere, ab iis præcipuè deductum *presbyterii* nomen, ac noſci, cur Summus ipſe Pontifex de eodem participare non dedignetur, & quàm hoc illi, ceteriſque omnibus (contra quod perperam nonnulli aliquando ſenſerint) decorum, atque honorificum. Probatum eſt, non fruſtra, ſeu ad pompam, ut ajunt, præſtantiſſimam conſuetudinem & inſtitutam, & ad poſteros tranſmiſſam. Excitari nempe voluit ſacroſ. Rom. Eccleſia omnium mater, & magiſtra per eamdem ad ſervandam toties inculcatam a Chriſto, Apoſtolis, & Patribus unitatem, charitatemque fideles omnes, præſertim Clericos, præberique inſuper iſtis ſenſile indicium, ut, unde ſtipendia, præmiave ſua expectare, ac recipere, necnon, quem humilitatis ſpiritum in magna Dignitate fovere, ac præſeferre debeant, recordentur.

II. Altera aſſertorum Parte III. circa *presbyterium* Lateranenſe.

Hæc primùm. Deinde probatum eſt, Ritum dandi *presbyterium* in poſſeſſione Lateranenſi leve itidem veſtigium eſſe veterum plurium conſuetudinum, non ſine cauſſa ſubverſioni, ſive imminutioni amplitudinis, rationiſque Vaticanarum communi, abolitarum, quibus ſe pontificia majeſtas revelabat in præcipuis ſollemniis, certiſque occaſionibus; ſpeciatim verò perſpicuum ejus eſſe veſtigium, qua primo Ordinationis, & Coronationis ſuæ die Romanus ſummus Antiſtes apparatu maximo Lateranis, atque etiam aliis in eccleſiis, ſi quando coronaretur extra Urbem, pecuniam largiebatur Clericis omnibus cujuſvis dignitatis, chriſtiano populo cujuſcumque gradus, ipſiſque ſubditis infidelibus Judæis, vel manu ſua, ut illuſtrioribus e Clericis, & Nobilibus, vel aliena, ut reliquæ turbæ. Probatum eſt, præſtationem hanc munus donumve propriè exiſtimandum: donum, quod ex liberalitate Papæ propter præſtita ſibi obſequia, ac ſervicia potiſſimùm concederetur: donum, quod ex proventibus Cameræ Apoſtolicæ, ſeu Papæ eruatur: donum, cui, quia traderetur a ſupremo *Presbytero*, nomen *presbyterii* tam verè inditum, quàm verè a dignitate Principum ſeculi publica iſtorum dona (*a*) appellata ſunt. Probatum eſt, nunc tantùm

 Car-

(*a*) Reminiſcere dicta Par. II. ſect. 4. §. 1.

Cardinalibus munus hocce diſtribui manu Papæ, quod tam multis pridem: nunc non pecuniam pro eodem, ſicut olim, ſed numiſmata concedi: nunc idem præberi ſub abſide baſilicæ Lateranenſis, olim alibi, præſertim intra palatium, aut baſilicæ cappellas: nunc ejus diſtributionem præcedentes, comitantes, ſubſequenteſque ritus (veterum reſpectu) valde imminutos, valde variatos. Probatum eſt, ad majeſtatis papalis ideam efferendam maximè compoſitum tale inſtitutum, ac maximè præſtans, & nobile reputatum; ex quo natum inter alia, ut ad imitationem ſui provocare potuerit pro menſura gradus ceteros primi ſubſellii viros eccleſiaſticos. Probatum eſt, ſuapte illud natura unum eſſe ex inſtitutis ſecularium Principum in Ritus ſanctiſſimæ chriſtianæ Religionis cooptatis; indeque non mirum effici, ſi & aliquando ejus uſum permiſerint Regibus, ac Cæſaribus Romani Pontifices. Probatum eſt, idem, quum primùm conſecratum, proprio myſterio inſignitum, quod veroſimiliter fuerit, ut ſublimiores Poteſtates de exercendis pro chriſtiano ſuæ conditionis debito liberalitatis, gratitudinis, benevolentiæ, miſericordiæ virtutibus in homines, potiſſimè ſubditos, ac miniſtros; ſubditi verò, famulique de præſtanda iiſdem obedientia, obſequio, honore juxta Apoſtolicas præceptiones commonerentur.

III.

An per hæc propoſito argumento factum ſatis?

Singula hæc, inquam, ſunt pro virili probata. Atqui ex iis collatis inſimul ſtatim (meo quidem judicio) deprehenditur, quam levia, & generalia ſint, in quibus Vaticana, & Lateranenſis conſuetudo conveniunt, veluti nuncupatio, derivatio qualiſcumque ejuſmodi nuncupationis, prærogativa antiquitatis, iiſque ſimilia: quàm reapſe utriuſque indoles, origo, ratio diſſonent: quantum utriuſque formulæ exequendi ritus (præſertim Vaticani) nunc ab inſtitutis majorum degenerarint. Quæ extricanda a nobis, exponendaque pollicebamur in (1) Prologo. Quodſi, quicquid extricatum expoſitumque eſt, cum veritate, aut minimùm cum veroſimilitudine conſentire judicabunt Docti; ſpiſſior illa obſcuritas, & ambiguitas, notitiam *presbyterii* obvolvens, jam aberit, ipſaque catholica Religio, reſeratis duarum veterum illuſtrium ſuarum inſtitutionum Sacramentis, nonnihil capiet ex univerſo labore noſtro fructus. Quod erat duplex commodum ex eo labore, ut augurabar citato (2) loco, colligendum.

(1) *Sect. 2. §. ult.*

(2) *Sect. 1. §. 9.*

IV.

Mutilæ quædam presbyterii definitiones notantur.

Aliàs vel ex data perbrevi tractationis epitome depre-

prehendere quoque licet, quantum in re noſtra quandoque erraverint (abſit verbo invidia & contumelia) nonnulli Scriptores, præſertim ultimæ ætatis . Aliquorum aberrationes, maximè quæ minutiora pertingerent, per Operis decurſum obſervatæ ſunt ; ſed inobſervatas aliquot, ipſum caput argumenti, aut gravius aliquid ad ejus explanationem pertinens appetentes, hic proferre juverit, ut priſca illa obſcuritas manifeſtetur magis, & ſiqua inducta lux eſt, ſplendidiùs renideat. Erravit autem Cl. Mabillonius *presbyteria* definiens in commentario prævio ad Ordd. *§. 5. de collectis, & ſtationib.* pag. 34. *erogationes, quæ fierent tum ob miniſtrorum obſequia, tum ob laudes, & acclamationes*. Ejuſmodi enim definitio erogationes Vaticanas excludit. Quod etiam peccatum (& quidem apertiùs) peccaſſe videntur & Cangius in gloſ. lat. *presbyterium* vocans unicè *donativum, quod ratione ſummi Presbyterii effunderetur, ſeu papalis Dignitatis*: & Rondoninus PRESBYTERII *vocabulo* inquiens lib. 2. hiſtor. S. Clementis cap. 7. p. 258. *donativum exprimitur ... quod ita dictum videtur, quia ob ſummum Presbyterium, ſeu pontificiam Dignitatem effunderetur*: & Creſcimbenius lib. 7. hiſt. S. M. in Coſmedin cap. 10. pag. 357. ſcribens : *Anticamente i Papi nelle calvacate, proceſſioni, & altre ſimili funzioni principali, ſolevano diſtribuire in dono alcune ſomme di denaro al Clero sì ſecolare, che regolare, che v' interveniva, ò in qualche maniera operava in eſſo. Qual diſtribuzione ſi chiamava* PRESBITERIO. Uti vidimus non pro dono, ſed pro mercede, ſeù potiùs ſtipendio dabatur Vaticanum. Quantum autem differat donum a ſtipendio, locus pandit Tertulliani interpretantis verſiculum 3. capitis VI. epiſtolæ ad Romanos in lib. de reſurrect. carnis : *ſtipendia delinquentiæ mors : donativa Dei vita æterna*.

V.
Vox *presbyterium* perperam accomodata rebus ipſis diſtributis.

Erravit tum ſcriptor Baluzianus dudum allegatus (3) diſtributam *pecuniam* appellans *presbyterium* : tum Valeſius Alexandri VII. numiſmata, de quibus ſupra (4) *presbyteria* vocans : tum Mucantius *presbyterium* itidem dicens, quæ Clementi VIII. data eſt ad Vaticanum, *crumenam ſerico rubro, & auro contextam cum quibuſdam monetis argenteis*; & Macrus, *burſam, in qua viginti quinque julii*, uti produnt ejus jam (5) producta loca : tum prænotatus Rondoninus verbulo *Donativum* mox citato addens : *ſive eleemoſyna, ſive pecunia ſumma in ſollemnibus diebus Clero, & populo in quoddam gratu-*

(3) Par. 3. ſect. 4. §. 14.
(4) Ibid. ſect. 8. §. 11.
(5) P. 2. ſect. 6. §. 4.

tulationis ſignum a Romanis Pontiff. erogari ſolita, maximè quum inaugurarentur. Nam genus ipſum erogationum, donum, datum ipſum *Presbyterium* eſt.

VI. Hallucinatio Scriptoris ſuper antiquo uſu diſtribuendi *presbyterium* more Vaticano.

Erravit Creſcimbenius paullò ante memoratus, dum expoſitæ definitionis *presbyterii* & interventus Cleri mentioni hæc adjungit cum ceteris etiam p.358. & 359. occurrentibus: *Queſto intervento accadeva in due guiſe; imperciocchè alle volte ſi reſtringeva a quelli ſoli, che aſſiſtevano al Papa celebrante, il che noi adeſſo diciamo aver luogo in cappella: e tal* PRESBITERIO, *che ſi toglieva dall' erario pontificio, ſi dava nel dì di natale* &c..... *e la diſtribuzione ſi faceva nella baſilica Lateranenſe .... Alle volte poi tutto il Clero ſudetto interveniva; e queſto accadeva nelle ſtazioni, & in ogn' altro luogo, ove cantava meſſa il Papa, ed anche nelle proceſſioni, e ſpezialmente in quella della litania maggiore nella feſta di S. Marco, in cui ſi diſtribuivano venticinque libre di denari, che ſi prendevano dall' altare, o menſa di S. Pietro in Vaticano; ove la proceſſione andava, e di tal ſomma participava anche il Papa, a cui ſi davano quaranta ſoldi, e lo ſteſſo altresì ſeguiva nell' altre chieſe, dove il Papa celebrava, togliendoſi ſempre la ſomma dalle oblazioni, che ſi facevano nell' altare al tempo della celebrazione. Queſto* PRESBITERIO *era più univerſale; perche non ſolo comprendeva i ſoliti aſſiſtenti alle dette funzioni, come ſi vede appreſſo Cencio ..... Anche nelle ſolenni cavalcate il Papa dava il* PRESBITERIO *sì al popolo Romano, come a' Cherici .... di maniera che in queſto modo anche i Cherici, & il popolo partecipava alle volte de' doni, che faceva il Papa, quando, come abbiamo detto di ſopra, andava ſolennemente ad alcuna chieſa*. Nam cenſet in aliis quoque eccleſiis antiquitus, more Vaticano, & acceptum fuiſſe, & diſtributum *presbyterium* a Romano Pontifice.

VII. Oblationis genus eſſe, non *presbyterii*, quod Papa die poſſeſſionis locat ſuper altare Lateranenſe.

Erravit quiſquis nummos ab eodem poni conſuetos ad aram baſilicæ Lateranenſis die poſſeſſionis *presbyterium* dixit, quod calamo excidiſſe doleo noſtri Canonici Candidi Caſſinæ deſcribentis ad diem 10. Aprilis an. 1701. poſſeſſionem captam a Clemente XI. in laudatis diurnis ſuis; & Lucæ Chracaſii deſcriptoris ceremoniarum paris actionis habitæ die 16. Novembris anno 1721. per Innocentium XIII. in vulgata, inſertaque etiam (ut ipſe vidi, authore concedente) diariis Abbatis Ghezzii relatione præſcripta: *Roma trionfante* &c. qua certe legitur pag. 32. *Terminata la funzione* (acclamationum,

num , ſeu laudum) *Sua Santità ſi portò all' altare maggiore , da dove diede a quel gran popolo la benedizione ſolenne , laſciando ſull' altare una ricca borſa di velluto cremiſi ornata d'oro col ſolito* PRESBITERIO *di* 150. *ſcudi moneta bianca nuova* &c. Siquidem *presbyterium* erogationem , ſeu meliùs *datum* ejuſdem ſonat in homines profuſæ , & erogatio illa ad altare (prout innuunt accuratiùs loquentis Mucantii verba (6) alibi allegata) erat mera puraque oblatio , fortaſſis ei ſubſtituta , de qua ita Ceremoniale Gregorii X. ſive Ordo 13. Mabillonianus : *Semper Papa offert pannum ſericum ſuper altare cujuſcumque eccleſiæ , cum primò ejus altare aſcendit* . Num. 11. pag. 232. to. 2. muſei Ital.

(6) Par. 3. ſect. 2. §. 9.

VIII. **Errores circa ethymon vocis** ***presbyterium*.**

Erravit Johannes Burius a loco, qui Lateranis extaret, ita nuncupato , ethymon *presbyterii* trahens in ſua brevi notitia Romanor. Pontiff. pag. 570. edit. Patavinæ. Etenim & illud a ſupremo Presbytero appellatum , & locus diſtributioni ſelectus , modò erat Pontificis camera , modò (quod frequentius) ſacellum S. Sylveſtri , modò aula palatii , modò abſis baſilicæ , aliuſve omnino ad Papæ libitum , & actionis commodum . Neque non erraſſe credendum , quotquot voluerunt a *Presbyteris* abſolutè *presbyterium* dictum , præſertim Lateranenſe , aut eidem aliquod affine . Altaſerra in hunc impegit lapidem , dum narrans pag. 67. libelli notarum ad vitas Anaſtaſianas, Eugenium Pontificem *presbyteria* erogaſſe a nobis ſupra (7) commemorata, ſubjungit ; *ideſt , amœnias , quales erogari ſolent Presbyteris* . Quod a participantibus nomen nacta eſt Lateranenſis , ſimiliſve largitio , illud erat *ſcholaris* , voce deducta a *ſcholis* , quarum nomenclatione , ſicut alibi(8) notatum eſt , optimè venire poſſunt qualeſcumque hominum ſocietates , etiam populares , etiam infidelium . Nomen autem *ſcholaris* verè attributum *presbyterio*, ſat ipſe oſtendit titulus Ordinis, ſeu Ceremonialis Cencii , qui eſt : *De conſuetudinibus , & obſervantiis , de* PRESBYTERIO *vel* SCHOLARI , *& aliis Eccleſiæ Romanæ in præcipuis ſollemnitatibus* . V. pag. 167. cit. to. 2. muſei Italici .

(7) Ibid. ſect. 1. §. 5.

(8) Par. 1. ſect. 6. §. 1. nota a. & Par. 3. ſect. 3. §. 5. nota m.

IX. **Error circa ſignificationem actionis dandi** ***presbyterium*** **Lateranis.**

Erravit Raſponus (ut Rondoninum (9) prætercam) ſcribens lib. 4. hiſtor. Patriarchii Lateranen. cap. 3. pag. 308. *Pontificis Maximi donum , quod* PRESBYTERIUM *appellabant , & certa pecuniæ ſumma continebatur , ex veteri inſtitutione præcipuis ſollemnibus diebus Clero , & populo Romano in ſignum læ-*

(9) Vide hic §. 5.

lætitiæ, & gratulationis erogare ſolebant. Tale quippe munus multò gravius myſterium ſignabat, quàm lætitiam & gratulationem, etſi verè lætis & gratulatoriis (ſi ita loqui fas eſt) diebus concedi utplurimùm ſoleret.

X.
Et cauſſam diſtributionis *presbyterii* eccleſiarum.

Erravit Jacobus Laderchius, dum, poſt commemoratum onus Cardinalis Presbyteri SS. Petri & Marcellini ſemel celebrandi intra hebdomadam apud Patriarchalem baſilicam Liberii, ait par. 3. diſſertationis de iſtorum Sanctorum baſilicis extructis in Urbe cap. 12. pag. 326. *Sicut & Pontificum juſſu baſilicæ Liberianæ miniſterio mancipatus erat Presbyter Cardinalis SS. Marcellini & Petri, ita etiam ex eorumdem munificentia SS. Martyrum ipſa baſilica particeps erat* PRESBYTERII, *quod ipſi Romani Pontifices nonnullis Urbis eccleſiis elargiri conſueverunt*. Quo loco (ut videtur) Laderchius innuit, *presbyterium* fuiſſe conceſſum in compenſationem, retributionemve ejuſmodi ſervicii. Quod planè falſum, aliis obſequiis, cauſſis aliis Pontifices ad has conceſſiones permoventibus.

XI.
Ac originem inſtitutionis *presbyterii*, præſertim populo Romano diſtributi.

Erravit Carolus Chartarius ortam putans (quam vetuſtiſſimam demonſtravimus) dandi *presbyterii* conſuetudinem, maximè quæ populum tangeret, ex conventione facta Papam inter, eumdemque populum fermè recenti, ſeu media Eccleſiæ ætate. Sanè inquit, quum de memorato alibi Antonio Gabriellio loquitur in ſyllabo Advocatorum Conſiſtorialium: *Cur Pontifex* PRESBYTERIA *tribueret, habes ex Baronio.... ubi diploma concordiæ inter ſummum Pontificem Clementem III., & Romanum populum hiſtoriæ ſuæ annectens hæc ſcripſit*. Dat inde verba diplomatis: & poſtea in indice ad vocem, PRESBYTERIUM, manifeſtiùs declarat ſententiam ſuam, cujus certò fundamentum lubricum prorſus, & ineptum. Quandoquidem diploma concordiæ non inſtitutam tunc, ſed inculcatam, aut renovatam confirmatamque conſuetudinem indicat apertiſſimè, dum ait, repetitque: *Vos dabitis conſueta*... PRESBYTERIA; ut eſt in prolato (10) ſuperiùs ejus textu, quem videat Lector, dum nos interim *Lucubrationi* terminum apponimus, tres (ut in hoc etiam obſtrictam ſolvamus fidem) *Appendices* exhibituri.

(10) Par. 3. ſect. 9. §. 3.

Explicit Lucubratio.

AD

AD
LUCUBRATIONEM DE PRESBYTERIO
APPENDIX I.
CONJECTURÆ
De veteri Schola Crucis: Collegio Rectorum Rom. Fraternitatis: & utriuſque veſtigiis.

I. Scriptiunculæ hujus cauſſa, & argumentum.

MEMINI, quid dixerim par. I. Lucubrationis ſect. *6.* in notula *i* ad ſ. 8. necnon par. 2. ſect. 8. ſ. *9.* Quare hìc breviter, atque ordine aperiam, quæ fuerit *Schola Crucis* inter palatinas pluries memorata apud veteres Romanos Ordines, quæque ſint modò ejuſdem reliquiæ: evincam inde, ſupereſſe adhuc in *Camerario Cleri Vrbis* priſci nobilis Collegii, *Rectorum Romanæ Fraternitatis* appellati in iiſdem monumentis, veſtigium, & ſanè illuſtre. De *Schola* ſit ſermo.

II. Qui componerent veterem *Scholam Crucis*, conjici poſſe ex collatione ceremonialis Piccolominei cū antiquis Rom. Ordd.

Quum in recentiori S. R. E. Ceremoniali pleraque ſint veteris inſtituti (quod, nedum ipſa authoris epiſtola ad Innocentium VIII. inſcripta apud muſeum Italicum Mabillonii, operis lectio perabundè docet) haud ineptum credas, ſi, quid fuerit *Schola Crucis*, ſive per quos componeretur, ex annotatis in eodem aliquot, collatis cum præſcriptis vetuſtiorum Ordinum Romanorum, collegero. Certè deſcriptio diviſionis denariorum feria VI. paraſceves oblatorum ad Crucem vetus ac nova rem propemodum mihi conficere videtur. Cencius antiquiorem exprimens tit. 13. *de off. paraſc.* ait: *Sciendum quod ſecundùm antiquam conſuetudinem quicquid ſuper Crucem offertur,* SCHOLÆ CRUCIS *debet eſſe*. Ceremoniale recentius: *Cùm Papa fuerit in camera, conveniunt Sacriſta, Subdiaconi Apoſtolici, & Clerici ceremoniarum, & dividunt pecunias in adoratione Crucis oblatas in tres partes. Vnam Sacriſta, aliam Subdiaconi, atque aliam Clerici ceremoniarum accipiant.* Lib. 2. cap. 51.

III. Componebatur *ſchola Crucis* e Sacriſta, Subdiaconis, & Magiſtris ceremoniarum.

His attentis, conjicerem, veterem *ſcholam Crucis* (generatim ſumptam) fuiſſe compoſitam e variis palatinis, ſive Sedis Apoſtolicæ miniſtris, ſub diverſis appellationibus propter diverſa ſingulorum munia aliundè cognitis, ac plenè diſtinctis; ſed propter quamdam in aliquibus analogiam collegii ſpeciem inſimul conſtituentibus. Erant autem, qui nunc *Sacriſtæ*, *Subdiaconorum Apoſtolicorum*, & *Magiſtrorum ceremoniarum* nomine, ac officio dignoſcuntur, quorum utique munus perantiquum eſt, etſi fortaſſe recens nonnullorum nuncupatio. Officium Sacriſtæ in Palatio antiquius exiſtimo, quàm credidit, affirmavitque Angelus Roccha in chron-hiſtoria Præfectorum pontificii ſacrarii. Quis enim ſuadeat mihi, defuiſſe apud Romanos Antiſtites antiquiſſima ætate, qui ſacrum, eorumque proprium cymelium cuſtodiret, ceteraque perageret, quæ modò ſunt munia Præſulis per Sacriſtæ nomen notiſſimi? Antiquitatem officii Magiſtrorum ceremoniarum Sanctæ Sedis nemo, niſi ſtultus, vocabit in dubium. Sit illorum denominatio varia apud ſcriptores, ac recentior (quum ſuperiori ævo vel *Clerici ceremoniarum* dicti ſint, vel ſingulariùs ad eos pertineat appellatio *Clericorum cappellarium* in monumentis veterum quandoque occurrens), munus tam antiquum eſt, quàm antiqua in rebus eccleſiaſticis, ſacriſque officiis neceſſitas ordinatè & canonicè dirigendi ritus chriſtianæ Religionis, ſuumque locum, & dignitatem cuique ſervandi. De vetuſtate nominis, ac miniſterii Subdiaconorum Romanæ Eccleſiæ an ulla quæſtio eſſe poteſt? Videſis, quæ annotavimus ad par. 1. cit. Lucubrat. ſect. 6. ſub ſ. 4. lit. *c*.

IV. Vel e ſolis Subdiaconis, Sacriſtæ tamen, & Magiſtrorū munia olim etiam explentibus.

Olim forſan e Subdiaconis eligebantur tantummodo, qui pondus, honoremque portarent quum Sacriſtæ, tum Magiſtrorum ceremoniarum; a quo ſyſtemate receſſum ſit ſequiori tempore. Multa profectò explebantur per Apoſtolicos Subdiaconos, quæ nunc aliena prorſus viderentur ab eorum inſtituto. De Cantorum officio, aliiſque iiſdem appictis vidimus alibi. Munia quædam Subdiaconi regionarii, notata pag. 7. Ordinis 1. Mabilloniani, conveniunt cum officio Magiſtrorum ceremoniarum. Relege, & expende etiam locum Cencii datum cit. par. 1. ſect. 9. ſ. 4. quo proceſſionem litaniarum apud Lateranum ordinatam invenies præcipuè a Priore baſilicario cum Subdiaconis. Non idcirco mihi fuit unquam mirum, quod hæc ſcripſerit agens de ejuſmodi Priore Petrus

Leo

Leo Caſella, relatus ab Hippolytho Agreſta par. 5. vitæ S. Baſilii Magni cap. 5. pag. 337. edit. an. 1681. *Il Priore baſilicario con l'Arcbidiacono veſtiva il nuovo Papa, e lo poneva in ſedia. E queſto tale Priore, e Maſtro di cerimonie era capo de' Monaci reſidenti in* Sancta Sanctorum, *e degl' altri Cappellani, cbe o Suddiaconi Apoſtolici, o Cbierici di cappella ſervivano all' altare, mentre il Papa celebrava.*

Pars ſaltem potior *ſcholæ Crucis* verè conſlabatur ex Apoſtolicis Subdiaconis; namque ipſe ſcholæ vertex erat Subdiaconus. *Baro ſcholæ palatii Subdiaconus, & Prior ſcholæ Crucis* ſubſcripſit literis Innocentii II. directis an. 1138. Balduino Archiepiſcopo Piſano, quas videre eſt in commentario Conſtantini Cajetani ad vitam Gelaſiii II. num. 19. pag. 55. Aliàs ad *ſcholam Crucis* pertinebant, qui *de Cruce* quandoque dicuntur in authenticis majorum chartis. Cujuſmodi ſunt *Sylvius Prior Subdiaconorum de Cruce, & Johannes Subdiaconus de Cruce*, qui ſubſcripſere cum aliis Subdiaconis, *ſacræ baſilicæ, & palatii* nuncupatis, epiſtolæ Honorii anno 1126. miſſæ ad Rogerium, Piſanum itidem Antiſtitem, quam exhibent monumenta hiſtorica Paulli Troncii pag. 61. V. Saltem Subdiaconi erant pars ejus potior.

Numero quidem pauci erant *ſcholæ Crucis* adſcripti; licèt, ut vidimus, e variis Officialibus conſlarentur. *Eſſe debent ad plus quatuor, & non plures*, inquit Cencius in catalogo accipientium *presbyterium* diei natalis Domini deſcripto par. 3. cit. Lucubrat. ſect. 3. §. 5. ſcilicet (ſi rem ad lancem uſque huc narratorum libremus) duo Subdiaconi, Præfectus ſacrario, & Magiſter ceremoniarum (quem veroſimiliter unicum antiquiori ætate extitiſſe, multa ſuadent) omnes illuſtris gradus Clerici; meritò propterea poſt Cantores, & ante Cappellanos, ibidem recenſiti. VI. Componebatur e paucis, certè Clericis tantùm.

Quod adjicio, ut antevertam eorum præjudicium, qui ad hanc ſcholam ſpectare judicaverint *Stauroferos* apud veteres nonnumquam memoratos. Videſis excerptum chronographi Caſſinenſis cit. par. 3. ſect. 9. §. 8. allatum. Occurrerunt (id illic narratur) *Stauroferi* Henrico V. Imperatori aliis Ordinibus, indubiè laicis imò militaribus, uti patet ex *Draconariorum, Aquiliferorum, Candidatorum* &c. paſſim ab illuſtratoribus rerum Romanarum, præcipuè Montfauconio to. 4. ſupplem. ad volumina antiquitatum &c. & lexicographis memoratorum mentione, maximè Signiferis Romani populi, VII. Et illi propterea diverſi a *Stauroferis*.

puli, permixti, conjunctique, & loco ab occupato per Clericos, præſertim palatinos, diverſiſſimo. Quæ demonſtrant & fuiſſe laicos, & prorſus a *ſchola Crucis* diſtinctos.

VIII. De Cruce ſtationali Vaticana.

Sed illis a *Cruce* nomen; Crux enim noſtris, σταύρος Græcis. Bene. Sic (1) vocabantur, quia, quum eſſent (ut videtur) genus Signiferorum, vel ipſum, quod deferebant ſignum, ornabatur imagine Crucis, vel ſuper haſtile, quo ſuſtinebatur tale ſignum, Crux ſtabat; quemadmodum Aquiliferi, Leoniferi, Lupiferi, Draconarii &c. alii Signiferi vocabantur, quia pro ſignis gerebant aquilas, leones, lupos, dracones &c. Non autem hinc *ſcholæ Crucis* denominatio; neque enim cum *Cruce* par conventio Subdiaconorum, Sacriſtæ, & Magiſtri ceremoniarum. Quæ verè fuerit, percommodè conjicitur ex variis antiquarum ſupplicationum uſibus. In ſupplicationibus per dies ſtationum, præſertim quadrageſimalium, actis celeberrima Crux, *ſtationalis* appellata, præferebatur, de qua Mallius allegatus a Fivizanio lib. 2. de ritu Crucis præferendæ Rom. Pontifici cap. 6. ita loquitur: *Quadrageſimali tempore Crux Domini ſumitur de ſanctiſſimo Petri altari, quæ præcedat populum pœnitentem per totam quadrageſimam ad ſtationem euntem. Quæ nimirum Crux ſtationalis ob Chriſti, & Apoſtolorum ejus reverentiam in tanta veneratione a cunctis eſt habita, quod, ſicut Cantores regionarii aſſerunt, hac Cruce non delata, immunes a ſtatione recedant.* De illa etiam Benedictus Ordine 11. Mabilloniano num. 29. ubi de ſtatione diei Purificationis B. Mariæ. *Primicerius incipit .... Schola reſpondet .... Tunc Subdiaconus regionarius levat Crucem ſtationalem de altari planè portans eam in manibus uſque ad eccleſiam.* Pertinebat verò Crux iſta (quam Ciampinus in hiſtorica inveſtigatione de Cruce ſtationali teſtatur fuiſſe ſubreptam a militibus Caroli V. Auguſti anno 1527.) ad baſilicam Vaticanam, cujus quandoque nomen exprimitur apud Majorum ſcripta. *Feria* IV. (temporum adventus Domini) *ſtatio ad S. Mariam majorem* (inquit laudatus Benedictus Canonicus cit. Ord. num. 10. pag. 124. tom. 2. muſei Mabill.) *fit collecta ad S. Petrum ad vincula, in Eudoxia. Primicerius cum ſchola, & Subdiaconi regionarii, & Acolythi cum Cruce ſtationali S. Petri levant inde*

(1) Doctiſſimus Angelus de Nuce in notis ad cit. chronicon *Stauroferos* hoſce interpretans not. c. ait: *Hoc eſt, Cruciferos; nam ſtauros græcè Crux*. Quod ſententiæ noſtræ roborandæ juverit.

de Crucem cum collecta proceſſionali cantando uſque ad S. Mariam majorem &c.

Et ſua erat Crux ſtationalis eccleſiæ Lateranenſi, & fortaſſis reliquis Patriarchalibus, quod contendit laudatus Ciampinus cit. opuſculo. Quinimò inſigniores Urbis aliæ ſuas quoque habuere peculiares Cruces; puta, pretioſiores, aureas, vel argenteas, uſui deputatas unicè publicarum proceſſionum, quas veroſimillimè indicant literæ Alexandri IV. vulgatæ par. 2. Lucubr. ſect. 5. §. 2. Meminit Crucis Lateranenſis (præter *ſtationalem* abſolutè dictam) Benedictus Canonicus ſcribens: *Statio Lateranis. Collecta ad S. Mariam majorem; ubi Crux ſtationalis, & Schola, & Regionarii, & Acolythi coadunantur cum Cruce S. Johannis, & Canonicis. Primicerius cum ſchola cantat collectam. Subdiaconus regionarius portat Crucem ſtationalem in proceſſione ante Cantores, & proceſſionaliter procedit ad Lateranum*. V. locum apud (2) Fivizanium de *exaltatione Crucis* agentem in præfato libello. IX. Atque aliis Cleri.

Sacris ejuſmodi ſignis præcedebatur Clerus palatino minor. Sed huic præibat Crux papalis, præſertim quæ vocabatur *quotidiana*, credo, a frequentiori uſu. *Proceſſionaliter eccleſiam exeunt, Cruce S. Laurentii foris murum præcedente, & deinde S. Mariæ majoris ... Tertia fertur Crux eccleſiæ Lateranenſis. Poſt has verò Crux quotidiana Domini Papæ*, habet Cencius procedentem Pontificem ad S. Marcum cum aliis loco hic num. 4. indicato repræſentans. X. Quædam de Cruce papali.

Circa has Cruces plurimus erat labor Subdiaconorum, Magiſtri ceremoniarum, & ſacrario Præfecti. Stationales, ſeu principes ceterarum, a Subdiaconis Apoſtolicis portabantur, ut duo textus Benedicti Canonici, dati numeris ſuperioribus, diſertiſſimè ſignificant. Nec dubitandum, quin a Subdiacono portaretur (maximè in proceſſionibus ſollemnioribus) Crux papalis. Ad hæc: Subdiaconi deſcribebant Cruces eccleſiarum quaſcumque, afferendas ad S. Petri occaſione litaniæ majoris juxta narrata par. 2. Lucubrat. ſect. 10. §. 9. &c. Magiſter ceremoniarum Clericos eccleſiis famulantes, quum præceſſuri forent Pontificem in generalibus ſupplicationibus, dirigebat, ipſoſque Ordines palatinos; ideſt, Cru- XI. Munus Subdiaconorum, Magiſtri ceremoniarum, ac Sacriſtæ circa Cruces prænotatas.

(2) A noſtra diſſentire videtur opinio hujus authoris, quam omnino improbabilem oſtendam in opere de Hierarchia &c.

Cruces (3) diſponebant, ne quiſpiam inordinatè, ſeu extra deſtinata meritis loca, aut alienis ſub vexillis divagaretur. Quod ex officii natura, & pauculis, quæ ſuper Priore baſilicario iterum meminimus num.4., præclarè colligitur. Præfectus ſacrario ſaltem papales Cruces in cymelio ſibi commiſſo non dubiè cuſtodiebat ex more etiam Græcis placito, quorum *cymeliarchis* inter ſacratiora cuſtodiſſe Cruces, ſollemne erat. Legeſis V.Cl. Sebaſtiani Pauli diſſertationem de ritu Neritinæ eccleſiæ exorcizandi aquam in die Epiphaniæ P. 2. cap. 2. a pag. 119. ad 124.

XII. Ex dictis conjici, unde ii ſint appellati *Schola Crucis*, & quid hujus ſuperſit antiqui.

Ecce in quibus convenirent cum *Cruce*, ſive *Crucibus*, Subdiaconi, Magiſtri, & Sacriſta. Hinc illi meritò tamquam peculiaris palatii *Schola* cenſiti, quam *Crucis*, atque aliquando *Crucium* (ut habent plures per Lucubrationem diſperſi veterum textus) appellatio a reliquis ſecerneret. Obſolevit iſthæc, quemadmodum ſcholæ, ſeu collegii ſpecies. At munia cujuſque membri ferme integra permanſere. Siquidem & modò Magiſtris ceremoniarum Sanctæ Sedis incumbit onus auguſtiores univerſi Cleri ſupplicationes ordinare: Apoſtolici Subdiaconi Crucem papalem portant, incedente pompa maxima ſummo Pontifice: Præfectus ſacrario Crucem *Cappellæ* nuncupari conſuetam &c. cuſtodit. Quæ ſunt omnibus conſpicua; affatimque probant cum allatis hucuſque, vetus *ſchola Crucis* quid fuerit, & quod ſit ætate noviſſima ejuſdem *veſtigium*. Ad alteram argumenti partem.

XIII. Romæ in Clero II. Ordinis quinam *Rectores*?

Rectores, eccleſiaſtici corporis non palatini membra, ſicut poſtremis temporibus, ita priſcis, vocatos arbitror, quotquot Romæ præeſſent ſub Cardinalibus curæ animarum. Ante pontificatum S.Pii V. in baſilicis, ceteriſque collegiatis, annexam habentibus curam animarum,* exercebatur hæc per Canonicum, vel ubi negligentiùs agi cœpta res tanta, per ſubſtitutum Presbyterum. Qui mos immutatus eſt per laudatum Pontificem, exercitium transferentem in Vicarios perpetuos apud eaſdem eccleſias inſtituendos, ut ſancitur per Conſtitutionem 139. inter Pianas to. 2. Bullarii Rom. legendam. Sic ha-

(3) Memora, per *Cruces* potiſſimùm notari a ſcriptoribus ritualibus eccleſias, & eccleſiar. collegia. Revide locos Benedicti, & Romani P. 1. lucubr. ſect.9. §. 2. ac ſect. 10. §. 3. & 4.

* V. to. 1. theſauri Parochor. Cl. Johannis Marangonii lib. 1. cap. 19. pag. 48. & ſequ.

habitu ſolùm & dici, & eſſe cœperunt Canonici Rectores animarum; etſi veri parochialium eccleſiarum Rectores eſſe non deſierint. In reliquis Urbis paræciis, collegio Canonicorum carentibus, Parochus eſt ſemper vocatus, reputatuſque quùm animarum, tum eccleſiæ Rector: magis quidem propriè, ſi fortè alicui præſideret nulli Patriarchali, vel Titulo ſubjectæ, minùs propriè, ſi ſecus; nam tunc frequentiùs dicebatur *Cappellanus*, aut *Presbyter cappellæ*. Rememoranda prolata par. 2. Lucubrat. ſect.8. §.13.not.*b.* & ſect.10. §.12.not.*c.*

XIV. Iis præerat Collegium *Rectorum Fraternitatis*.

Verùm Rectores iſti regebantur per collegium ex iiſdem, prænobilis etiam Ordinis, compoſitum (uti clariùs infra) *Rectorum Fraternitatis* communiùs nuncupatum. Communiùs, inquio; quia video, aut illud interdum appellari per quamdam excellentiam collegium *Rectorum Urbis* ſimplicitèr, aut *Rectorum, & Priorum Fraternitatis*, credo, amplioris cauſſa declarationis. Expende titulum literarum Alexandri IV. vulgatum cit. P.2. ſect.5. §. 3. & mox afferenda verba Urbani III.

XV. De illius authoritate.

Quid agere deberent, ſeu qua pollerent authoritate, *Rectores Fraternitatis*, demonſtrant plura, præſertim, quæ narrat de geſtis occaſione electionis Alexandri III., & intruſionis Octaviani de Monticello nomen uſurpantis Victoris III. Radevicus lib.3. hiſtor. capp.65. 66. 77. Scitur aliunde, ad eorum pertinuiſſe officium, indicere Cardinalibus Epiſcopis, Presbyteris, ac Archipresbyteris, alicubi convenirent, miſſas, ceteraque pro defunctis Clericis præſtanda obſequia celebraturi. Legatur Rituale *ſepeliendi Clericos Romanæ Fraternitatis* Ordini x., e ſcriptionibus liturgicis *bonam* ſpirantibus antiquitatem contexto, inſertum a Mabillonio cit. to. 2. muſei &c. A ſummis Pontificibus committi conſueverat *Rectoribus Fraternitatis* exequutio decretorum circa Clericos, quod produnt mox enunciatæ literæ Alexandri IV. præter literas Adriani ſimiliter IV. (apud Baronium ad an. 1141.) *Rectoribus Romanæ Fraternitatis* datas, quibus moneri mandatur populum *S. Mariæ in Candiatore* de obedientia reverentiaque ſervanda *Clericis* Tituli S. Petri ad vincula: necnon a S. R. E. Cardinali Camerario diſtributio *presbyterii* eccleſiarum ſpeciatim diſpenſandi poſt litanias majores, circa quas etiam *Rectorum* exercebatur cura, ut apparet ex notatis P.1. Lucubrat. ſect. 10. §. 10. & 12. Sed omnium graviſſimum *Rectorum* munus,

nus, ſtatuere potuiſſe, quæ congruis munita approbationibus obſervarentur a Clero, quod pandent dicenda num. ſeq. ac inſuper definire, atque componere lites, & controverſias inter aliquos de eodem Clero ſubortas, cujus prærogativæ monumentum extat par. 2. cit. Lucubrat. ſect. 5. §. 9. Luculentius tamen offerunt literæ Urbani III. ſub *datum Veronæ nonis Decembris* directæ *Clericis S. Celſi*, dum iis obedientiam mandantes præſtandam Cardinali Titulari, & Capitulo S. Laurentii in Damaſo, *niſi ſpeciali privilegio*, *vel alia ſufficienti ratione tueri* ſe poſſent, adjiciunt: *Porrò, ſi de jure ad præſens duxeritis reclamandum, ſub examine dilectorum Rectorum, ac Priorum Fraternitatis veſtram proſequimini rationem*. V. literas in parergo, ſive enarratione Joh. Ciampini de Juriſdictione Vice-Cancellarii ſuper S. Laurentii in Damaſi, ac ſubjectis eccleſiis addita tractatui de Dignitate Vicecancellarii &c. pag. 153.

XVI. Cur *Fraternitatis* appellatum.

Ampliſſimam hæc authoritatem demonſtrant, quæ intra Cleri confinia retinerentur. Ex quo aperitur, notam *fraternitatis* collegio adjunctam non (4) plebem (pauperiorem præcipuè) non ipſam univerſim Chriſtianorum (5) turbam; ſed (quod manifeſtius fiet, inſpecta acceptione promiſcua vocabulorum occurrente apud memoranda ſequ. numero monumenta) *Clerum* intelligi, *Fraternitatem* Romæ dictum, ubi paſſim *fratres* (a quibus *fraternitas*) Clerici cujuſvis Ordinis, ſublimioris quoque, nuncupabantur. Profectò Epiſcopos a Romanis Pontificibus vocatos *fratres*, omnium temporum ſcriptiones tradunt, præſertim eorumdem Apoſtolicorum literæ. Cardinales collectim ſumpti etiamnum *Fratrum* denominatione ſignantur. Neque ab iis diverſos ſignant verba capitis 114. Ordinis Petri Amelii xv. tom. 2. muſei Mabillon. pag. 518. *Octava die Julii debet fieri officium defunctorum pro Fratribus, & Romanis Pontificibus*. Collegium Vaticanum appellatur cap. 67. cit. lib. 2. Radevici *Canonicorum, & Fratrum*

(4) Sola laicorum multitudo per *fraternitatem* exprimi videtur in 8. inſcriptione notata ad pag. 1050. collectionis Gruterianæ: pauperum verò in vita Anaſtaſiana Adriani I. num. 613. &c.

(5) Verè *fraternitas*, & *fratres*, apud veteres ſonabant univerſitatem fidelium. Excurre epiſtolam 1. S. Petri II. 17. apologiam Athenagoræ, acta SS. Fructuoſi, Augurii &c. num. 1. & 2. SS. Jacobi, Mariani &c. num. 5. & 10. SS. Montani, Lucii &c. num. 11. & 33., parænecticum Paciani ad pœnitentes, opuſculum S. Hieronymi contra Helvidium cap. 8. liturgiam Mozarabicam &c.

Digitized by Google

trum Capitulum S. Petri. Epiſtola Innocentii IV. allegata par. 1. Lucubrat. ſect. 3. §. 8., & ſect. 8. §. 2. *Archipresbytero* S. M. majoris, *ejuſque fratribus* præſcribitur. In pervetuſta charta *fratres* abſolutè, & in ms. hiſtoria tamquam *fratres* Cardinalis Titularis, ſeu Commendatarii feruntur Canonici S. Mariæ trans Tyberim. Utrumque documentum vulgabitur ad calcem Operis num. xx. & xxi. (6).

XVII. Quæ, & qualia ejus membra.

De numero componentium Collegium *Fraternitatis* altum ſilentium, quod ſciam, in ſcriptis Antiquorum. De nominibus, gradu, & conditione non ita. Omnium princeps vocabatur *Cleri Camerarius*, forſan, quia ille erat ex *Rectoribus*, cui Cardinalis Camerarius (ut rememoratum eſt n. 15.) in diſpenſatione *presbyterii* vices ſuas permittebat. Alii plures principi aſſiſtebant, quos nuncupabant *Conſiliarios*. Nec deerant *Syndici*, & *Procuratores Cleri* appellati. Ex his collegium noſtrum componebatur officialibus, aut miniſtris, quos inter pulchrum, & decorum erat intueri inſigniorum eccleſiarum Canonicos. Talia comprobantur per monumenta in ms. authentico volumine titulum præferente: *Memorie dello ſtatuto del Clero*: aſſervata apud tabularium tribunalis Emi Urbis Vicarii. Sanè legitur in eo volumine inſtrumentum per Blaſium Gregorii confectum, quo varia memorantur die 22. Julii anni 1383. (curante Stephano Card. S. Marci Urbani VI. Vicario) apud ſacram ædem *Donnæ* (7) *Roſæ* conſtituta pro bono regimine Cleri ab ejuſdem *Camerario*, aliiſque, præcipuè *Conſiliariis*, quos inter offendi Petrum Sanctum B. M. trans Tyberim, & Jubilæum Andream de Boccamatiis S. Laurentii in Damaſo Canonicos. Legitur (pag. 19.) charta Franciſci de Bonis Notarii, qua per R. D. Johannem, Abbatem S. Paulli, Papæ Vicarium, approbantur an. 1392. in eccleſia S. Laurentii tit. Damaſi ſancita occaſione Rogationum a Romanis Clericis, quorum unus *Conſiliarius* Camerarii dicitur Antonius de Baractis Canonicus S. Mariæ trans Tyberim. Demum legitur (pag. 21. & 22.) inſtrumentum a Leonardo Papaciurri exaratum in baſilica XII. Apoſtolorum anno 1403. die 27. Februarii. In illo *Camerarius Cleri*, ceterique ad nonnulla ſtatuenda congregati, vocantur explicitè, ac vetuſtiorum

 char-

(6) V. & ibidem n. 2., quo *Archipresbyteri confratres* dicuntur iidem Canonici.
(7) Al. *Dominæ Roſæ*, quam retur Martinellus cap. 9. Romæ ex ethnica ſacræ pag. 87. eſſe nunc ædem *S. Catharinæ ad funarios*.

chartarum ſtylo *Rectores Romanæ Fraternitatis*, quorum aliqui dicuntur *Conſiliarii*, aliqui *Syndici*, aliqui *Procuratores* Cleri; omnes aut Presbyteri, ideſt, ſimplicium eccleſiarum Parochi, aut Archipresbyteri, aut Canonici: veluti *Romanæ Fraternitatis Camerarius* notatur *Dñusdet Canonicus SS. Quirici & Julittæ*: fit expreſſa mentio de *Domino Angelo de Tineoſis Canonico eccleſiæ Lateranenſis*, *Domino Petro de Guallagiis Canonico baſilicæ Principis Apoſtolorum*, *Domino Petro Presbytero*, *Jacobo de Carapello* (al. *de Carapellis*) *Canonico B. Mariæ majoris, Romani Cleri Conſiliariis*. Nec ſilebo, quod ſub ipſo inſtrumenti exordio inter congregatos hoſce Rectores nominentur *Dominus Alexander Canonicus baſilicæ Principis Apoſtolorum*, *Magiſter Angelus Canonicus eccleſiæ S. Laurentii in Damaſo*.

XVIII. Quo loco congregari ſoleret.

Tam illuſtre ſynedrion, prout opportunitas, aut neceſſitas agendorum, aut fortaſſe commodum poſtulabat pontificii Vicarii, cujus imperio ſubdebatur, quemadmodum innuunt mox data monumenta, congregari ſolebat incertis locis. Quod ex iiſdem monumentis colligitur. At ſuam habuiſſe videtur ſedem pro digerendis, expediendiſque ordinariis & quotidianis Cleri negociis apud eccleſiam *S. Thomæ* appellatam in catalogis eccleſiarum Urbis Cencii prolatis par. 1. Lucubrat. ſect. 10. *ſ. 5.*, & par. 3. ſect. 5. *ſ. 9. de Fraternitate*, & *Fraternitatis*. Nomen autem, adjectumve hocce conjecturam ſuggerit, quam robuſtiorem efficit diploma Urbani III., confirmantis anno 1186. juriſdictionem baſilicæ Damaſianæ ſuper ſubjectas eccleſias, editum pag. 143. cit. tractatus Ciampini de Dignitate Vicecancellarii &c. ubi cappella (8) *S. Thomæ* non ſimpliciter *Fraternitatis*, ſed *caput Romanæ Fraternitatis* vocatur. *Confirmamus* (inquit Urbanus) *eccleſiam S. Thomæ in capite molarum*, *quæ eſt caput Romanæ Fraternitatis*.

XIX. An penitus evanuerit?

Per hæc jam conjici ſatis poſſunt veteris Collegii, de quo ſermo eſt, ſplendor, œconomia, fortuna. An ullum nunc horumce veſtigium? Fermè cuncta evanuere circa ætatem noſtræ proximiorem, quando Dignitas pontificii Vicarii cœpit unicè continenterque exerceri per S. R. E. Cardinales. Scilicet, tanto ea ornata decore, privilegiis aucta, necnon

(8) Si Martinellum, & Ciampinum attendimus, non diverſa hæc eſt a parochiali eccleſia *S. Thomæ ad Cincios* nunc dicta. Verùm de hoc in opere de Hierarchia &c.

Digitized by Google

necnon prænobili Officialium ſatellitio ſtipata, neceſſariò ad ſe trahere debuit pedetentim graviora *Rectorum* jura. Propterea non auditur a ſeculis *Collegii Fraternitatis*, ſeu *Cleri* nomen. Extat equidem, quod vocatur *Præfectorum Urbis*, conſtatque ex Eminentiſſimo Vicario, tamquam Præſide ſupremo: ejus Vices gerente, & Suffraganeo, ac Locumtenente cauſſarum civilium Præſulibus: atque inſuper (ut taceam alios, quos vulgati Congregationum Urbis elenchi pandunt) *Cleri Camerario*, & a ſecretis tribunalis Curiæ eccleſiaſticæ, qui ad libitum Præſidis in ejus ædibus quandoque conveniunt pro nonnullis pertractandis Cleri rebus; verùm in illo *Conſiliarii* nulli ſunt: nulli *Syndici*, & *Procuratores*: ex inſignioribus Urbis Clericis alii nulli ſunt: &, qui interſunt *Rectores*, ſelecti juxta placitum laudati Cardinalis, tantùm ut ſuggerant, interſunt, ſitne quidquam in Romanis moribus medica indigens ſupremæ authoritatis manu. Ex quibus conjicitur, novum illud genus eſſe Collegii veteri *Rectorum Fraternitatis* ſubrogati, & vix noſtris temporibus illius ſupereſſe veſtigium.

XX. **Ejuſdem conſpicuum ſupereſſe veſtigiū in *Camerario Cleri*.**

Eſt autem aliquod, admittere Cleri Camerarium ad quaſdam res Cleri pertractandas. Ipſa ceterò perſeverans adhuc Dignitas, ipſum perſeverans nomen *Camerarii*, conſpicuæ ſunt veteris collegii reliquiæ. Quinimò, ſi vel paucula, quæ de antiquis muniis, aliiſque indicavi num. 15. & 17. cum recentioribus *Camerarii* miniſteriis, & conditione, aut notiſſimis, aut deſcriptis cap. 1. & 2. ſtatutorum Cleri Urbis, conferantur, vetus ſupereſſe collegium *Rectorum* quaſi quodam compendio in dignitate, officioque *Camerarii*, nec impertiti diffitebuntur. Antiquitus collegium conflabant *Rectores* Canonici, & ſimpliciter Parochi: modò *Camerarius* (antiqua ejuſdem illuſtrior portio) aut Canonicus eſt, aut Parochus, eligiturque ſolùm ab omnibus Canonicis, & Parochis. Antiquitus collegio *Rectorum* nonnihil curæ inerat circa defunctorum obſequia, maximè Clericorum: cura eſt modò *Camerarii*, taxare funebrium officiorum expenſas, præſtantium dignitate, nobilitate, vel, ſi placet, opulentia mortuorum cadavera aſſociari ad tumulum, quoties deferantur pompa magna; indicta hora, cum Parochorum turma convenire, quo cadaver defuncti Parochi ſit expoſitum, ad abſolutionem, aliaque eidem præſtanda poſtrema Religionis ſervicia. Antiquitus & circa proceſſiones Cleri adlaborabant *Rectores Fraternitatis*:

 mo-

modò, præterquamquod intereſt proceſſionibus ſtola ornatus, incedenſque loco (nimirum poſt Clericos omnes, exceptis Patriarchalium, & Inſignium eccleſiarum) non parum honorifico, eas aliquomodo ordinat *Camerarius*. Antiquitus jurgia, liteſque Clericorum componebat, definiebatque *Rectorum* ſynedrion: modò *Camerarii* jus eſt, oborientes inter Clericos controverſias (leves tamen, & quas *prebeminentiales*, ſeu *præcedentiæ* vocitant Icti) abſque ſtrepitu, formave judicii compeſcere. Antiquitus tandem ad officia Collegii *Rectorum* Canonici eccleſiarum etiam nobiliorum aſſumebantur: modò non diſſimilis praxis viget in dignitate *Camerarii*, ad quam vel Patriarchalium baſilicarum Canonicos aſſumptos noſtra ætate nemo neſcit, qui meminerit anno *1697*. *Camerarium* fuiſſe electum Abbatem Hieronymum Petronium (9) Canonicum Vaticanæ eccleſiæ, nominatum pridem cum Canonicis Antonio Cappellino S. M. majoris, & Guidone Mucciolo S. M. trans Tyberim. Alia exempla prætermitto, quum in opere de Hierarchia &c. proferenda ſint, quo de *Camerario* diſſerendi occaſio ſe offeret opportunior.

(9) Nuncium hic remiſit officio, proximiore electioni ſuperveniente ſupplicatione Cleri generali, quòd aſſignato *Camerariis* loco (ut mihi narratum eſt ab oculatis rei teſtibus) incedere nollet; illudque juſſu Emi Cardinalis G. de Carpineo Vicarii, urbanarum conſuetudinum callentiſſimi, & ſummè ab omnibus novitatibus, priſco Romano more, abhorrentis, ſuſcepit Mucciolus Canonicus S. Mariæ trans Tyberim, quem numerus ſuffragiorum potiorem (poſt Vaticanum) effecerat Canonico Liberiano.

AD

AD
LUCUBRATIONEM DE PRESBYTERIO
APPENDIX II.

EXCURSUS HISTORICUS

De publicis priſcorum Principum Romanorum largitionibus.

POLITIORIS cujuſque nationis fuit, eritque ſemper conſuetudo laudabilis, ut, qui Reipublicæ præſint, ſe largos quandoque oſtentent hominibus, ſubditis potiſſimùm. Sacræ literæ, non recentis ætatis hiſtoriæ, quotidiani eventus abundant * exemplis, quæ colligant alii. Nobis hìc de Romanorum veterum Principum largitionibus tantùm, atque iis (1) publicis, diſſertandum, ſeu potiùs ex authenticis monumentis raptim, vellicatimque colligenda pauca, per quæ comprobari poſſit, quod affirmatum eſt par. 3. Lucubrationis ſect. 9. §. 2. Illud I. Quid hic tractandum.

* Atteſtatur liberalitatem Davidis, Adoniæ, Salomonis liber II. Regum VI. 18. 19. III. Reg. I. & II. Aſſueri Perſarum Monarchæ liber Eſther II. 17. 18. Demetrii Græci Principis liber Machab. X. 18. De liberalitate veterum Regum Francorum, Anglorumque vide, quæ produxi teſtimonia P. 3. Lucubrat. ſect. 9. §. 19. Convivia liberaliter data a pleriſque Ducibus, docebunt ritualia, ſeu ordines aliquot benedictionum evulgati a Martenio tom. 3. de ritib. Eccleſ. lib. 2. cap. II. &c. Anno 1713. quum regni Germanici ſuſciperet inſignia Carolus VI. in Imperatorem electus Francofordiæ, more majorum, munificus videri voluit, traditis præſertim cuique Magnatum aureis, argenteiſque numiſmatis, quod nullus non diſcet, lectis, quæ narrat Heiſſius pag. 36. to. 3. par. 2. hiſtoriæ *de l'Empire* auctæ per V. G. V. D. G. & Pariſienſibus typis commiſſæ anno 1731. Par munus elargitum fuiſſe die, qua Rhemis ſacro inunctus eſt oleo, Ludovicum XV. Regem Chriſtianiſſimum, certum fit per lectionem to. 9. lib. 15. cap. 16. pag. 477. Hiſpanicæ hiſtoriæ Abbatis de Bellegarde. Eamdem conſuetudinem ad praxin redactam vidit nuperrimè Sicilia, nimirum, quum regia corona redimitus eſt Panormi (quod accidit d. 13. Junii 1735.) Carolus Borbonius Philippi V. Regis Catholici filius. Legatur pompæ deſcriptio Panormi impreſſa, & P. Maſſueti hiſtoria poſtremi belli &c.

(1) De privatis Quiritum largitionibus, ſeu privata liberalitate Romana, ejuſque ratione, ac laudibus Eruditi loquuntur, præſertim Hieronymus Boſſius in præfatione ad opuſculum de ſtrena.

Digitized by Google

II.
Indicia quædam authentica liberalitatis veterum Romanorũ Principum,

Illud autem obſervandum occurrit illico, reperiri adhuc monumenta ad ultimam uſque ætatem documento futura priſcæ Romanæ liberalitatis. Effodiuntur quotidie Auguſtorum numiſmata cum epigraphe, *largitio*, aut *liberalitas*, quam oggerunt paſſim collectiones antiquorum numiſmaton, & antiquæ rei nummariæ illuſtratores. Lemma, *largitas*, aliquoties pariter inventum. Quorum ſi vis aliquod ſpecimen, tabulam inſpice poſitam e regione hujus paginæ. Nummus ſignatus n. I. Valeriani, & Gallieni AA. eſt, ſculptuſque hic juxta exemplar propoſitum a Carolo Patino pag. 410. operis de numiſmatis Impp. Liberalitatem Conſtantii filii Conſtantini Magni repræſentat numiſma numero II. diſtinctum, quod recuſum ad formam editi per Ezechielem Spanhemium volum. 2. operis de præſtantia & uſu numiſmatum diſſert. 13. tit. 1. num. 3. &c. pag. 534. Cælatura notata num. III. refert exprimentem Valentiniani Imp. munificentiam diſcum argenteum, inter Genevenſia rudera repertum, ac ſingulari diſſertatione illuſtratum vulgatumque a clariſſimo Patre Bernardo de Montfaucon to. 4. cit. alibi ſupplementi ad volumina antiquitatum Romanarum lib. 3. cap. 6. juxta modulum ſuum per nos hoc loco in contractiorem orbem redactum.


III.
Eorum munificentia in populum. De *miſſilibus*.

Hæc certè monumenta occaſione publicarum largitionum prodiere, imò illarum ſaltem pars erant. Sed largitionum hujuſmodi non una ſpecies, ſive ratio. Populus a Principe donabatur aliquando, & quidem multimodè. *Miſſilia* quis ignorat, a *mittendo* dicta juxta Calvini in lexico juridico, aliorumque aliis operibus datum interpretamentum? Jaciebant ſuprema Capita in confertiſſimam plebeculæ multitudinem, quod elargiri volebant, rapina inſequente, cujus ſic meminit Martialis lib. 8. epigrammaton:

Omnis habet ſua dona dies, nec linea dives
Ceſſat, & in populum multa rapina cadit.

Res equidem Principe digna; ſed genitrix fœcunda vulnerum, & inſanarum commeſſationum. Factum hinc aliquando, ut abrogaretur miſſilium uſus per Valentem, & Marcianum Impp. ac poſtea per Leonem, quemadmodum docent lex 2. C. de *Coſſ. & non ſparg. pecun.* novellaque Leonis Aug. 94. ad Stylianum. Quæ miſſilium abrogatio de frequentiori eorumdem jactu intelligenda eſt. Aliàs etiam in hiſtoria extremæ ætatis Græco-Romani Imperii miſſilia jactata memoran-

I.



II.



III.



Digitized by Google

rantur, quæ ἐπικομβιὰ dicerentur. *Aſcendit Imperator ad Triclinium* (ita Codinus Curopalates de offic. & officialib. eccleſ. & aulæ CPolit. cap. 17.) *quod vocatur Thomaites, ad auguſteonem reſpiciens, ubi univerſa multitudo plebis cum* (2) *foſſato ſtat. Antequam ergo Imperator ſe conſpiciendum* (die benedictionis, & coronationis ſuæ) *præbeat, per aliquem de Senatu, cui id Imperator præceperit, jaciuntur in populum ea, quæ nominantur epicombia ..... Conſuetudine autem receptum eſt, ut ejuſmodi epicombia jaciantur in veſtibulis magnæ eccleſiæ* (nempe in prædicto *auguſteone*), *ſtante eo, qui projicit, in auguſteonis gradibus*. Poſt multa addit Codinus, quæ poſtridie diei coronationum agerentur, & præcipuè Imperatorum progreſſum ad palatia, *ubi* (pergit) *rurſum in populum ab aliquo Senatorii ordinis epicombia ſparguntur*.

Plebs itidem munificentiam Principis experiebatur, quum, eo jubente, accipiebat donum, *congiarium* propriè appellatum. Profuſum a Trajano *congiarium* multis exaggerat Plinius in panegyri. Frequentiſſima fuiſſe *congiaria* Commodi notat hiſtoria Xiphilini. Herodianus de Heliogabalo: *Diviſo congiario in populum, ut mos eſt imperium ſuſcipientibus, ſpectacula omnifariam edebat magnificentiſſima*. Lampridius Alexandri Severi liberalitatem enarraturus: *Congiaria populo ter dedit, donativum militibus ter*. De Gallieno Trebellius Pollio: *Congiariis populum mollivit*. Circa *miſſilia, congiaria*, aliaque dona varia habent Lipenius in hiſtoria ſtrenarum &c. Urſatus de notis Romanor. Robortellus de commod. milit. Stukius de antiqu. conviv. cap. 2. Blondus pag. 113. Romæ inſtaur. laudati Spanhemius, & Montfauconius in cit. operibus, aliique, quorum etiam opera, aut excerpta repetuntur in collectionibus antiquit. Romanar. Grævii, Sallengrii, Pitiſci &c.

IV. Et congiaria.

Lampridius mox cit. loco diſertè genus aliquod liberalitatis, a populari diverſum, exercitum fuiſſe ſignificat erga milites. Hi nempe *donativis* honorabantur a Principibus. Sed eorum duplex erat ſpecies. Aliud propriè dicebatur *donativum*, *præmium* aliud. Emeriti milites hoc poſtremum accipiebant, ut haberent, unde viverent. Conſtabat autem vel ex pecunia, vel ex agris cuique militum aſſignatis. De *præmiis*

V. Principum Romanorum liberalitas in milites. De præmiis.

nos

(2) Græcis φοσσάτον idem interdum, ac *exercitus*. V. utrumque gloſſarium Ducangii.

nos opportuniùs, & ampliſſimè in hiſtoria baſilicæ S. Mariæ trans Tyberim diſquiſit. 1. &c. Afferendus nunc locus Svetonii, quo dignoſcatur, verè *donativa* quædam a *præmiis* fuiſſe diſtincta. *Quidquid ubique militum eſſet* (ſic hiſtoricus in *Octavio* cap. 49.) *ad certam ſtipendiorum, præmiorumque formulam adſtrinxit pro gradibus cujuſque, & temporibus militiæ, & commodis miſſionum, ne aut ætate, aut inopia ſollicitari ad res novas poſſent*. Neque hic negligendum, quod ſcribit Dio Caſſius lib. 44. hiſtor. ad annum V.C. 741., ideſt, determinatum per Auguſtum, *quantum milites pecuniæ pro emeritis ſtipendiis, & pro agro, quod nunquam non petebant, accipere deberent, ut, conſtituto certo militiæ præmio, nullam tumultuandi cauſſam haberent*.

VI. De *donativis*, potiſſimè gravioribus.

Quamquam, ne tumultuare, aut mendicare cogerentur milites, per ipſa *donativa* proviſum erat apud Romanos. Per ea ſcilicet, quæ majora non inſcitè nuncupare poſſis. Neque enim una fuit etiam veterum donativorum ſpecies. De gravioribus eximiè Vegetius lib. 2. de milit. Romanor. cap. 20. *Illud divinitus ab antiquis eſt inſtitutum, ut ex donativo, quod milites conſequuntur* (dum actu militarent) *dimidia pars ſequeſtraretur apud ſigna, & ibidem ipſis militibus ſervaretur, ne per luxum, aut inanem rerum comparationem a contubernalibus poſſet abſumi*. Ad hanc donativi ſpeciem reduc plura, quæ diviſa leguntur in hiſtoria Romana juſſu Conſulum, & Imperatorum, veluti (ut omittam alia) quod meminit Livius libro 35. *Quinctius* (Flamininus) *in Urbem eſt ingreſſus. Milites ſecuti currum frequentes. Duceni quinquaginta æris in pedites diviſi. Duplex Centurioni, triplex equiti*. Inter graviora donativa collocandæ profuſiones auri, argentive publici a Julio Cæſare in milites actæ, quas meminere Plutarchus, Appianus Alexandrinus, ceterique de civilibus Romanorum turbis ſcribentes. Neque ab ea ſpecie ſegregandum videtur, quod traditum memorat Spartianus a Severo, dum dediſſe ait militibus *quinquaginta ſeſtertia, quod nemo unquam Principum*. Ejuſdem etiam ſpeciei fuiſſe crediderim Alexandri donativa, de quibus Lampridius loco ſuperiùs citato.

VII. De aliis *donativis*.

Ceterùm donabantur milites, quum reliqui homines ſentiebant Principis largitatem. Innuunt hoc militum *donativa*, de quibus cit. Spartianus in Hadriano: *Militibus ob auſpicia Imperii, duplicem largitionem dedit*. Ejuſmodi fuiſſe reor effu-

Digitized by Google

effuſum a Juliano apoſtata ex teſtimonio Ammiani lib. 20. &c. Nec certè diverſum fuit, quod deſcriptum invenies infra per S. Gregorium Nazianzenum. Et huic ſpeciei militaris donativi alluſit S. Baſilius Magnus enarrans celebre ſpectaculum cuſtodienti XL. milites in ſtagno Sebaſteno cœlitus datum. *Quum ibi* (inquit homil. 20. to. 1. oper. ex recenſ. Combefiſii) *decertarent, hic verò eventum obſervaret: ſpectaculum vidit inuſitatum, virtutes quaſdam e cœlis deſcendentes, & tamquam a Rege magna dona militibus dividentes, quæ aliis quidem omnibus, uno exempto, dona diſtribuebant.* De militaribus donativis ſermo eſt apud Turnebum adverſarior. num. 19. tit. 25. 18. Alexandrum lib. dier. genial. cap. 5. 24. Cœlium Rhodiginum cap. XXVII. 27. antiquar. lectionum, Ludovicum de la Cerda in opus Tertulliani de corona militis occaſione auguſtæi cujuſdam donativi conſcriptum, nota 1. & 24. ad caput 1. & nota 2. ad 12. &c.

VIII. Primores reip. donabantur a Principibus Romanis.

Reliquos hominum, quos aliquando liberalitatem Principis participaſſe ſubindicavi ſupra, nedum plebem, de qua jam abunde prioribus numeris, explico præcipuè reip. Proceres. In kalendis Januarii ſupremus idem Princeps, qui ſtrenas (ſuper quibus multa Lipenius in cit. hiſtor. & Hieronymus Boſſius in ſuo Janotatio, ſive opuſculo de ſtrenis) ab univerſis ordinibus accipiebat, varia quoque munera diſpenſabat donantibus, viris præſertim primi ſubſellii. Hinc facilè deprehenditur, quid ſibi velit Metellus in Quirinalibus, dum canit de ſtrenis:

Illas Nobilitas Cæſaribus piis,
Rex dignis Procerum dabat.

Publica Imperatorum munera ſpectabat Symmachus Romanorum nobiliſſimus, quum per hæc verba Arcadio, & Theodoſio Augg. gratias ageret: *Quid potiſſimùm prædicem? promptamne Numinis veſtri & celerem largitatem? an circa abſentem memorem diligentiam? an, quod ſacrum munus auxiſtis honore verborum? Dicam, ut res eſt, curaſſe clementiam veſtram, ut alloquiis Principum fruerer, & auguſta in ipſis donis ora venerarer. Quando mihi continget expreſſa potiùs, & viva gaudia capere de vobis? Quantum veritatis eſt bonum, cujus ſpecies, & imago mirabilis eſt!* V. epiſt. 27. lib. 10. *Senatorum dona*, quæ diſtribuebat Leo Argyropulus, notat pag. 603. ſuæ hiſtoriæ Cedrenus, ut refert Altaſerra lib. 3. de Comitib. & Ducib.

Ss Gal-

Digitized by Google

Galliæ cap. 11. pag. 242. qua ſimul annua ſollemnia munera Proceribus conceſſa per Leonem Philoſophum memorantur ex eodem Cedreno ad pag. 506. Sed, quæ fuit liberalitas Romano-græcorum Cæſarum ſequioribus Imperii temporibus in Proceres, affatim referat locus Codini dandus num. 18. Quamquam & illo explicatiùs loquitur Luitprandus Ticinenſis, erogationem Nicephori Phocæ commemoratam a me par. 3. Lucubrat. ſect. 3. §. 4. in nota *d.* ſic deſcribens lib. 3. hiſtor. cap. 5. *Erat appoſita decem cubitorum altitudinis, ac quatuor latitudinis menſa, quæ numiſmata loculis congregata, prout cuique dabatur, numerus extrinſecus in loculis ſcriptus retinebat. Quorum primus vocatus eſt Rector domus, cui non in manibus, ſed in humeris cum ſcaramangis* (3) *quatuor .... Poſt quæ à domeſticos Aſcalonas, à Delongariſtis ploas ſunt vocati, quorum alter militibus, navigantibus præerat alter. Hi itaque paris numeri, quia dignitas par erat, numiſmata, & ſcaramangas ſuſcipientes, præ multitudine non jam in humeris portaverunt, ſed adjuvantibus aliis, poſt ſe cum labore traxerunt. Poſt hos admiſſi ſunt Magiſtri numero viginti quatuor, quibus erogatæ ſunt numiſmatum aureorum libræ unicuique ſecundùm eorum numerum viginti quatuor cum ſcaramangis duabus. Patriciorum deinde ordo hos ponè eſt ſecutus, & duodecim numiſmatum libris cum ſcaramanga una donatus. Turba poſt hos immenſa vocatur Protoſpatbariorum, Spatbariorum, Candidatorum, & id genus clientum.* Munera in *Senatores*, militareſque ordines poſt coronationem ſuam effuſa a Michaele Curopalate meminimus cit. par. 3. ſect. 9. §. 18.

IX. Ut etiam ſacris Præfecti.

Nec indonati relinquebantur aliquibus occaſionibus Sacrorum Antiſtites. Julianus Imperator die, quæ præceſſit ſpectacula data apud Ancyram, dona diſtribuit Sacrificulis ſuis. *Quum* (Julianus) *veniſſet Ancyram, occurrerunt ei miniſtri diaboli habentes ſecum Idolum Hecates, & ingreſſus in palatium convocavit Deorum Sacerdotes, largituſque pecunias iis eſt*, inquit (4) ſcriptor actorum S. Baſilii celeberrimi Martyris Ancyrani apud Martium Bollandianum, & collectionem Ruinarti num. 5. Chriſtianos Romano-græcos Auguſtos in generalibus largitionibus ſuis honoraſſe muneribus Clericos, ſive eccleſias, narratum eſt cit. par. 3. Lucubrat. ſect. 9. §. 18.

Ma-

(3) Veſtium ſpecies *ſcaramangæ*. V. jerolexicon Macri, Gloſſar. Du-cangii &c.
(4) V. etiam Theodoretum lib. 3. hiſtor. cap. 11.

Digitized by Google

Magnos quoque Principes hoſpitio exceptos muneribus cumulari conſuetum a Romanis Præſidibus , non dubitabit , qui legerit Ammiani librum 20. Ibi enim narratur , Arſacem Armenorum Regem ad Conſtantium Auguſtum acceſſiſſe , *ac muneratum cum Comitibus , quos duxerat , rediiſſe ad Regnum* . Mitto alia exempla , præſertim quod Juſtiniani Aug. liberalitatem prodit in Gordam Hunnorum Regem , de quo chronographia Theophanis ad annum 1. ejuſdem Imperatoris pag. 149. &c.

X. Ac Principes hoſpites .

Qualia fuerint tradita Arſaci munera (quæ publica *xenia* non ineptè appellaveris) quis vel divinando percipiet ? Fuiſſe credendum paria Romanæ magnificentiæ , & hoſpitis dignitati . Ceterarum ſupra indicatarum largitionum conditionem facilè aſſequi licet . Miſſilia plebis dona res variæ conflabant; puta, odores, unguenta, lintea, bellaria, aliaque vitæ commoda , voluptatiſque excitamenta . Generatim hæc innuit Svetonius in *Caligula* cap. 18. inquiens : *Sparſit & miſſilia variarum rerum* . Idem de *Nerone* cap. 11. *Sparſa & populo miſſilia omnium rerum per omnes dies : ſingula quotidie millia avium : cujuſque generis multiplex penu , teſſeræ frumentariæ , veſtes , aurum , argentum , gemmæ , margaritæ* &c. Sed pecunia potiſſimùm ſpargebatur , ærea pridem ; videlicet , antequam devicti Orbis divitiæ Romanæ reipub. mores corrupiſſent . De uſu antiquiore Ovidius faſtor. lib. 1. verſic. 221.

XI. Ex quibus conſtarent largitiones præmemoratæ .

Æra dabant olim : melius nunc omen in auro eſt ,
Victaque conceſſit priſca moneta novæ .

Miſſilia, ab Auguſtis Græco-romani Imperii projici juſſa , qualia fuerint , exprimit ita Codinus loco jam cit. ad num. 3. *Epicombia talia ſunt : Fruſtilla ex pannis reſecant , ut in quolibet ſegmento tria aurea , argentea totidem numiſmata , & tria ex obulis alligantes projiciant in multitudinem : projiciunt autem talium faſciculorum tot millia , quot Imperator præceperit* . Conſulibus tamen aliquando non fuit liberum ex quocumque metallo conflatam jactare pecuniam , ut clareſcet ex verbis Novellæ Juſtinianææ mox proferendis . Quicquid utique placeret Auguſtis , in congiaria referebatur ; tria maximè , ſi vera colligit Carolus Patinus , dum ait p.217. cit. operis de numiſmatis Impp. edit. an.1670. *Congiarium commune nomen liberalitatis , atque menſuræ ; ſed ſemper aut oleum , aut pecunia , aut granum in eo diſtribuebatur , & hoc frequentiſſimè* . Largi-

tiones, quas univerſi participarent Ordines, ſeu auguſtioris apparatus, aut communiora celebrioraque donativa, argenti, aurique profuſio commendabat. Acervos utriuſque metalli ad hæc deputatos ita exaggerat Corippus Africanus in panegyri Juſtini minoris, qua (libro 2. & 4.) liberalitatem ejuſdem & coronam recipientis cum uxore, & Conſulatum exercentis meminit, celebratque:

Dona kalendarum, quorum eſt ea cura, parabant
Officia, & turmis implent fidelibus aulam.
Convectant rutilum, ſportiſque capacibus aurum
Adcumulant, onerantque locos, quibus altior ipſa
Sella triumphalis firma ratione locata
Jam fuerat, nondum claro tunc Conſule plena.
Hinc vetus argentum formas, ſpecieſque novatum
In varias, preſſum titulis, ſculptumque figuris
Excelſi portant humeris, magniſque laborant
Ponderibus, ciſtæque graves funduntur in unum:
Utraque materies in magnos ſurgit acervos.

Vide librum quartum. Aurum potiſſimè ab Auguſto diſpenſandum aſſeruit Juſtinianus novella 105. tit. 6. c. 2. inquiens: *Soli aurum ſpargere damus imperio, cui ſoli etiam contemnere præſtat fortunæ faſtigium: argentum verò, quod mox poſt aurum pretioſiſſimum fiat, aliis Coſſ. largiri decens.* De aureis numiſmatis κεχυμένοις (fuſilibus) per Impp. Romano-græcos extremæ ætatis diſperſis, quære infra teſtimonium Curopalatis. Aureorum multitudine immenſa donatos Proceres, ſe ſpectánte, prodidit jam dato loco Luitprandus Ticinenſis. S.Gregorius Nazianzenus (ut videbimus in ejus textu) aureum commemorat donativum a Juliano Auguſto in milites diviſum. Fuere etiam Imperatores, quibus placuit, pro donativo aureos, argenteoſque diſcos concedere; cujuſmodi videtur Valentinianæus, de quo num. 2. Liquet aliàs ex hiſtoricis regnorum Heliogabali, & Alexandri Severi, mandaſſe hunc, ut recuderentur aurei diſci immanis ponderis, quos inſanus prodiguſque deceſſor ad agendas largitiones procudi juſſerat.

XII.
Earum uſus cum diſcrimine ordinum, ac perſonarum.

Tot verò largitatum ſpecies (pleræque ſaltem) non indiſcretè, ſeu abſque diſcrimine ordinum, & perſonarum, agebantur. Pro *gradibus cujuſque* ſtabilita militibus præmia ab Octavio Auguſto ediximus n. 5. a Tranquillo inſtructi. Quod etiam oſtendit numero ſequ. memorata Quinctii Flaminini diſtributio.

Digitized by Google

tio. Verùm apertè (ut non repetam, quæ ex Luitprando adduxi n. 8.) declaratur prudens hæc œconomia a laudato S. Gregorio Nazianzeno Oratione III. in Julianum prima, qua egregium chriſtianorum militum facinus, impiique Cæſaris nefarios conatus exponit eloquentiſſimè. *Imperatoriæ largitionis* (δωρεᾶς βασιλικῆς) *dies aderat ſive anniverſarius, ſive tunc ab Imperatore pro ſua improbitate, ac verſutia ex tempore ita inſtitutus: atque adeſſe milites oportebat, ut pro ſuo quiſque gradu, ac dignitate donativum acciperet.* Sequitur, quod thus incautè adoleverint quidam chriſtiani milites: quod domum adierint celebraturi cum ſuis contubernalibus epulum: quod ibi commoniti fuerint de ejurato obliquè Chriſto per fraudem Juliani. Addit inde Beatiſſ. Theologus: *E convivio* (illos) *exilientes, veluti furioſos, & mente captos, ac zelo, & iracundia æſtuantes per forum cucurriſſe, atque in hæc verba exclamaſſe: Chriſtiani, chriſtiani ſumus.... poſteaque ad Imperatorem celeriter profectos, atque aurum forti, & ſtrenuo animo projicientes, ad hunc modum exclamaſſe: non dona accepimus, Imperator, ſed morte damnati ſumus. Da hoc beneficium* (δὸς χάριν) *militibus tuis: Chriſto nos macta, atque obtrunca, cujus unius imperio ſubjicimur.* Hactenus Oratio ex verſ. Jacobi Billii pag. 84. & ſeq. operum S. Gregorii Nazianzeni edit. an. 1609.

XIII. **Convivia pars erant publicæ liberalitatis Romanorum Principum.**

Vide per deſcriptum paullò fuſiùs, quàm dicendorum ratio poſtulabat, Nazianzeni locum, nedum illa, quæ afferenda erant, imò quæ etiam num. 7. & 11. enarrata ſunt, probari, convivia quoque & compotationes partem fuiſſe veterum Romanarum publicarum largitionum. Quod ceteroquin ex aliis evincitur. Conſules antiquioris ætatis convivio excipiebant Senatores, Equiteſque eo tempore, quo populum donis cumulabant. De conviviis hiſce ſollemnibus Eruditi crebrò, quos inter Bulengerus libro de Romano Imp. cap. 20. Convivia ab Imperatoribus data militibus, aliiſque, atteſtantur acta S. Marcelli Centurionis, quorum hoc eſt exordium: *In civitate Tingitana, procurante Fortunato Præſide, advenit natale Imperatoris. Ibi, quum omnes in conviviis epularentur, atque ſacrificarent, Marcellus quidam ex Centurionibus legionis Trajanæ profana reputans illa convivia, rejectò etiam cingulo militari coram ſignis legionis, quæ tunc aderant, clara voce teſtatus eſt dicens: Jeſu Chriſto milito* &c. Ita acta apud Baronium, Surium, Ruinartum &c. Epulum populare ſub-

ſubinnuunt verba Svetonii largitiones aliquot Caligulæ jam cit. cap. 18. referentia: *Panaria* (ſic illa) *cum opſonio viritim diviſit*. Quæ dabant viris illuſtribus convivia Imperatores Romano-græci, κλητόρια nuncupabantur. De *clitoriis* Juſtiniani Auguſti (pag. 361.) Cedrenus memoratus ab Altaſerra loco ſupra allegato: *Conſueta etiam clitoria duodecim dierum non egit; ſed, quod illis fuerat impenſum, pauperibus largitus eſt*. Adjunctum reliquis donativis epulum, luculenter demonſtrat Codinus deſcribens cit. cap. 17. factum ab Imperatoribus acceſſum ad princeps palatium poſt coronationem. *Ibi menſa præparata accumbentes epulantur ſtemmatibus ſuis inſigniti. Poſtridie ad alia palatia ſe conferunt .... Decem conſequentibus diebus, aut pluribus, aut paucioribus.... perfectas ferias agunt.... Inſtruuntur ergo his diebus .... epulæ, & cœnæ opiparæ omnibus de Senatu cum lætitia epulantibus coram Imperatoribus, qui & ipſi in propria menſa epulantur .... Et hic ordo ſervatur etiam.... in Imperatorum nuptiis*.

XIV. Quæ occaſiones hujuſce liberalitatis: De iis generatim.

Nunc peculiariter breviterque exponendum, quibus opportunitatibus Romana liberalitas eniteret. Ac generatim Principes munera diſpenſabant, quoties ſubditos *omnes* (ut cum Codino loquar mox iterum allegando) *lætari ſecum cuperent*, aut juxta Balſamonem in epiſtola de incenſis citata jam parte 3. Lucubrationis ſect. 10. §. 3. quum eoſdem *invitare ad benevolentiam*, ſive *linire*, aut *mollire* vellent, quod egiſſe Gallienum; profuſis congiariis, ajebat Trebellius ſuperius laudatus. Miſſilia jactata veluti publicæ lætitiæ indicia, & auræ popularis aucupia, paſſim affirmatur a Doctis. Ex quibus percipimus, quotieſcumque Principes his artibus opus haberent, ut in Imperio ſeſe, ac amore populorum ſolidarent, largitiones publicas exhibuiſſe. Quod mirè actiones hujuſmodi multiplicabat. Adde, grati animi virtutem pleriſque contuliſſe natale. Cui certè virtuti potiſſimùm tribuendæ, quæ militibus extra ordinem datæ narrantur, tamquam iis, quorum ſanguine, ac labore ſtetiſſet ſæpè ſalus Auguſtorum; & fortuna Reipublicæ. Tribuenda etiam illi liberalitas Juliani muneribus cumulantis ſibi occurrentes Sacerdotes ritu ſollemni, de quo ſupra num. nono.

XV. Ordinariæ quædam occaſiones indicantur.

Aliàs non ignorantur communiores peculiareſque occaſiones publicarum largitionum. Haud rememoro opportunitatem acceſſuum magnorum Principum, de quibus num. 19. Quan-

Quando Conſules regimini publico admoveri ordinariò conſueverant; hoc eſt, Kalendis Januarii, quem propterea dixere Graii *μῆνα χρυσοχίτωνα*, uti probat Cangius num. 22. deſcriptionis templi S. Sophiæ: quando Imperii capeſſebant habenas Auguſti, aut regiis infulis ornabantur, agebantve nuptias: quando coronabantur Auguſtæ: quando (ne omnia dinumerem) edebantur publica ſpectacula: quando hæc, inquam, eveniebant, aut horum aliqua anniverſariis ſollemniis recolebantur, tunc vel ipſi ſupremi Præſides, vel eorumdem Officiales dona diſpergebant. Harumce occaſionum memoratas nonnullas a ſcriptoribus vidiſti, Lector, cit. par. 3. Lucubrat. ſect. 9. §. 9. 12. 13. & ſeqq. In locis authorum ſuperiùs hac illacque diſtributis quarumdam documenta tenes. Dicenda infra proximis numeris adjicient nova. Ceterùm verè in Coronationibus largitiones fuiſſe uſitatas, præter illa, quæ notata ſunt ſupra, comprobat locus hiſtoriæ Johannis Cantacuzeni, quem erutum e libro 1. cap. 41. ſuis intexuit ſchediaſmatis ſacro-profanis Aloyſius Novarinus lib. 2. cap. 15. num. 75. p. 55. De coronatione conjugis Tiberii Aug. Landulphus ſagax, ſive author hiſtoriæ miſcellæ: *Duxit* (Tiberius) *Anaſtaſiam uxorem ſuam, & coronavit eam Auguſtam, & jactavit rogam multam.* Theophanes cit. chronographiæ pag. 418. *Procopia Auguſta* (Michaelis Curopalatis uxor) *nomen cum corona accepit in Auguſtæi triclinio, donaque quamplurima in Senatum contulit*, *πολλαῖς δωρεαῖς τὴν σύγκλητον ἐφιλοτιμήσατο*. Munera per eamdem erogata, quando coronatus eſt Theophylactus filius, meminit author narrationis ſuppoſitæ laudati Theophanis Operi &c. In publicis ludis ſpectanti populo profuſa miſſilia, clarum fit ex Svetonio in vita Neronis (cap. 22.) hæc ſcribente: *Spectaculum, multiplicatis miſſilibus, in ſerum protrahebatur* &c. Sed amphitheatralis pompæ verè fuiſſe comites ſemper largitiones, vel unica denominatio probat *munerum* indita aut ludis ipſis, aut diebus ad eoſdem celebrandos aſſignatis. Denominationis ejuſmodi proſtant teſtimonia apud epiſtolam eccleſiarum Viennenſis, & Lugdunenſis cap. 4. & ſeqq. hiſtoriam Euſebii lib. 5. acta SS. MM. Tharachi, Probi, & Andronici §. 10. & paſſionem SS. Perpetuæ & Felicitatis. Inſpice locos, nequaquam prætermiſſa lectione annotationum Henrici Valeſii ad lib. 4. cap. 1. cit. hiſtoriæ Euſebianæ, & ad dictam paſſionem SS. Perpetuæ & Fe-

& Felicitatis L. Holſtenii, & P. Poſſini, relatarum in editione II. collectionis actorum a Ruinarto, cujus etiam notæ videri poſſunt.

XVI. De *laudibus* largitiones aliquot concomitantibus.

Largitionibus verò ſollemnioribus (quales utique erant, quæ complebantur in aſſumptione Principum ad ſupremum rerum humanarum culmen) præire, vel conjungi ſolebant acclamationes *laudes* perſæpè nuncupatæ. Super antiquitate ac uſu laudum jam varia monuimus par. 3. Lucubrationis ſect. 3. §. 4. nota *b*. Aſt a propoſito non recedamus. De Mauricio Imp. iſta tulit S.Gregorius Turonenſis hiſtor. lib.6. *Mauricius ad Circum proceſſit, acclamatiſque ſibi laudibus, largitis populo muneribus, in Imperio confirmatur*. De laudibus, ſeu acclamationibus in Coronatione Juſtini profuſis cit. lib. 2. Corippus:

Intonuit Patrum ſubitus fragor, inde clientum
Clamores creſcunt, clamoribus adſonat æther:
Laudibus innumeris Regnantum nomina tollunt.
Juſtino vitam tercentum vocibus optant:
Auguſtæ totidem Sophiæ plebs tota reclamat:
Felices annos Dominis felicibus orant.

Et quidem ea erat conſuetudo Romano-græcorum Cæſarum, ut, ſparſis miſſilibus, quum deferrentur in ſcuto ad eccleſiam coronam ſuſcepturi, laudarentur. *Populo* (inquit Codinus loco allegato ad num. 3.) *& univerſo Foſſato fauſtis acclamationibus reſonante, deſcendit* (Auguſtus) *de ſcuto, duciturque ad S. Sophiæ templum*. Laudabantur etiam Imperatores inter miſſarum ſollemnia, ſumpta corona, aſcendentes anabathram. *Sublatis velis* (& hæc Codinus) *omnes illi, qui in loco Catechumenorum ſunt, fauſtis acclamationibus Imperatores extollunt*. De prioribus laudibus nonnihil ſimiliter habet cit. lib.1. hiſtor. cap.41. Joh. Cantacuzenus.

XVII. Ex arbitrio Principum conditio, tempora, moduſque largitionum.

Pendebant deſcripta omnia, & etiam modus diſtribuendi publicas largitiones (de quo numero ſequenti) ex placito ſupremarum Poteſtatum. Idcirco aliquando frequentiùs, aliquando rariùs liberalitas iſthæc exercita: imò aliquando penitus ſuppreſſa, quod a Balſamone deploratum vidimus cit. par.3. Lucubrat. ſect.10. §.4. Idcirco valor, ſeu conditio largitionum tam ſæpè diverſa, modò gravior, modò levior. Memora, quæ de frequentia congiariorum ſub Commodo indicata ſunt num. 4., itidemque de amplitudine congiarii Tra-

Trajani. Memora, quæ de militari donativo ſub Severo ad num. 6. atque ad num. 11. de diſcis Heliogabali, eaque compara ceteris aliorum Principum donativis. Exprimit quoque arbitrium, quod ex novella Juſtiniani meminimus eodem 11. numero: quod antea (num. 5.) de præmiis per Octavium Auguſtum ordinatis: tandem (ne omnia repetam) quod de clitoriis Juſtinianæis n. 13. Xilander in notis ad Cedrenum eo loco, quo τῆς ῥόγης vocabulum explicat, ait: *Stipendia militum, vel Imperatorum dona Kalendis Januarii, natalibus Principum, & Urbium regiarum ex libito*. Sequenti numero Codinus aliud miniſtrabit exemplum circa menſuram Cæsareæ liberalitatis.

XVIII. Largitionum exequendarum ratio, ſive modus e Scriptoribus.

Modum quod ſpectat celebriores exequendi largitiones, venit advertendum, miſſilia fuiſſe plena manu jactata ex locis editioribus. Hoc paſſim notarunt Eruditi, & ex dictis, ipſaque rei natura exploratum redditur. In diſtributione congiariorum ſua cuique portio dabatur, plerumque mediantibus teſſeris, quas ceterò jactatas etiam aliquando inter miſſilia cum reliquis rerum ſpeciebus invenio. Rememora locum vitæ Neronis deſcriptum num. 11. Haſce verò teſſeras exhibentibus tradebatur per miniſtros reip. menſura ſive olei, ſive farinæ, aut frumenti, vel nummorum quantitas in iiſdem ſignata. Vocabantur propterea frumentariæ, oleariæ, nummariæ &c. V. al. laudatum Boſſii opuſculum. Quomodo rogas, & donativa diſtribuerent Impp. edocent varia veterum authorum ſcripta. De Juliano Auguſto, quod λαμπρὸς (*ſplendidus*) ideſt, habitu, apparatuque Imperatorio ſplendidioris formæ ornatus, *præſideret* donativum diſtributurus, inſignis eſt teſtificatio apud Orationem Nazianzeni allegatam n. 12. Imperatores *ſedentes*, quum *annuas rogas* elargirentur, repræſentat Balſamon memoratus iterùm num. 14. Dona diſtribuenda ſuggerebantur Auguſtis per miniſtros primi Ordinis, maximè Præfectos ærario. Audiatur denuo tam ſæpè loquutus Curopalates. *Imperator hac die* (coronationis) *in aula confert ſe ad eum locum magni martyris Georgii. Stat verò prope ipſum Imperatorii veſtiarii, ſeu ærarii Præfectus* (τοῦ βασιλικοῦ βεςαρίου ἄρχων) *tenetque intra veſtem ſuam multa aurea numiſmata* (κεχυμένα) *fuſilia. Quæ Imperator apprehenſa in circumſtantes Proceres honorarios, & pueros, quotquot ipſe volet, diſperget. Cauſſa hujus diſtributionis* (διαδόσεως) *numiſmatum eſt, quod Imperator cupit ſecum lætari omnes Proceres, &* *ho-*

honorarios pueros, foſſatum, & populum ſimul Cæſari edentes, & bibentes ex Imperatoris impenſis. Uſquehuc Codinus cap.17. &c. Nihil addo circa modum, quo parabatur materies diſtribuenda, quum id graphicè deſcripſerint Corippi verſiculi notati num. 11. Relege illos, uti etiam locum Luitprandi datum num. 8. deſcribentemque menſam numiſmata concedenda ſuſtinentem.

XIX. Ex numiſmatis. Hæc e veterum ſcriptis perſpicua fiunt. Sed & modum exercitæ a Cæſaribus liberalitatis pleraque inter antiqua numiſmata n. 2. commendata noſtris oculis ſubjiciunt. Plures in illis cernere eſt hominum figuras, quarum una, reliquis ſtantibus, aut ſedentibus, aſcendit roganti, aut accipienti ſimilis eminentem locum; ſedet alia quaſi aſcendentem ſive militem, ſive plebejum, ſive nobilem, ſive alium quemcumque expectans. Ita in nummo Gallieni e regione dicti numeri 2. exhibito. Porrò, quæ ſedet, figura Principem deſignat dona diſpenſantem: & accipientem quempiam, quæ gradus tabulati, ſive cujuſvis editi loci conſcendit. Modum largitionum exprimeret perbellè & eodem numero 2. recuſum numiſma Conſtantii, ſi omnino cum cælatura concordaret deſcriptio ejuſdem a Cl.Bandurio data. *Cap... Conſtantii laureatum ad pectus cum paludamento antica pars, poſtica tres figuras exhibet. Quæ in medio ſedens, capite nudo, imperatorio habitu, monetam dextera diſtribuit, ſceptrum tenet ſiniſtra: a dexteris muliebris figura radiata utramque manum porrigit, ut monetam accipiat; a ſiniſtris figura militaris galeata haſtam tenet ſiniſtra*. Hæc Bandurius to.2. de numiſmatis Impp. a Trajano Decio &c. p. 378.

XX. Varia Romanarum largitionũ, ad eaſque pertinentium nomina &c. Jamque breviſſimè perſtrinximus, quæ publicam Romanorum Principum liberalitatem ſatis innuant, ferè omnia. Ferè, dico. Siquidem nihil hactenus de variis nomenclationibus expoſitarum largitionum, iiſque annexorum. Quæ ſanè meminiſſe curſim proderit. Dionyſius lib. 4. hiſtoriar. largitionem in milites, ſeu militarem remunerationem φιλανθρωπίαν appellat. Sed donativum haud abſimile vocari video *honorem*, ac *beneficium* a generoſis militibus, quos tantoperè extollit B.Gregorius Nazianzenus in Oratione relata num.12. Communiùs tamen quarumcumque ſpecierum Cæſareæ largitiones, ex quo Romani Imperii ſedes in Oriente conſtituta fuit, *rogæ* dicebantur. Inter innumera quære hic exemplum ad numerum 15. Ab uſu verò *rogarum* emerſit mos *rogalia* nun-

nuncupandi opportunitates, ſive agendarum per Imperatores largitionum dies. Sic Meurſius in Gloſs. & La-cerda cap. 120. adverſar. ſacror. num. 124. τὰ ῥογάλια interpretantur; contra quidem ſententiam (ut videtur) Balſamonis appellantis in epiſtola de incenſis cit. lib. 7. Juris Græco-romani pag. 471. *rogalia* συγγραφὰς τακτικῶν *monumenta ordinationum*, ideſt catalogos Ordinum, ſeu accipientium *rogas* hominum, quorum de cetero ſermo eſt apud Gaſparem Suicerum ad voc. ῥογάλια, Leonem Allatium, alioſque. Reliqua, quibus *rogæ* Imperatoriæ indidere, crearuntve nomen, memorare ſuperfluum puto; uti etiam plura propoſitum argumentum fuſiùs explicatura, quæ aliàs magna ex parte citati ad numerum quartum ſcriptores ultimæ ætatis e fontibus antiquioris hauſta cuicumque commodè ſuggerent, præſertim Spanhemius in laudata diſſert. 13. to. 2. operis de præſtantia, & uſu numiſmatum.

AD LUCUBRATIONEM DE PRESBYTERIO APPENDIX III.

COLLECTIO (1) DOCUMENTORUM

Quæ ad calcem univerſi Operis remiſſa ſunt.

I.

Literæ Calliſti PP. II. facultatem teſtandi reſtituentis habitatoribus civitatis Leoninæ.

Ex membrana authentica, & apographo perantiquo apud archivum baſilicæ S. Mariæ trans Tyberim.

CALIXTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Porticanis hominibus, Leonianæ civitatis habitatoribus, noſtris noſtrorumque ſucceſſorum fidelibus, tam præſentibus, quàm futuris in perpetuum.

V. Par. 1. ſect. 4. §. 14.

SANCTORUM Patrum decretis inſtruimur, quia omne, quod irreprehenſibile eſt, catholica defendit Eccleſia; unde per Prophetam nobis divina inſtitutione præcipitur, ut evellere, ac deſtruere, ædificare, & plantare debeamus. In civitate ſiquidem Leonina, ubi & *S. Petri porticus* eſt, prava quædam ab annis paucis conſuetudo eorumdam præſumptione ſubrepſit, ut, ſi qui accolarum hominum ſine filio moreretur, eorum bona omnia Præfecti Urbis miniſtri ejus uſibus uſurparent. Quam ob cauſam præfata Civitas rario-

(1) Non deerunt, qui crimini vertent, quod ferè omnia hæc documenta, ad confirmandam plerumque ſolùm unius verbuli ſignificationem integrè (propterea que, ut ii cenſebunt, inutiliter) producta ſint: nec qui illa quaſi perexigui momenti ſuperciliosè deſpiciant. Sed his nullatenus commovebimur. Non enim ignoramus, quàm avidè veram profeſſi eruditionem, omne, quod e puluere, & latebris (qualecumque ſit) eruitur, excipiant, amplectanturque, & quantum ex leviuſculis ipſis nonnumquam proficere poſſint. Iſtiuſmodi farinæ hominibus hæc nos offerimus; quæ ceteroquin non inutilia aliquando fore, adeoque leviſſimi momenti non eſſe, nonnullæ alicui ex iiſdem documentis ſuppoſitarum notationum forſan ſuadebunt.

rioribus jam habitatoribus incolitur, ut penè deſtructa videatur. Hanc tam pravam & deteſtabilem conſuetudinem dilectus filius noſter Petrus Præfectus Urbis primùm in fratrum noſtrorum Epiſcoporum, & Cardinalium conventu, & poſtea in Generali, quod celebrabamus, Concilio penitus refutavit, & vos evelli, & aboleri communibus ſupplicationibus rogaviſtis. Nos igitur per præſentis Decreti paginam Apoſtolicæ Sedis auctoritate ſtatuimus, & in legitimum ſempiternum decernimus, ut quicumque, vel undecumque in ſupradicta civitate habitatores fuerint ſive in domo ſua, ſive in alia domo ad penſionem, bona eorum, quæcumque fuerint, in eorum exitu nulla rapacitate diſtrahantur, nullis Præfecti miniſtris, nullis aut Præfecti, aut cujuſquam alieni uſurpationibus vendicentur. Sed tam prædicta, quàm cetera bona omnia, quæ poſſederint, libera deliberatione diſponant, & vel ſacroſanctis eccleſiis, vel perſonis quibuſcumque pro ſua legitima voluntate dimittant: porrò vel eccleſiis, vel perſonis quibuſcumque dimiſſa fuerint, aut violentia, aut ingeniis quibuslibet auferri omnino prohibemus. Sic enim & magnus ille Conſtantinus Imperator legum ſuarum promulgatione conſtituit dicens: nihil eſt, quod magis hominibus debeatur, quàm ſupremæ voluntatis, poſtquam jam aliud velle non poſſunt, liber ſit ſtilus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium. Hanc autem noſtræ correctionis, & conſtitutionis paginam ita ſtabilem & inconvulſam perpetuis temporibus ſervari ſancimus, ut nulli umquam deinceps Urbis Præfecto, nulli poteſtatem aliquam, aut miniſterium gerenti eam prævaricari liceat, nec Succeſſorum noſtrorum, nec Imperatorum, aut Regum cuipiam ſanctionem hanc commutare facultas ſit. Sed omnibus, ut prædiximus, ſupradictæ Civitatis habitatoribus in exitu ſuo libera ſit poteſtas bonorum ſuorum omnium deliberationem pro ſua voluntate diſponere, & locis, & perſonis, quibus voluerint, relinquere. Siquis autem, hujus Sanctionis tenore cognito, contra hæc venire temptaverit, niſi præſumptionem ſuam debita ſatisfactione correxerit, honoris ſui, vel miniſterii periculum patiatur, & excommunicationis, ſeu anathematis ultione plectatur, ut SS. Apoſtolorum judicio, & præſentis Eccleſiæ conſortio careat, ac futuræ Eccleſiæ beatitudine ſegregetur (*ſor.* ſegregatus) æternis tradatur incendiis. Obſervantes autem

tem hæc omnipotentis Dei, & Apoſtolorum ejus Petri, & Pauli benedictione, ac vitæ æternæ beatitudine perfruantur. Amen. Scriptum per manum Alexii Scriniarii regionarii, & Notarii ſacri palatii.

Signum Ego Calixtus catholicæ Eccleſiæ Eps

✝

Petrus Paulus Bene valete

Caliſtus
PP. II.

Firmamentum eſt Dominus
timentibus eum.

Dat. Albæ manu Americi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Diac. Card. & Cancellarii VI. id. Julii indict. I. incarn. Dominicæ an. MCXXII. Pontificatus autem Domni Calixti Secundi PP. an. V.

II.

Donatio quorumdam bonorum, & jurium facta per Franconem de Sere.

Ex membrana apud idem archivum.

V. Ibidem. IN nomine Domini. Anno primo pontificatus Domni Gregorii Septimi PP. indict. XII. menſis Novembris die XIII. Ego quidam Franco (1) de Sere *a porticu S. Petri* hac die, nullo prohibente, nec contradicente, propria mea voluntate pro redemptione animæ meæ, & meorum parentum, & omnium Chriſtianorum dono, & in omnem proprietatem veram irrevocabiliter offerens trado (2) omnipotenti Deo, & tibi, beata ac venerabilis Virgo Maria, mater Domini noſtri Jeſu Chriſti, & tuo venerabili Titulo, qui eſt Tranſtiberim, & cognominatur fundens oleum, in quo Dñus Arnulphus eſt Rector, & Archipresbyter: ideſt, quantumcumque ego teneo & habeo, & per ſucceſſionem meorum parentum, & per

(1) Meminit hujus Franconis charta apud Ughellium loco infra citando.

(2) Per hanc formulam, & quæ legetur in docum. 8. confirmatur, quod ſcripſit cl. Muratorius cap. 13. tractatus de *carit. chriſtiana* &c. pag. 124. & 125. edit. an. 1723.

Digitized by Google

per meum acquiſitum, & ſi aliter qualicumque modo, vel ſtudio, vel ingenio mihi lege, & ratione pertinet, de toto ſubſcripto loco in flumine a parte Tranſtiberim ad pontem Antonini non multùm longè a turre hæredum Johannis Brarutii, ad quem locum publicè deſcenditur, itur, & reditur a via publica per quamdam aperitionem rupti antiqui muri, qui ab olim poſterula vocatur. Infra quem igitur locum unum aquimolum eſt conſtructum, & ſunt illic tria monumenta, duo videlicet antiqua, & unum quaſi novitium ad retinenda ligamina ipſius aquimoli, & aliorum, ſi ibi conſtruentur, & ad omnes alias utilitates, quæ per ea, & ex eis ad ipſum locum .... & haberi poſſent. Et eſt ibidem unus hortus hujus loci ſupra præfatum antiquum murum juxta dexteram manum deſcendentibus per ipſam poſterulam. Et ſi aliquæ piſcariæ, vel (3) naſſariæ ibidem ſunt, & ſi aliqua alia ibi ſunt, quæ dici poſſint, vel nominari non valeant, omnia cum omnibus, quæ dicta ſunt, iſtum locum ſic in ſua ſpetialitate, & in ſua proprietate concludere, & manere conſtat, ſicut eum ab his ſuis affinibus deſignamus, atque decernimus: ab uno videlicet latere eſt ex littore ipſius fluminis, & ex ipſo flumine in ſurſum, dico ultra prædictum novitium monumentum: ab alio latere eſt pelagus (4) ipſius fluminis: a tertio latere eſt ex ipſo flumine ultra ambo prædicta antiqua monumenta; ſic denique, ut ſi aquimola hujus loci exinde quinque conſtruerent, licet abſque ullius contrarietate, aut contradictione intro protendi, & foras trahi, in juſum extendi, & ſurſum reduci, omni ſcilicet tempore, ſicut ei opus & neceſſe fuerit, in aqua videlicet, & in littore: a quarto verò latere eſt murus ipſius civitatis, & eſt domus, poſtquam prædictus hortus fuit, & eſt introitus, & exitus hujus loci per prædictam poſterulam uſque in via publica, & eſt prædictus murus ipſius civitatis, in quo muro ſunt ſcalæ huic loco pertinentes; nam & in ipſum murum licet infigere ſtaphilia, ac retinacula ad liganda ligamina retinentia ipſius loci aquimola. Et per totum ipſum murum, & per ipſas ſcalas licet aſcendere, & deſcendere, ire, ſtare, & redire, ſicut ad ipſum locum, & ad ipſa aquimola opus & neceſſe fuerit. De hoc ita-

(3) A *naſſa* retis ſpecie *naſſaria* dictus locus, quo illud occultari ſolet ſub aqua.

(4) Hoc eſt, medium *curſus*, ſive (ut alia priſca documenta ferunt) *currivæ* aquarum, ubi illarum vehementior impetus, ac pondus gravius.

itaque toto loco, & de toto aquimolo, & de monumentis, & de orto, & de piſcariis, & de naſſariis, & de omnibus ſuis uſibus, & utilitatibus, & de omnibus ſuis pertinentiis, ſicut inter hos dictos affines eſſe videtur, &, ſi aliter eſt, ut melius dici poſſit, nihil exinde excipio, nec reſervo: ſed quantumcumque mihi exinde, ſicut ſupra dictum eſt, pertinet, quod eſt integra medietas ex eis omnibus, quæ, & ſicut dicta ſunt, vobis, ut dixi, dono, & in omnem veram proprietatem offerens trado, ut ſemper maneat, & conſiſtat ad opus & utilitatem vobis in veſtro prædicto venerabili Titulo ſervientium in perpetuum. Ob hoc interim peto, ut prædictus Dñus Arnulphus veſtri venerabilis Tituli Rector, & *Archipresbyter* (5) *cum confratribus ſuis* locet hanc eamdem medietatem mihi vita mea; & ſi filium, vel filiam relinquero, ſi unus, vel plures fuerint, vita eorum tantummodo, non amplius. Aliter autem numquam ſit licitum alieni perſonæ, clerico ſcilicet vel laico cujuſcumque ordinis, vel conditionis, illam aliquo ſtudio vel ingenio alienare, vel ſubtrahere ab ipſo venerabili Titulo. Quod ſi umquam facere præſumpſerit, maledictionem omnipotentis Dei incurrat, & anathematizatus (6) cum impiis, & ſceleratis perpetua dampnatione dampnetur. Et, quod exinde præſumptum fuerit, inane omnino exiſtat & vacuum. Et precor, & etiam tota mentis intentione exopto, ut quicumque tunc ſanctæ & Apoſtolicæ Sedi præſederit cum Præfecto, & cum omnibus Rectoribus Romæ, & cum meis omnibus conſanguineis pro amore omnipotentis Dei, & beatæ Virginis Mariæ illam in ipſum tuum venerabilem Titulum revocent, atque reducant. Ego præterea promitto una cum meis hæredibus ac ſucceſſoribus defendere ea vobis, & veſtris ſervitoribus ab omni homine, ſicut opus & neceſſe fuerit; quod ſi non fecerimus, aut non potuerimus, vel ſi contra eam aliquo modo, vel aliquo ſtudio, vel ingenio venire temptaverimus, aut ſi eam, ſicut dictum eſt, adimplere, & in perpetuum quiete permanere non permiſerimus, componimus veſtris ſervitoribus ad opus ipſius veſtri Tituli pro pœna ſex boni auri libras, & ſoluta pœna, quæcumque

lis,

(5) Nimirum *primus Presbyter*, ſive *Prior* Canonicorum, ut ex aliis cumulandis in cit. hiſt. S. Mariæ trans Tyberim.

(6) Anathemata vibrata a laicis erant imprecationum ſpecies, quarum innumera exempla proſtant in chartis ſequioris ætatis. V. infra docum. 8.

lis, vel requiſitio, aut contrarietas exinde propoſita, vel excitata fuerit, inanis omnino exiſtat & vacua: & hæc donatio, ac offertio, quæ & ſicut in hac legitur cartula perpetuò ſtabilis, & firma permaneat. Quam ut ſcriberet, & pro me ad eam confirmandam ſignum manus faceret ante præſentiam Dñi Cencii ſereniſſimi Urbis Præfecti, & ſubſcriptorum teſtium rogavi Rainerium ſcriniarium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ in menſe, & indictione ſupraſcripta duodecima.

Signum ✝ manus prædicti Franconis hujus rogatoris chartulæ ad confirmanda, & corroboranda, quæ ſuperiùs leguntur.

Signum ✝ manus Dñæ Dainæ uxoris ejus conſentricis, & confirmatricis hujus chartulæ.

Johannes de prædicto Sere *a porticu S. Petri* teſtis. Guido frater Franculini a Tranſtiberim teſtis. Johannes de Abbate exinde teſtis. Bonadeus de Gregorio Benonis de Rainerio teſtis. Ruſticus de Sico teſtis

Loco ✝ ſigni Ego Rainerius infimus Scriniarius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ complevi, & abſolvi.

III.

Ritus benedicendi Pallia.

Ex autographo.

Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Capitulo ſacroſ. baſilicæ Vaticanæ *V. Par. 1. ſect. 5. §. 12. nota g.*

Placidus Euſtachius Ghezzius, olim ejuſdem baſilicæ, nunc verò ſacri Palatii Apoſtolici Ceremoniarius, perpetuum hoc grati, & obſequentis animi pignus D.D.D. an. 1722.

Benedictio Palliorum

Facienda in SS. baſilica Vaticana in pervigilio SS. Apoſtolorum Petri & Pauli in ſignum praeminentiæ principalis ab antiquo codice deſumpta, & ad recentiorem praxim redacta.

CUm Subdiaconi Apoſtolici, ad quos ſpectat cura Palliorum, opus habent aliqua Pallia benedici, ipſorum Decanus debet petere a Vicario dictæ baſilicæ, an velit ea benedicere;

cere; nam hoc ad ipſum pertinet, ſi eſt Epiſcopus, vel ad aliquem Epiſcopum ex Canonicis dictæ baſilicæ: præfatuſque Decanus notum id faciet Canonico Altariſtæ, ad quem ſpectat cura executionis hujuſmodi benedictionis, qui hora præſtituta in medio areæ marmoreæ, quæ eſt ante Confeſſionem B. Petri juxta cratem ex metallo, qua ibi ſub altari majori munitur dicta Confeſſio, parare facit menſam in modum altaris cum tali proportione, ut faciliter circumvallari poſſit, & eam mappa munda cooperire facit, & deſuper ponere duo candelabra cum luminaribus accenſis, & pro benedictione ſtolam, pluviale album, mitram aurifrigiatam, librum benedictionis, inſtrumentum pro candela, thuribulum ſine prunis, naviculam cum cochleari, & incenſo, vas cum aqua benedicta, & aſperſorium, necnon ante abacum prædictum, congrua ſervata diſtantia, ſedem pro Epiſcopo ſuper tapete, & in alio congruenti loco ſex pluvialia alba pro Aſſiſtentibus. Dum in choro cantatur Completorium, deſumuntur Pallia in ſacriſtia ex manibus ſupradicti Decani in lance argentea, velo albo, & lucido cooperta, a Canonico Altariſta induto rocchetto, & cotta, medio inter duos Magiſtros ceremoniarum, coadjuvantes ipſum in ſuſtinendo pondere Palliorum, quæ deferuntur per eumdem in lance cooperta, ut ſupra. Cùm pervenerit ante altare majus, inſimul aſcendunt, & collocant lancem ſuper altare in medio, &, facta in plano reverentia altari, & choro, diſcedunt. Expleto Completorio, ante dictum altare majus ſolemniter decantantur vigiliæ per Epiſcopum benedicentem, qui neceſſariò debet eſſe præſens dictis Vigiliis. Expleto invitatorio, & hymno, poſt quam chorus ſederit, incœpto primo pſalmo, unus ex Magiſtris ceremoniarum, invitatis Canonico Altariſta, ſex Beneficiatis, & totidem Clericis beneficiatis, ducit illos, facta reverentia in medio Epiſcopo, & choro, ad altare, &, cùm pervenerint omnes propè infimum altaris gradum lineà æquali, Canonicus Altariſta cum ſolis duobus ſenioribus Beneficiatis aſcendit ad altare, accipit lancem cum Palliis, adjuvantibus dictis duobus ſenioribus Beneficiatis, & eam ante Confeſſionem ſequenti ordine portat. Præcedunt duo Cuſtodes cum baculis, deinde ſex Clerici beneficiati, ſervata anterioritate, poſteà Canonicus Altariſta inter duos ſeniores Beneficiatos, ſequentibus reliquis quatuor Beneficiatis, quorum ſeniores ſint proximiores

res Canonico. Cùm pervenerint ante Confeſſionem, omnes ſe collocant in linea æquali ante illam, & Canonicus Altariſta ponit immediatè dictam lancem ſuper menſam inter candelabra, &, facta ab omnibus genuflexione, ſeparatim diſcedunt. Completis in choro vigiliis, dataque ab Epiſcopo in altari benedictione, proceditur ad benedictionem Palliorum hoc proceſſionali ordine. Cuſtodes de more, Crux cum Acolythis, Cantores, Seminarium, reliqui de choro, qui adeſſe velint, Aſſiſtentes parati cum Epiſcopo, & miniſtris inſervientibus. Deſcendunt omnes ante Confeſſionem, & menſam, itaut reſpiciant faciem Epiſcopi. Cantores in uno angulo, Seminarium in altero, omnes alii de choro hinc inde. Epiſcopus ibit immediatè ante ſedem cum miniſtris paratis hinc inde, &, depoſita mitra, omnes inſimul facient genuflexionem, reaſſumptaque ab Epiſcopo mitra, ſedebit. Omnes Aſſiſtentes, depoſitis rubeis, accipiunt pluvialia alba, & ſimiliter Epiſcopus, depoſitis rubeis paramentis, accipit alba cum mitra, & ſedebit. Omnibus ſic paratis, & aſſiſtentibus prædictis Decano, & Canonico Altariſta ad latera dictæ menſæ, Magiſter ceremoniarum diſcooperit totaliter Pallia, & Epiſcopus, depoſita mitra, ſurgit, & legit benedictionem Palliorum, ſuſtinente librum uno e Sacriſtis chori, & inſtrumentum de lumine uno ex Aſſiſtentibus paratis, reſpondentibus Cantoribus ad ℣. & ad concluſionem Orationis; qua completa, Epiſcopus iterum ſedet, accipit mitram, ponit, & benedicit incenſum de more, & depoſita mitra, accedit prope menſam, aſpergit Pallia aqua benedicta in modum Crucis, & ter adolet incenſo; quo facto, accipit mitram, & interim Ceremoniarii extendunt velum ſuper Pallia, & Epiſcopus ſurgens accipit ambabus manibus, adjuvantibus duobus Aſſiſtentibus paratis, lancem cum Palliis, & deponit eam ſuper corpora SS. Apoſtolorum, ibique remanent per totam ſequentem diem, relicta crate ferrea aperta ratione ſolemnitatis. Depoſita deinde mitra ab Epiſcopo, omnes genuflectunt, & proceſſionaliter diſcedunt.

Poſt Completorium ſequentis diei diſcedit e ſacriſtia Canocus Altariſta cum Magiſtris ceremoniarum, & Cuſtodibus, accedit ad Confeſſionem, ibique facta brevi oratione, & genuflexione, accipit lancem Palliorum e corporibus SS. Apoſtolorum, & diſcoopertis aliquantulum a Magiſtro ceremonia-

niarum, reportantur in Sacrorum cuſtodiam, ponuntur ſuper altare cappellæ Reliquiarum, & numerata coram Magiſtro ceremoniarum ſacri Palatii Apoſtolici clauduntur in capſula ſerico ornata, clavis traditur dicto Apoſtolicarum ceremoniarum Magiſtro a Canonico Altariſta, & capſula ponitur, & aſſervatur inter alias Reliquias.

Si ſupradicta benedictio facienda erit de mane in feſto SS. Apoſtolorum, deferenda erunt Pallia modo, quo ſupra, antequam incipiantur vigiliæ, ſupra illud altare, ubi fiet chorus, ſive ſit altare majus, ſive chori, idemque obſervandum, ſi facienda ſit benedictio in aliis diebus; dummodo ſint ex ſolemnioribus, quamvis fiat officium per Canonicum hebdomadarium, ſed cum aſſiſtentia in choro Epiſcopi benedicturi Pallia. In hoc caſu, quando vigiliæ non cantentur pontificaliter, expletis Laudibus, Epiſcopus, comitantibus duobus Beneficiatis, ſeu Clericis beneficiatis, ceremoniarum Magiſtro cum quinque Acolythis, & Cuſtodibus, procedunt ad Confeſſionem, breviter orant; deinde Epiſcopus ſedet, duo aſſiſtentes Beneficiati, ſeu Clerici beneficiati accipiunt pluvialia alba, Acolythi crucem, & candelabra, Epiſcopus induitur per Aſſiſtentes paramentis pontificalibus albis, & mitra aurifrigiata, & fit benedictio, ut ſupra. Collocatis deinde ſuper corpora Apoſtolorum Palliis, ibique relictis, clauditur crates ferrea, &, depoſita mitra, Epiſcopus, omnes genuflectunt, & reaſſumpta, vadit ad ſedem, deponit paramenta, ſicut & Aſſiſtentes pluvialia, &, facta genuflexione, omnes ſeparatim diſcedunt, & non fit proceſſio.

Sequenti die poſt Completorium reportantur Pallia, & fiunt reliqua, ut ſupra.

BENEDICTIO PALLIORUM.

Epiſcopus ſine mitra ſurgit, & manibus junctis dicit.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℞. Qui fecit cœlum, & terram.
℣. Dominus vobiſcum.
℞. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus *&c.* (1)

IV. Te-

(1) V. opuſculum Nicolai de Bralion, cui tit. *Pallium Archiepiſcopale*: cap. ultimo pag. 183.

IV.

Teſtamentum (1) Philippi Cardinalis de Alenconio.

Ex membrana apud archivum S. M. trans Tyberim.

IN nomine Dñi. Amen. Univerſis, & ſingulis hoc præſens publicum inſtrumentum inſpecturis cunctis pateat evidenter; qualiter nos Philippus de Alenconio, miſeratione divina Epiſcopus Hoſtien. ſacroſ. Rom. Eccleſiæ Cardinalis, ſanè advertentes, quod fragilis humanæ naturæ conditio incertum vitæ terminum continet lubrico, & corruptibili curſu dietim ſubjacendo, ſitque nihil exinde humanorum corporum reſolutione certius, horaque reſolutionis hujuſmodi incertius naturaliter reputat. Idcirco ſalubri diſpoſitione præmeditantes, & propterea diem extremum vitæ noſtræ diſpoſitione teſtamentaria prævenire volentes, ne ab hac luce videamur inteſtati decedere, & ne poſt noſtrum tranſitum ab hoc ſeculo de bonis, & rebus noſtris quibuslibet inter aliquos lis, aut quæſtio oriatur, ſed potiùs juxta Sapientis conſilium noſtra noviſſima memorare ſalubriter, ac præterita recordari, ordinare præſentia, & de futuris in animæ noſtræ remedium feliciter providere, & diſponere curantes, ſani mente, & rationis compotes revocamus, caſſamus, & annullamus omnia, & ſingula teſtamenta, & donationes cauſa mortis, codicillos, & ultimas voluntates, per nos hinc retrò condita, ſi qua ſint, vel reperiantur ſub quacumque forma, illaque caſſa, irrita, & nulla eſſe volumus, & mandamus, & ſimiliter quoſcumque hujuſmodi teſtamentorum, & codicillorum, & ultimæ voluntatis noſtrarum Executores, per nos ante diem præſentem quomodolibet conſtitutos, revocamus, & reclamamus, ac de plena & libera licentia SS. in Chriſto Patris, & D. N. Bonifacii div. provid. PP. VIIII. nobis ad infraſcripta per ſuas infraſcr. tenoris conceſſa condimus, facimus, diſponimus, & ordinamus.... de omnibus & ſingulis bonis, & rebus noſtris a ſummo

V. Par. 1. ſect. 6. §. 1. nota b.

(1) Documentum hoc, atque alia infra citanda, nullus (quod ſciam) vidit e Francicis ſcriptoribus, ſuorum popularium monumentorum veſtigatoribus diligentioribus, qualis Franciſcus Ducheſnius, & Baluzius, qui multa ad Alenconium, etiam leviſſima, pertinentia collegerunt in vitis Cardd. Gallorum, & Paparum Avenionenſium &c.

mo Deo omnium bonorum elargitore quomodolibet conceſſis, in quibuſcumque rebus conſiſtant, & quibuſcumque nominibus cenſeantur, hoc præſens noſtrum teſtamentum, ſeu ultimam noſtram voluntatem, & quidquid melius & efficacius dici, & cenſeri poteſt, & debet. Quod teſtamentum, ſeu quam noſtram voluntatem mandamus, præcipimus, & volumus, per noſtros infranominatos Executores executioni debitæ demandari, & adimpleri, & inviolabiliter obſervari. Et quia ea, quæ ſaluti animæ noſtræ expediunt, ſunt aliis rebus præponenda, ideo inprimis ſanctam fidem catholicam vero & puro corde agnoſcentes, & confitentes animam noſtram omnipotenti Deo Dño noſtro Jeſu Chriſto, glorioſæ ſemper Virgini Mariæ, B. Michaeli Archangelo, B. Johanni Baptiſtæ, SS. Apoſtolis Petro & Paulo, Andreæ, & Philippo, & SS. Egidio, Ludovico, & Brigidæ, ac toti cœleſti curiæ plenis ac devotis affectibus commendamus, & corpus noſtrum, dum nos ab hac luce decedere contigerit, infraſcriptis noſtris Executoribus commendamus. Volentes, ut illud infra Sanctam Urbem in loco ſacrato, de quo ipſis, ſepeliant, ſepeliri faciant ſecundùm modum & conſuetudinem laudabilem in talibus per S. R. Eccleſiam approbatos, itemque Dñum noſtrum Bonifacium PP. VIIII. & ſacroſanctum Dominorum meorum Cardinalium Collegium precamur, & petimus prece humili, & devota, ut dictam animam noſtram, & hanc præſentem noſtram ultimam voluntatem, ſeu teſtamentum ſecundùm præmiſſum tenorem, & continentiam ſuſcipiant, & habeant ſinceris, & indubitatis favoribus reccomendatum. Item facimus, & inſtituimus, ordinamus, & deputamus in omnibus bonis noſtris immobilibus, & dominiis paternis, & maternis quibuſcumque in Regno Franciæ, & alibi, ubicumque locorum exiſtentibus, noſtros veros, & indubitatos hæredes univerſales & ſpeciales, videlicet, Illuſtres Principes (2) Dominos Petrum Comitem de Alenconio germanum, & Johannem de Alenconio Comitem Particen. nepotem, noſtros abſentes tamquam præſentes, ut ea ad ſe recipiant, eaque regant, & gubernent, & de iis quomodolibet diſponant, prout ipſis, aut alteri eorum, qui ſupervixerit, videbitur expedire. Executores verò hujuſmodi teſtamenti, ſeu hujus noſtræ ulti-

(2) *Hinc fortè lux aliqua rebus genealogicis regiæ Valeſiorum familiæ.*

ultimæ voluntatis facimus,inſtituimus,ordinamus, & eſſe volumus Rmum in Chriſto Patrem, & Dnum meum Dnum Angelum tt. S. Laurentii in Damaſo Presbyterum Cardinalem vulgariter nuncupatum de Florentia, Reverendos in Chriſto Patres Dnos Petrum Aquen. abſentes, Guillelmum Anconitanum Epiſcopos præſentem, Johannem Egidii literarum contradictarum ſacri Palatii Apoſtolici, ejuſdemque cauſarum Auditorem Leodien. Præpoſitum, Hugonem de Hervorſt Apoſtolicæ Sedis Protonotarium Præpoſitum Vannen. abſentes tamquam præſentes, ac Venerabiles viros Philippum de Vyaco Archidiaconum Ardennæ in eccleſia Leodienſi Sigilliferum, Magiſtrum Bernardum .... Canonicum Nyvellen. Secretarium, & nobilem virum Guillelmum de Barolis domicellum, noſtros fideles & dilectos, præſentes, & onus hujuſmodi in ſe ſuſcipientes, ac Johannem de Rennes Canonicum Leodien. abſentem tamquam præſentem, dantes, & concedentes eiſdem noſtris Executoribus plenam, liberam, & omnimodam poteſtatem generalem, & ſpecialem; ita tamen, quod ſpecialitati generalitas non deroget, nec e contrario. Volumus etiam, quod in executione hujuſmodi facienda ipſi omnes, aut ſaltem tres, quorum horum ſint ad minùs duo de ipſis Guillelmo Epiſcopo Anconitano, Dominis Johanne, & Hugone Leodien. & Vannen. Præpoſitis, Philippo de Vyaco, Bernardo, aut Guillelmo, ſeu duo ſoli de immediatè nominatis omnia ea faciant, & exequantur, primò ad diſponendum, ordinandum, & diſpenſandum de omnibus, & ſingulis bonis noſtris mobilibus in quibuſcumque rebus, & ubicumque locorum conſiſtant, & quibuſcumque nominibus cenſeantur, prout ipſis, ut ſuperiùs declaratum eſt, videbitur expedire: & ſpecialiter, quod de promptioribus bonis noſtris mobilibus ſingula faciant, aut fieri procurent quæcumque circa noſtra funeralia, & pro animæ noſtræ ſalute tam in faciendis exequiis, quàm procurandis miſſis, & diſtribuendis eleemoſynis pauperibus, & piis locis tam in urbe Romæ, quàm extra, prout eis videbitur expedire. Item ad ordinandum fieri in uno, vel pluribus locis anniverſarium, ſive memoriam annuam pro dicta anima noſtra perpetuis temporibus duraturam. Item ad ſolvendum quæcumque debita noſtra quibuſcumque perſonis creditoribus noſtris, & de iis quitantias, liberationes debitas recipiendum.

dum. Item ad ſolvendum, & ſatisfaciendum ſervitoribus noſtris, & familiaribus de ipſorum nobis impenſis ſervitiis, & cuilibet eorum ſecundùm ſtatum ſuum, & exigentiam meritorum. Item ad diſponendum, & ordinandum de noſtris pecuniis, vaſella, robis, libris, annulis, & ceteris jocalibus, equis, & ſupellectilibus, & quibuſcumque aliis bonis noſtris... faciendis, & aliàs, prout eis videbitur expedire. Item ad exigendum, petendum, recipiendum, & obtinendum quaſcumque pecuniarum ſummas, ſeu quantitates, omniaque alia, & ſingula credita, res, bona, & actiones, & rationes nobis a quibuſcumque perſonis quomodolibet competentes, eaque vendendum, diſtrahendum, & alienandum, & pretium eorum recipiendum, ac de ipſis in ſalutem animæ noſtræ ordinandum, & de iis, quæ receperint, finem, quietationem, & pactum de rem habitam ulteriùs non petendo faciendum. Et in præmiſſis omnibus & ſingulis, ſi neceſſe fuerit, contra perſonas eccleſiaſticas, & ſeculares in quocumque foro, ſeu judicio agendum, & defendendum, libellum ſeu libellos, & quaſcumque petitiones ſummarias dandum, & recipiendum, excipiendum, replicandum, triplicandum, quadruplicandum, litem ſeu lites conteſtandum, de calumpnia vitanda, & veritate dicenda, & aliud quodcumque juramentum licitum, ſolitum, & honeſtum præſtandum, & præſtari videndum, ponendum, & articulandum, ponique, & articulari videndum, poſitionibus, & articulis partis adverſæ reſpondendum, teſtes, literas, & inſtrumenta, & quæcumque alia probationum genera producendum, & ex adverſo producta impugnandum, crimina, & defectus opponendum, in teſtes, & eorum dicta dicendum, atteſtata teſtium publicandum, in cauſa ſeu cauſis hujuſmodi concludendum, ac ſententiam & ſententias tam interlocutorias, quàm deffinitivas fieri petendum, & audiendum ab illis quoque, & alio quocumque gravamine illato & inferendo provocandum, & appellandum, appellatoſque petendum, & obtinendum provocationes, & appellationes proſequendi beneficia, reſtitutionem in integrum, & abſolutionem ſimpliciter, & ad cautelam, & alia quæcumque juris ſuffragia, & remedia impetrandum, ac omnia alia & ſingula faciendum, & exercendum, quæ in præmiſſis neceſſaria fuerint, ſeu quomodolibet opportuna, etiamſi talia forent, quæ mandatum exigerent magis ſpe-

ſpeciale, promittentes tenore præſentium nos ratum gratum & firmum tenere, & perpetuò habituros quidquid in.. præmiſſa actum, dictum, geſtum, vel quomodolibet factum fuerit, ſeu ordinatum. Item volumus, præcipimus, & mandamus, hoc præſens noſtrum teſtamentum, ſeu hanc noſtram præſentem ultimam voluntatem valere jure teſtamenti, & ſi jure teſtamenti non valerent, aut valebunt, volumus & jubemus ea valere jure codicillorum, & ſi jure codicillorum non valerent, aut non valebunt, volumus & jubemus ea valere jure donationis cauſa mortis, cedentes eiſdem noſtris Executoribus omnia bona noſtra mobilia præſentia, & futura, ubicumque locorum fuerint conſtituta, credita, creditorum nomina, jus, proprietatem, & poſſeſſionem eorum, rationeſque reales, ac perſonales, ac rei proſecutorias, tam utiles, quàm directas in bonis, & ad bona noſtra prædicta nobis competentia in ipſos totaliter transferendo, nec non eoſdem Procuratores in rem ſuam conſtituendo, quod poſt noſtram mortem liceat eis, & poſſint dicta bona noſtra propria auctoritate apprehendere, tenere, expendere, & erogare, ac deinceps ſuo nomine agere, defendere, & expedire, ac præmiſſa omnia & ſingula exequi, & expedire, non obſtante quacumque contradictione, prout ſaluti animæ noſtræ magis crediderint expedire, dictoſque Executores noſtros in præmiſſis omnibus & ſingulis ab omni onere ſatiſdandi, onere & neceſſitate conficiendi bonorum noſtrorum inventarium, & poſt executionem interceptam de ipſa executione reddendi computum, & rationem relevantes. Præterea hanc noſtri teſtamenti ſeu ultimæ voluntatis noſtræ ordinationem valere volumus jure teſtamenti, prout ſupra dictum eſt, & ſi jure teſtamenti valere non poſſit, ſaltem valeat jure codicillorum, ſeu cujuſcumque ulterius ultimæ voluntatis, vel aliàs, prout de jure, vel conſuetudine valere poterit, aut debebit. Et etiam prædicta omnia valere volumus, & jubemus jure cujuslibet alterius ultimæ voluntatis, & rationibus aliis, juribus, modo, & forma, quibus meliùs valere poterunt, quod, & quam etiam mandamus, præcipimus, jubemus, atque volumus inviolabiliter obſervari. Tenor verò ſuperiùs dictæ literæ (3) nobis

(3) Aliæ literæ poſt obitum Card. Alençonii a Bonifacio datæ ſunt, quibus teſtamentum ejuſdem confirmatur. Servantur apud cit. archivum S.M. Transtyb. ac incipiunt: *Gerimus in deſideriis cordis* &c. habentque: *Datum Romæ apud S. Petrum Kal. Septemb. pontificatus anno* VIII.

conceſſæ ſequitur, & eſt talis = BONIFACIUS Epiſcopus Servus Servorum Dei. Ven. Fratri Philippo Epiſcopo Hoſtienſi ſal., & Apoſt. bened. Cùm nihil ſit, quod magis hominibus debeatur, quàm ut ſupremæ voluntatis liber ſit ſtilus, & liberum, quod iterum non redit arbitrium; Nos tuis ſupplicationibus inclinati teſtandi, ordinandi, & diſponendi liberè de omnibus bonis ad te pertinentibus cujuſcumque quantitatis ſeu valoris fuerint, etiamſi illa ex proventibus eccleſiaſticis, ſeu eccleſiis tibi commiſſis, vel aliàs perſonæ tuæ, vel tui Cardinalatus intuitu, ratione, aut contemplatione ad te pervenerunt, & pervenerint in futurum; priùs tamen de omnibus prædictis bonis ære alieno, & iis, quæ reparandis domibus, ſeu ædificiis conſiſtentibus in locis eccleſiarum, vel beneficiorum tuorum culpa, vel negligentia tua, ſeu tuorum Procuratorum deſtructis, ſeu deterioratis, necnon reſtaurandis aliis juribus earumdem eccleſiarum, vel beneficiorum deperditis ex culpa, vel negligentia ſupradictis opportunè deductis, plenam & liberam licentiam tenore præſentium elargimur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipot. Dei, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum Kal. Julii Pontificatus noſtri anno ſeptimo = In quorum omnium teſtimonium præſentes noſtras literas, ſeu hoc præſens publicum inſtrumentum per fideles noſtros & dilectos Magiſtrum Georgium de Pala, & Simonem Franconis notarios publicos infraſcriptos fieri mandavimus, noſtrique appenſione ſigilli communiri volentes inſuper, & proteſtantes, quod hæ noſtræ literæ, ſeu hoc præſens publicum inſtrumentum poſſint, & debeant refici, corrigi, & emendari, & reduci ad formam de jure validam ſemel, aut pluries detrahendo, ſeu addendo ſubſtantia facti non mutata.. in judicium, aut extra, ad laudum, dictamen, & diſcretionem prædictorum, & de hoc damus ipſis Notariis, & cuilibet eorum plenam & liberam facultatem. Datum, & actum Romæ apud Sanctam Mariam in Tranſtiberim in palatio (4) noſtro ibidem, videlicet nobis ſe-

(4) Suum vocat Card. Alenconius palatium, quod incolebat, Tituli S. Mariæ, quia hunc poſt adeptum Epiſcopatum, tamquam Commendatarius, Adminiſtratorve

ſedentibus in cathedram camera, qua cotidie comedere ſolemus, ſub anno Nativitatis Dñi milleſimo trecentiſimo nonageſimo ſeptimo, indict.v., menſis Auguſti die xi. hora meridiei, vel quaſi, Pontificatus SS. in Chriſto Patris Dñi noſtri Bo-

---

ve perpetuus, regebat. Sanè in archivo dictæ eccleſiæ, præter hoc teſtamentum, & mox indicatas literas, extat membrana inſtrumenti acti anno 1391. die 3. Novemb. coram Notario Johanne de Loe, Clerico Leodienſi, ac *teſtibus Johanne Zehore de Rhemis* (verba membranæ) *literarum Domini Papæ ſcriptore, & Euthgero de Waldorp Beneficiato in eccleſia Leodienſi*, familiaribus propriis, *in camera cubiculari habitationis ſuæ prope eccleſiam S. Mariæ in Tranſtiberim*; quo Henricum de Molendino, Clericum Bremenſem, & Theodorum Tengnagel, Clericum Trajectinæ diæceſeos (pariter familiares) conſtituit Procuratores *in officio, quod* (inquit) *ratione Tituli eccleſiæ S. Mariæ in Tranſtiberim, quem ex conceſſione, & diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ obtinemus, nobis injunctum eſt*: nempe, *ad agendum adversùs quoſcumque, & ſingillatim Presbyterum Antonium gerentem ſe pro Rectore eccleſiæ ſeu cappellæ S. Sylveſtri ſiti prope portam Septimianam* &c. Extat & ibidem, pariter in membrana, prolixa ſententia ſcripta die 12. Julii an. 1393. munitaque manu, ac ſigno Nicolai Antonii Salomonis, civis Romani, per quam decernitur, & declaratur, *cappellam ſeu eccleſiam S. Sylveſtri, & Rectorem ipſius fore & eſſe, ac debere eſſe ſubjectam, ac ſubjectum in ſpiritualibus & temporalibus pleno jure Domino Cardinali, Vicario, Capitulo, & eccleſiæ S. Mariæ in Tranſtiberim, ſicut aliæ cappellæ dictæ eccleſiæ, & Tituli Cardinalatus* &c. ac inſuper adjudicatur ipſa cappella *pleno jure in ſpiritualibus & temporalibus ipſi Titulo, & Capitulo S. Mariæ, ut ſupra, cum juribus, & pertinentiis ſuis*. Sed, qui ſententiam tulit, & collitigantes ita pridem enunciantur: *Jacobus Johannis Archipresbyter eccleſiæ SS. Sergii, & Bacchi de Sebura in Urbe, in Jure canonico Licentiatus, a Rev. in Chriſto Patre Domino Abbate Monaſterii S. Pauli extra, & prope Urbem ſiti, SS. in Chriſto Patris, & Domini, Domini Bonifacii PP. IX. in alma Urbe, ejuſque ſuburbiis, & diſtrictu in ſpiritualibus Vicario generali, Judex delegatus, & Commiſſarius ſuper cauſa, lite, quæſtione, & controverſia vertentibus inter R.mum in Chriſto Patrem, & Dominum, Dominum Philippum de Alenconio miſerat. divina Epiſcopum Hoſtien. & S. R. E. Cardinalem, cui Cardinalatus eccleſia S. Mariæ in Tranſtiberim cum omnibus ſuis membris, & cappellis in ſpiritualib., & temporalib. eſt plenè ab Apoſtolica Sede commiſſa, vice, ac nomine ſuo, ac Tituli, & eccleſiæ prælibatæ, Canonicos, & Capitulum S. Mariæ prædictæ, & Ven. virum Dominum Petrum Bacchi* (*de Urbe*, ut infra tradit charta.) *Vicarium dicti Domini Cardinalis* (ſive, quod habet ſententiæ decurſus, *Procuratorem, Syndicum, & Yconomum, & legitimam perſonam . . Cardinalis . . ac Canonicorum, & Capituli*) *actores ex parte una; & Rev. in Chriſto Patrem, & Dominum Abbatem, & Vicarium prælib. vice, & nomine ſuo, & dicti Vicariatus officii, ac cappellæ, & parochialis eccleſiæ S. Sylveſtri de Tranſtib. juxta portam Septimianam, & Parochianos dictæ parochialis eccleſiæ tunc vacantis, ac Antonium Magiſtri Pauli Notarium de regione Arenulæ, Procuratorem, ac defenſorem d. parochialis eccleſiæ . . de ſupradictarum partium voluntate, auctoritate, & conſenſu per ſupradictum Dominum Vicarium ſpecialiter deputatum, cujus deputationis manu Bonedotæ publici Notarii patet publicum inſtrumentum, reos ex parte altera* &c. Ex his aperitur, verè Alenconium, ubi in Epiſcopum Hoſtienſem ſublectus eſt, tamquam Commendatarium, adminiſtratoremve Calliſtiano Titulo præfuiſſe &c.

Digitized by Google

nifacii PP. VIIII. prædicti anno VIII. præſentibus ibidem Venerabili Patre Dño *Angelo Abbate Monaſterii S. Mariæ de Rivaldis Magiſtro Cappellæ D. N. Papæ prædicti*, & honorabilibus viris Magiſtro Antonio Georgii Marigonis Medico Romano de reg. Tranſtiberim, Paridano Piſtori litterarum Apoſtolicarum ſcriptore, Jacobo de Marmorariis de t . . Clerico Henrico de Warous Subdiacono, Godefrido de Govendorp Canonico Niemburgenſi, Arnoldo de Saranco, Willemo Middellherc clerico, & Robino Alani de Loconeris laico Leodien. & Ebroicen. diœceſis, teſtibus ad præmiſſa vocatis pariter & rogatis.

Si † gnum Et ego Georgius de Pala de Brugis, Clericus Tornacenſis, publicus Apoſtolica auctoritate Notarius, præmiſſis revocationi, & caſſationi, ac dicti teſtamenti ſeu ultimæ voluntatis conditioni, & ordinationi, inſtitutioni, executorum conſtitutioni, poteſtatis dationi, omnibuſque aliis, & ſingulis, dum, ſicut præmittitur, per Rmum in Chr. Patrem, & Dñum Philippum Cardinalem teſtatorem præfatum agerentur & fierent, una cum Symone Notario publico, & teſtibus infraſcriptis præſens interfui, & omnia, & ſingula ſic fieri vidi, & audivi, ac in notam recepi, & exinde hoc præſens publicum inſtrumentum per alium, me legitimè occupato, fideliter ſcriptum confeci, publicavi, & in hanc publicam formam redegi, ſignoque, & nomine meo ſolito & conſueto ſignavi una cum appenſione ſigilli ejuſdem Cardinalis & teſtatoris, ac ſubſcriptione Notarii ſupradicti rogatus, & requiſitus in fidem & teſtimonium omnium, & ſingulor. præmiſſorum.

Si † gnum Et ego Simon Franconis de Monte S. Wiberti, clericus Leodienſis diœceſis, publicus Apoſtolica, & Imperiali auctoritate Notarius, quia præmiſſis omnibus & ſingulis, dum ſic, ut præmittitur, per Rmum in Chr. Patrem, & Dñum Philippum Cardinalem, & teſtatorem præfatum agerentur, & fierent una cum Magiſtro Georgio de Pala Notario prædicto, & teſtibus infraſcriptis præſens interfui, eaque omnia, & ſingula ſic fieri vidi, & audivi, in notamque recepi, & exinde hoc præſens publicum inſtrumentum per alium, me aliis occupato negotiis, fideliter ſcriptum confeci, publicavi, & in hanc formam publicam redegi; hic me propria manu ſub-

ſubſcripſi, ſignoque & nomine meis ſolitis & conſuetis ſignavi una cum appenſione ſigilli ejuſdem Cardinalis & teſtatoris, ac ſubſcriptione Notarii ſupradicti rogatus, & requiſitus in fidem & teſtimonium omnium, & ſingulorum.

V.

Literæ Eugenii PP. IV. contra expilatores Palatiorum S. Chryſogoni, & S. M. trans Tyberim.

Ex autographo apud idem archivum.

EUGENIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Dilectis filiis Magiſtro Petro Nardo Cappellano, ac ſacri Palatii Auditori, *& Rodulpho Ordinis Heremitarum minori Pœnitentiario, necnon Thomæ* (1) *Canonico S. Mariæ Tranſtiberim de Urbe Commiſſariis noſtris. Salutem, & apoſtolicam benedictionem.*

CUM, prout notorium eſt, poſt diſceſſum noſtrum ab Urbe nonnulli Romanorum, inſtigante inimico generis humani, dati in reprobum ſenſum, ad palatium tunc noſtræ (2) reſidentiæ, videlicet S. Mariæ Tranſtyberim prædictæ, necnon ad S. Chryſogonum, quæ tunc domus erat dilecti filii Franciſci Tit. S. Clementis Presbyteri Cardinalis, Camerarii noſtri, impiè procurrentes bona noſtra, & Romanæ Eccleſiæ, ac dicti Camerarii, quæ inibi erant, hoſtiliter diripientes prædæ & rapinis expoſuerint, ac propterea varia incurrentes crimina, & ſacrilegia diverſis ſe cenſuris eccleſiaſticis implicaverint: Nos ipſi Eccleſiæ, cui licèt immeriti, auctore Dño, præſidemus, necnon ſaluti animarum conſulere intendentes, devotionibus veſtris, & veſtrum cuilibet in ſolidum, de quorum fidelitate, & prudentia ſpecialem in Dño fiduciam obtinemus, omnia & ſingula hujuſmodi bona, & de omnibus & ſin- *V. Par. 1. ſect. 6. §. 6. nota g.*

(1) Thomas hic *Marrocinus* cognominatur paſſim in aliis chartis opportunius promendis.

(2) Confirmatur hinc, quod ait Volaterranus in anthropologia, ſeu lib. 12. commentarior. Urbanor. hoc eſt, Eugenium IV. habitaſſe *apud baſilicam Virginis Mariæ trans Tyberim*, & Ciacconius in ejus vita, fugatum fuiſſe *e palatio S. Mariæ trans Tyberim* &c.

ſingulis hujuſmodi bonis inquirendi, recuperandi, & recipiendi ab omnibus & ſingulis perſonis utriuſque ſexus, cujuſcumque gradus, ſtatus, & conditionis exiſtant, & eos de receptis dumtaxat quitandi, & finiendi, necnon a vinculis excommunicationis, quam ipſo facto, ſeu per ſententiam, propterea incurriſſent, liberandi, & abſolvendi, injungendo ipſis pro hujuſmodi commiſſis pœnitentiam ſatutarem, necnon in omnibus eccleſiis, & apud omnes eccleſias omnes & ſingulos detentores hujuſmodi bonorum ex parte noſtra publicè coram populo per vos, vel alium monendi, ut infra competentem terminum, quem duxeritis præfigendum, ea vobis noſtro nomine recipientibus reſtituant, & revelent, ac de ipſis plenam & debitam ſatisfactionem impendant; &, ſi id non adimpleverint, ex tunc in eos generalem excommunicationis ſententiam proferendi, a qua, niſi per Sedem Apoſtolicam, abſolvi non poſſint, plenam & liberam tenore præſentium in Domino concedimus facultatem. Datum Piſis anno incarnat. Domin. MCCCCXXXIV. XV. Kal. Julii Pontificatus noſtri anno IV.

Loco ✝ plumbi A. de Florentia.

VI.

Literæ Martini PP. V. pro ſervando privilegio quodam Tituli S. M. trans Tyberim.

Ex archivis ſecreto apoſtolico-vaticano, & præcitato.

MARTINUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Venerabili fratri Epiſcopo Tiburtino. Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

V. P. 1. ſect. 7. §. 8. *nota* c.

JUSTIS, & honeſtis ſupplicum votis libenter annuimus, illaque favoribus proſequimur opportunis. Expoſuit ſiquidem nobis nuper dilectus filius noſter Raynaldus (1) Sancti Viti in macello Diaconus Cardinalis, eccleſiam Beatæ Mariæ in Tranſtyberim de Urbe ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ obtinens

(1) Brancatius, Neapolitanus, creatus Cardinalis ab Urbano VI. V. Ciacconium, Contelorium &c.

nens in Commendam, quod, licèt in quadam piſcaria fluminis Tyberis circa regionem Tranſtyberim de Urbe, ab omni cenſu & ſervitute libera, ad Presb. Cardinalem Tituli S.Mariæ in Tranſtyberim pro tempore exiſtentem, & dilectos filios ejuſdem eccleſiæ Capitulum legitimè pertinente, diverſi *piſces*, etiam pro tempore ſteriones, capiantur, occaſione quorum iidem Cardinalis, & Capitulum alicui, cujuſcumque conditionis fuerit, piſcem, ſeu illius partem, cujuſcumque quantitatis præfati piſces exiſterent, dare, ſeu exhibere non conſueverint, a tempore, cujus contraria memoria non exiſtit; tamen dilecti filii Conſervatores ejuſdem Urbis, aſſerentes eis id licere juxta quædam ſtatuta per Laicos ipſam Urbem tunc regentes deſuper edita, quibus inter alia caveri dicitur, quod capita quorumcumque piſcium in dicta Urbe venditorum, certam menſuram tunc traditam in longitudine excedentium, ipſis deberentur, venditores piſcium ex eadem piſcaria receptorum ad tradendum eis capita hujuſmodi compulerunt, & laicali potentia extorſerunt in eccleſiaſticæ libertatis vilipendium, necnon Cardinalis, & Capituli prædictorum non modicum præjudicium atque damnum. Quare dictus Raynaldus Cardinalis nobis humiliter ſupplicavit, ut providere ſuper hoc de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, vocatis præfatis Conſervatoribus, & aliis, qui fuerint evocandi, ſi piſcariam prædictam liberam fore inveneris, & de piſcibus, cujuſcumque quantitatis exiſterent, qui in ea pro tempore capiuntur, præfatis Conſervatoribus juxta conſuetudinem antiquam nil dari, ſeu exhiberi conſueverit, eamdem conſuetudinem auctoritate noſtra facias inviolabiliter obſervari, non permittens deinceps Cardinalem, & Capitulum, ac venditores prædictos deſuper quomodolibet moleſtari, contradictores eadem auctoritate, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus, ſi præfatis Conſervatoribus, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romæ apud Sanctos Apoſtolos IV. nonas Junii Pontificatus noſtri anno IX.

VII. Li-

VII.

Literæ Nicolai PP. V. ſuper eodem privilegio.

Ex iiſdem archivis.

NICOLAUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Dilectis filiis Capitulo eccleſiæ S. Mariæ in Tranſtyberim de Urbe, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

V. Ibidem. Ad ea ex Apoſtolicæ ſervitutis officio libenter intendimus, per quæ cunctarum, præſertim almæ Urbis, eccleſiarum, ac in eis Altiſſimo famulantium perſonarum omnium favores & commoda procurantur, ac iis, quæ propterea proceſſerunt, libenter, cùm a nobis petitur, adjicimus Apoſtolici muniminis firmitatem. Dudum ſiquidem fel. rec. Martino Papæ V. Prædeceſſori noſtro pro parte veſtra expoſito, quod, licèt in quadam piſcaria fluminis Tyberis citra regionem Tranſtyberim de Urbe, ab omni cenſu & ſervitute libera, & ad Presbyterum Cardinalem Tituli eccleſiæ veſtræ pro tempore exiſtentem, & vos communiter pertinente, diverſi *piſces*, etiam Storiones, caperentur, occaſione quorum idem Cardinalis, & vos alicui perſonæ, cujuſcumque conditionis foret, piſcem, ſeu illius partem, cujuſcumque quantitatis piſces exiſterent, a tanto tempore, cujus contrarii memoria non exiſtebat, dare, ſeu exhibere minimè conſuevistis, tamen Conſervatores Cameræ dictæ Urbis aſſerentes ex certis cauſis eidem capita quorumcumque piſcium certam menſuram excedentium deberi, venditores piſcium ad tradendum ſibi capita hujuſmodi compellebant potentia laicali, idem Prædeceſſor bo.me. Sancto (1) Epiſcopo Tiburtino, ejus proprio nomine non expreſſo, ſuis dedit litteris in mandatis, quod, ſi, vocatis eiſdem Conſervatoribus, & aliis, qui forent evocandi, piſcariam prædictam liberam eſſe repereret, & de piſcibus, cujuſcumque quantitatis exiſterent, qui in ea caperentur, eiſdem Conſervatoribus juxta antiquam conſuetu-

(1) Tyburtinam regebat eccleſiam, Martino V. Pontifice, *Sanctes de Cavis*. V. Ughellii to. I. Ital. ſacr. in Epiſcopis Tyburt. num. 37. edit. I.

tudinem nihil dari, ſeu exhiberi conſueviſſet, eamdem conſuetudinem auctoritate Apoſtolica faceret inviolabiliter obſervari, nec permitteret Cardinalem, Capitulum, aut venditores prædictos deſuper quomodolibet moleſtari, prout in dictis litteris pleniùs continetur. Poſtmodum verò, ſicut exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, præfatus Epiſcopus ad earumdem litterarum executionem ritè procedens, quia expoſita hujuſmodi reperit fuiſſe vera, eamdem conſuetudinem mandavit inviolabiliter obſervari. Quare pro parte dilecti filii noſtri Johannis (2) ejuſdem Tituli Presbyteri Cardinalis, ac veſtra, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut præmiſſa omnia & ſingula, ne ſuper illis aliqualiter inpoſterum moleſtari poſſitis, ratificare, & approbare, eidem quoque Cardinali, ac vobis, quod inpoſterùm perpetuis futuris temporibus de *piſcibus*, qui in piſcaria, ſeu flumine prædictis, incipiendo a mœnibus dictæ Urbis per curſum, ſive alveum medietatis dicti fluminis pelagus nuncupatum, cum omnibus ſuis mollibus nominatum uſque ad locum, qui dicitur organa incluſivè, ubi columna quædam marmorea pro termino fixa eſt deſcendendo, piſcem, ſeu partem, cujuſcumque menſuræ, ſeu quantitatis fuerint, eiſdem Conſervatoribus, ſive aliis perſonis dare, & exhibere minimè teneamini, concedere, ac aliàs vobis ſuper iis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur de præmiſſis certam notitiam obtinentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, volumus, & Apoſtolica auctoritate vobis concedimus, quod de quibuſcumque piſcibus ſtorionibus, qui tam in piſcaria, quàm in flumine ſupradictis, in locis ſuperiùs deſignatis, inpoſterùm capientur, cujuſcumque quantitatis, & menſuræ, Conſervatoribus, ſive aliis perſonis, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, vel conditionis fuerint, capita, ſeu partem eorum, aut pro eis datium, ſeu gabellam dare, vel ſolvere minimè teneamini, vos a capitum, & gabellarum hujuſmodi præſtatione eximimus, & perpetuò liberamus. Non obſtantibus quibuſcumque ſtatutis dictæ Urbis, etiam confirmatione Apoſtolica roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis, exemptionis, liberationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem

Y y hoc

(2) *De Turrecremata*, ut ex innumeris aliis documentis, & vulgatis hiſtoriis.

hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationisDominicæ milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſecundo, nonis Aprilis, Pontificatus noſtri anno ſexto.

VIII.

Donatio quorumdam jurium in Tyberi.

Ex autographo membranaceo apud cit. archivum S. M. T.

V. Par. 1. ſect. 10. §. 4. nota b.

IN nomine Dñi. Anno ſecundo Pontũs Dñi Alexandri ſecundi PP. indict. 1. menſe auguſto, die ſeptima. Si aliquid ex noſtris facultatibus, & locis Sanctorum, vel in ſubſtantiis pauperum offerre voluerimus, procul dubio in æterna beatitudine retribuere confidimus, & etiam complevimus præceptum Domini, quod ipſe juſſit; date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Et ideo ego Maria nobilis fœmina relicta olim quondam Johannis de Rodulfo viro meo, ſeu Barone nobili viro filio meo a præſenti tm̃ die donamus, cedimus, tradimus, & irrevocabiliter largimur, ſimulque concedimus propria noſtra ſpontanea voluntate tibi, Beata Dei Genitrix Virgo Maria, & leganus ad eccleſiam tuam, quæ eſt ſita in regione Tranſtiberim in Tituli Calixti, in qua degere videtur Dñus Arnulphus religioſus *Archipresbyter, & Canonicus cum Clero Presbiterorum Canonicorum* ibi degentium, & Deo ſervientium, qui pro Chriſtianorum animabus diebus, & noctibus exorare, vel preces fundere ad Dominum non ceſſabunt. Donamus namque in tua ſacra ſancta eccleſia pro omnipotentis Dei amore, & redemptione animæ noſtræ, vel pro redemptione animarum omnium parentum noſtrorum, omniumque venia delictorum, quatenus a miſericordiſſimo Dño Deo noſtro aliquantulum veniam, & indulgentiam accipere mereamur de noſtris criminibus & peccatis, & mereamur audire vocem, quæ in Evangelio dicit: Venite Benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum: quod uni ex minimis meis feceritis, mihi feciſtis. Ideoque donamus in tua ſacra ſancta eccleſia, ideſt, unã miñ principalis noſtris, & dimidiam de piſcaria ... quæ dicitur piatana, & induma, quæ ad piſces capiendi, & cum introitu & exitu ſuo, vel cum om-

omnibus ad eas pertinentibus poſit. in fluvium Tiberis, a parte Tranſtiberim, modicum longè a ponte fracto, & ipſa denique piſcaria, quæ vocatur piatana affin. & ad totam eamdem piſcariam, a primo latere piſcaria, quæ vocatur clavaca, a ſecundo latere pelagus fluvius, a tertio latere piſcaria eccleſiæ S. Agathæ, & a quarto latere piatana reterium hæredis quondam Luponenii juris tui exiſtent. ipſa una mĩn & dimidia nobis pertinere, & parte, quod ſcriptus Johannes de Rodulfo ita eas in tua ſacra ſancta eccleſia offerimus, & donamus, & hanc donationem irrevocabiliter ibidem tradidimus. Hæc omnia ſic ſcripta legimus a præſenti tĩũ die pro omnipotentis Dei amore, & redemptione animæ noſtræ, & de quomdam parentum noſtrorum in uſum & ſalarium tuæ ſanctæ eccleſiæ tui ſervitores habeant, & fruantur, atque poſſideant in ſeculum ſeculi. Sed interdicimus, ut unquam in tempore nullus Pontifex, aut Epiſcopus, vel Presbyter, aut qualibet ſanctione ſive laicus, magna, vel parva perſona, eamdem piſcariam non habeant licentiam vendere, aut donare, vel locare, ſive commutare, vel qualibet licentia alienationem facere; & ſi aliquod contractum exinde factum fuerit, vacuum, & irritum fiat, & licentiam habeant pplares tuæ ſanctæ eccleſiæ jure, & dominio tuo per omnia repetere, & vindicare, ſin autem pplares hoc dimiſerint facere, licentiam habeant hæredes noſtri ad utilitatem tuæ ſanctæ eccleſiæ eas vindicare, & omnes allegationes confringere, & evacuare, & in perpetuum ibidem conſiſtere. Si quis verò contra hanc cartulam venire temptaverit, aut illam corrumpere, vel frangere maluerit, divina ultio ſubſequatur, & ſicut Dathan, & Abiron hiatu terræ abſorpti ſunt, ſic iſte in infernum deſcendat, & inſuper componat pro ſervitoribus tuæ ſanctæ eccleſiæ auri optimi uncias tres, & poſt pœnam abſolutam hæc cartula firma permaneat. Quam ut ſcriberet, rogavit Petrum Scriniarium S. Rom. Eccl. in menſe & indict. ſupraſcripta prima.

Signum a manu ſupraſcript. Maria, ſeu Barone mater, & filio, & rogatori, atque donatori.

Romano Baldella, Cencio Dercebizo, Guido de Johannis de Donato, Johannes Guidone nepos de ſupraſcripto Romano Baldella, Johannes fil. Johannis de Acco †

Si † gnum Ego Petrus Scriniarius complevi & abſolvi rogat. &c.

IX.

Locatio Caſtri Orciani.

Ex membrana, & veteri apographo apud d. archivum.

V. Ibidem.

IN nomine Domini. Anno Dominicæ incarnationis milleſimo nonageſimo ſeptimo, indict. VI. menſ. Novembris die verò VI. Cùm legibus cautum ſit, nihil eſſe tam conveniens naturali æquitati, quàm ea, quæ placuerint inter homines cuſtodire... itaque placitiora hominum ſcripta apparere, ne temporum longinquitate oblivioni tradantur. Placuit igitur, atque convenit inter Dñum Bonifilium Archipresbiterum venerabilis eccleſiæ S. Mariæ Dei Genitricis, atque Virginis in Tranſtiberim, quæ vocatur tt. Calixti, fundenſque oleum, *conſentientibus Clericis ejuſdem eccleſiæ*, & Robertum, & Faſſonem filium Arnulphi, & Cintium, & Johannem, & Gregorium germanos fratres filii Roberti, & Rifredum, atque Guidonem germanos fratres cum Johanne, & Berta filiis Petri bonæ memoriæ eorum germani, ut prædictus Archipresbiter locaret, precarióque concederet omnibus legitimis filiis, & nepotibus maſculis tantummodo prædicti Roberti, & Faſſonis, necnon Gregorii fratris eorum, quorum ipſe Robertus, & Faſſo curatores erunt, necnon filiis, & filiabus legitimis, atque nepotibus Cintii Johannis Gregorii, ſeu filiis legitimis, & nepotibus Rifredi, & Guidonis maſculis tantummodo, & filiis, & filiabus legitimis, nepotibus, & neptibus Johannis, & Bertæ vita illorum tantummodo, hoc eſt de futuris filiis, & nepotibus prædictorum hæc locatio.... neque extendatur, neque renovetur; ſed omnia ſubſcripta ad prædictam venerabilem eccleſiam revertatur ſine mora vel dilatione prædictæ S. Mariæ Tranſtiberim, unum Caſtrum, quod vocatur (1) Orcianum, vel ſi quibus aliis vocabulis nuncupatur una cum omnibus ſuis fundis cum omnibus terris ſementaritiis, rivis, pantanis, ligneis caſtagnetis, cum paludibus ſtropetibus ſuis, pratis, vineis, ortis, molendinis aquæ perennis, ædificiis, & griptis, cum montibus, collibus,

(1) Orciani rudera, ac territorium poſſidentur modò a familia Burgheſia, cum qua diutiſſimè certatum eſt ejuſdem recuperandi cauſſa a Canonicis S. Mariæ Transtyberim. At de caſtri hujuſce fortuna, aliiſque ad illius notitiam attinentibus latiſſimè in hiſtoria baſilicæ &c.

bus, plagis, & planitiis, & parietibus ſuis, cum omni ſuo placito, & diſtricto, cum omnibus ſuis juribus, & utilitatibus, cum introitibus, & exitibus ſuis, & omnibus eidem pertinentibus, poſitum foris portam Sancti Petri Apoſtoli territorio Collinenſe. Qualiter prædictæ eccleſiæ competunt, taliter autem locavit, & precariò conceſſit prænominatus Archipresbiter præſcriptis perſonis diebus vitæ eorum tantummodo, ſalvo tenore, ſalvaque omni conditione antiquioris eccleſiæ, quam Falco (2) mitiſſimus Cardinalis exinde fecit coram Cintio Urbis Præfecto, & Orgiſo Dativo Judice. Hoc tantùm deminuto de eadem chartula, quia per eamdem locationem debebant reddere tres ſolidos denariorum papienſium, nunc perſolvant duodecim denarios, & hoc addito, quod locatio, quæ erat in perſona patrum, & filiorum nominatis, & titulatis, nunc, dimiſſis patribus, ſit in perſonis filiorum, & nepotum, ſicut dictum eſt. Pro hac denique locatione prædictus Robertus cum fratribus, & prædictus Cintius cum fratribus, & filiis fratris dederunt, & refutaverunt eccleſias conſtitutas eidem Caſtello intus, vel de foris prænominato Archipresbitero, ſcilicet eccleſiam (3) S. Mariæ in caſtello, & eccleſiam S. Mariæ in Traſpadana, et eccleſias S. Stephani, et S. Marinæ in plano, & S. Johannis in Montaniano cum omnibus pertinentiis, et decimis, & oblationibus, quæ ibidem a fidelibus offeruntur, ſicuti continetur in cartula, quam exinde fecerunt. Idcirco prædictæ perſonæ prænominatum Caſtellum cum omnibus ſuis pertinentiis diebus vitæ eorum

(2) Cardinalis *Falci*, ſeu *Falconis* (cujus notitia ſuppleri poterit hiſtoria Cardinalium) mentio fit in chartis anni 1076. & 1077. pertinentibus ad monaſterium SS. Coſmæ & Damiani Tranſtyberinum, quod tanquam Rector (ut in iis innuitur) ſeu Abbas regebat. Hæc notat pagina 28. ms. codicis confecti an. 1607. ſervati apud ejuſdem cœnobii Moniales, ac præſcripti: *Libro delle antiquità del ſacro monaſterio di S. Coſmato di Suor Orſola Formicini Abbadeſſa*. Ceterùm in membrana donationis domus extante in cit. tabulario S. Mariæ trans Tyberim hæc de *Falcone* Card. leguntur: *In nomine Domini an. III. Gregorii VII. ind. XIV. menſis Octobris die XII. Nos quidem Falcus Cardinalis ven. eccl. S. Mariæ, quæ appellatur Callixti Tranſtyberim, & Joannes, qui vocor Urſo, Presbyter ſecundo conſ. Presbyteri, & Clerici ejuſdem eccleſiæ hac die, nullo prohibente, nec contradicente, donamus, & irrevocabiliter tradimus* &c. Sequitur conceſſio domus. Ad calcem: *Falco S. R. E. Cardinalis confirmo. Joannes, qui Urſo vocor, ſecundo Presby. ſcripſi, & confirmavi. Petrus tertio Presb. ſcripſi, & confirmavi*. Sequuntur trium teſtium ſubſcriptiones &c.

(3) Fortè hinc eccleſiaſtica hiſtoria diœceſeon civitatis Caſtellanæ, aut conterminæ Portuenſis, illuſtrari poterit.

rum obtineant poſſeſſionem, & ad meliorem cultum perducant: & omni anno in feſtivitate S.Mariæ in ſancta eccleſia prænominata penſionem, ſcilicet xii. denariorum, perſolvant: ipſis quoque defunctis, prædicta omnia in eccleſia S. Mariæ ſita in Tranſtiberim, cujus juris eſt, proveniant. Siqua verò pars contra fidem hujus placiti venire temptaverit, componat pars infidelis parti fidem ſervanti, tres auri boni libras pro pœna perſolvat, & ſoluta pœna, maneat hæc locatio firma uſque ad ſuum tempus. De qua re duæ ſcriptæ ſunt cartulæ uno tenore per manus Gerardi Scriniarii ſanctæ Romanæ Eccleſiæ juſſu, & rogatu ambarum partium in menſe, & indictione ſupraſcripta ſexta.

Signum manus ſupraſcripti Roberti, & Faſſonis, qui tam pro ſe, quam pro filiis Gregorii . . . fratris fieri rogat.

Signum manus ſupraſcripti Cintii, Johannis, & Gregorii hujus cartulæ rogatus.

Signum manus ſupraſcripti Rifredi, & Bertæ hujus cartulæ rogatus.

Cencius de Presbitero Leone teſtis. Theodorus de Gregorio de Theodoro teſtis. Bernardus de Carlecto teſtis. Bruſcus de Pagano teſtis. Cencius de Pizo de Stabla teſtis. Petrus frater ejus teſtis.

Si † gnum Ego Gerardus Scriniarius Sctæ Romanæ Eccleſiæ complevi, & abſolvi &c.

X.

Locatio Modiorum aliquot terræ.

Ex membrana apud idem archivum.

V. Par. 2. ſect. 4. n. 15. IN nomine Dñi Dei Salv. Jeſu Xpi. Anno Dei propitio, Pontus Dñi Johannis (1) Summi Pontificis, & univerſalis PP. in Sacratiſſima Sede B. Petri Apoſtoli menſe die indictione xii. Quiſquis actionibus venerabilium locorum præeſſe dignoſcitur, incunctanter eorum utilitatibus, ut proficiant,

(1) E ſtylo hujus inquinatiſſimè conſcriptæ chartæ; quam conferet lector cum narratis n. 470. libri Pontif. in Gregorio IV., ex vocibus, *Miſſus*, & *Apocriſarius*, ex formulis, & nuncupatione monaſterii S. Mariæ, & Cornelii, ac Monachorum colligerem, Johannem hunc fuiſſe Pontificem laudato Gregorio valdè proximum. Fuit forſan Johannes VIII. ad cujus annum vii. (niſi fallor) incidit indictio xii.

ficiant, cum ſumma diligentia procurent, feſtinent. Placuit igitur cum Xpi auxilio, atque convenit inter Leonem primum Miſſum, & Apocriſarium Scte ſumme Sedis Apoſtolice, & Abbatem venerabilis monaſterii Scte Marie, & Scti Cornelii, qui appellatur Calixti Tranſtiberim, vel a cunta *Congregatione Servorum* (2) *Dei*, et e diverſe egregius vir clariſſimus Comes; ut cum Dño adjutorium ſuſcipere debead a predicto Leone primo Miſſo, et Apocriſario Scte ſumme Sedis Apoſtolice, Abbate venerabilis monaſterii Scte Marie, & Scti Cornelii, qui appellatur Calixti tranſtiberim, vel a cunte *Congregatioue Servorum Dei* de pto veñ monaſterio, qui & ſuſcepit conductioni &c. ideſt terra ſem. modiorum plm̃ octoginta cum arboribus pomiferis, fructiferis, vel infructiferis diverſis genere, cultum vel incultum; omnia et in omnib.... dicte terre ſemin. generaliter, et iñin pertinentibus poſit. via Flaminea, quæ vocatur campana mil. ab urbe Rome plm̃ xxv. in territorio Collinenſe in fundum, qui appellatur Orcianũ, et inter affines ab uno la fundi, qui appellatur Macanum, et ab alio latere terra pti et caſtagneto, et ſupra via terra de hered. Sergii qñdã numculatoris, et Ipacie qñdã germanis fratribus, et a tertio latere foſſato, pro quibus deſcendit aqua, quæ venit in predictum fundum, qui appellatur Maccanum, et aquareola limite, qui dicitur latũ, terra de hered. pti Sergii qñdã numculatoris, et Ipacie germanis fratribus ipſius predicti veñ monaſterii Scte Marie, et Scti Cornelii, qui appellatur Calixti tranſtiberim. Itaut ſuo ſtudio, ſuoque labore ptus vir clariſſimus Comes terra ſem̃. modior. octoginta cum arboribus ſuis, quæ eſt in fundum, qui appellatur Orcianũ, in omnibus tenere, et poſſidere debead, et, Deo juvante, cultum perducat ſibi, ſuiſque profuturo uſque in tertiam generationem, hoc eſt, ipſius predictis filiis, nepoteſque ex filiis legitimis procreati, quĩ ſive filii, ſive nepotes minime fuerint, uni etiam extraneã perſonã, cui voluerit, relinquendi habita liceñ, excepto piis locis, vel public nũm mil, ſeu bandos, ſervata dumtaxat in omnibus pro proprietate predicti veñ monaſterii, pro quo, et pta terra ſeminatoria modiorum plm̃ octoginta cum arboribus ſuis, quæ eſt in fundum, qui appellatur Orcianũ, & cum omnibus ad eam pertinentibus dare, atque interre de-

(2) Simpliciter (ut hic) *Dei Servi* appellantur Clerici uno ſub tecto Deo ſervientes a S. Baſilio Magno ep. 372. &c.

debead pto egregio Comiti,heredeſque ejus rationibus predicti veñ Monaſterii Scte Marie, & Scti Cornelii, qui appellatur Calixti tranſtiberim, ſingulis quibuſque annis ſine aliqua mora,vel dilatione pens. nom auri ſol. decem: completa vero tertia generatione, ut ſuperius legitur, etiam terra ipſa ſem capacitatis modiorum plm octoaginta,ſicuti fuerit culta et meliorata, ad jus ſepedicti veñ monaſterii, cujus eſt proprietas.... modis omnibus revertatur, ut, quiſquis ejuſdem veñ monaſterli curam geſſerit, iterum locandi, quibus maluerit, liberam habead ſine aliqua ambiguitate licentiam. De qua re, & de quibus omnibus pti jurantes dicunt utramque partem, qui Deum omnipotentem, Sanctamque Sedem Apoſtolicam, ſeu ſalutem venerabiliſſimi, & Apoſtolici Dñi Johannis Pontificis, & univerſalis PP Set hæc omnia, quæ pñs hujus cartule ſcripte textum eloquitur,inviolabiliter conſervare,atque adimplere promittunt. Quod ſi quiſquam eorum hujus placiti conventionique chartule in totum partemve ejus quolibet modo venire cõ ... perjurii reatum incurrant, verum etiam daturis ſe, heredes ſucceſſoreſque ſuos promittunt pars parti fidem .. ante omne litis initium pene nom auri unc.vi. obritiam, & poſt pene abſolutionem hujus chartule ſeries in ſua nihilominus manead firmitate. Has autem duas uniforme conſcripta chartula michi Stefanus in Dei nomine Conſul ex memoriali urbis Romæ ſcribendam pariter dictaverit,eamque propriis manibus roborante, teſtis a ſeſe rogatis obtulerit ſubcribendam, & ſibi invicem tradiderit ſub.. & ſponſione ſolemniter interpoſita. Actum Romæ die anno Pontificatus, & indictione ss xii.

Leo humilis miſſus, & Apocriſarius ſumme Sedis Apoſtolice, atque Abbas veñ Monaſterii, qui appellatur Calixti tranſtiberim, propria manu ſubſcripſi.

Pollubronius Presbiter, & Actionarius veñ Monaſterii, qui appellatur Calixti tranſtiberim, conſenſi, & ſubſcripſi.

Leo Monachus veñ Monaſterii Scte Marie, & Scti Cornelii, qui appellatur Calixti tranſtiberim, conſenſi, & ſubſcripſi.

Beñ viro magnifico teſtis. Demetrius Clericus reveritiſſimus teſtis. Leone in Dei nomine Conſul, & Dux teſtis.

Si † gnum Ego Gregorius Scrinarius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ hanc chartulam tertio con .. ſicut inveni ſcriptam a Stefanus Scriñ

Scriñ memoriali Urbis Rom̃ ſcript. in thomo vetuſto, & diſrupto & pene diſſipato rogatus a Dño Petro (2) Archipresbitero eccleſiæ Sanctæ Mariæ renovavi, & ad lucem perduxi.

(2) Hujus *Petri* meminit documentum producendum num. 20.

XI.

Enarratio translationis corporum duorum SS. MM.

Ex bibliotheca V. Cl. Julii Mandoſii, Equitis Proſperi F. to.4. miſcellan. mss. num. 9.

P R O C E S S I O N E (1)

V. Par.2. ſect.7. §.9. nota b.

Fatta nell' anno 1583. in Roma a di 15. di Settembre nella tralatione delli corpi de glorioſi martiri Abundio, & Abundantio dalla chieſa di S. Coſmo & Damiano poſta nel foro bovario alla chieſa nova della Compagnia di Gieſu.

IN primis la proceſſione ſe inviò alle hore 20. nel ſopradetto giorno dalla detta chieſa, & paſsò da S. Marco verſo S. Maria in via lata, & girò dal arco di Camigliano poi fino alla piazza della Minerva, dove voltò verſo caſa del Cardinal Matteo, & entrò nella ſtrada detta papale, & tirò giù alla nova chieſa ſontuoſiſſima di apparati del Gieſu; dove che furno detti SS. Corpi riceuti con gran pompa di ſuoni di trombe, piſari, muſica di voci, & altre ſorti de inſtrumenti, & con gran rumore di molte codette, che ivi appreſſo collocate erano a queſto effetto. Et detta proceſſione incominciò prima con li Orfani, & Religioni de tutti li Ordini. Appreſſo a queſto ſeguitorno li collegii; cioè tutti li ſcolari, che vanno alle ſcuole di detti Padri del Gieſù con ſue torcie bianche in mano con la teſta ſcoperta. Appreſſo a queſti ſeguitavano il collegio de' Ingleſi con ſue cotte bianche, & torcie acceſe con una ſuntuoſa muſica. Appreſſo queſti ſeguitavano li Germani pure con ſue cotte, & torcie: & a queſti ſeguiva il Seminario Romano pure con cotte, & torcie bianche, & muſica: poi ſeguirno ſino a trenta di quelli della Compagnia di Gieſù con cotte, & torcie: poi ſeguivano tutti li Curati, & Parrochiani di Roma con il *ſuo vexillo* avanti: *ora pro populo inter-*

(1) Baronius in notis ad M. R. ſub die 17. Septembris memorat ſollemnem hanc translationem; quin etiam teſtatur, nobilem ejuſdem hiſtoriam curis Patrum Societatis Jeſu cum ipſorum SS. Paſſione fuiſſe editam, quam nondum videre potui.

veni pro Clero: con ſue torcie; appreſſo queſti ſeguivano le Collegiate *juxta ſuas præcedentias*, tutti con torcie bianche in mano cantando: & doppo queſti ſeguivano alquanti Padri del Gieſù con torcie, & ſue cotte. Appreſſo ſeguivano le tre Patriarchali, cioè, S. Maria maggiore, S.Pietro, & S.Giovanni Laterano, tutti con torcie in mano, & loro muſiche & vexilli avanti, cantando di belli mottetti in laude di detti glorioſi Martiri. Doppo detti Capituli ſeguivano circa trenta Padri del Gieſù parati con ſuperbiſſime pianete di drappo di varie ſorte con torcie bianche, & avanti queſti ſeguiva una gran muſica, & dipoi le trombe del populo Romano; in ultimo li glorioſi Martiri nel ſuo pheretro adobbato di drappo di una ſuntuoſa tela di oro, & ſotto a un baldacchino di tela d'oro in campo roſſo a otto baſtoni portato dalli Offitiali dell' inclito populo Romano, precedendo a queſti alquanti Prelati con ſuoi rocchetti, & torcie bianche in mano con la guardia de Svizzari di noſtro Signore, non altrimenti, che ſi uſa, quando ſi fa la proceſſione del Papa, con una gran comitiva da poi, che per acquiſtare la Indulgentia, che concedeva noſtro Signore Papa Gregorio XIII., di perſone dell' uno, & altro ſeſſo veniva. Le torcie, che in queſta proceſſione erano, arrivorno a 850. Le ſtrade ſudette erano tutte parate di tapezzarie, e maſſime la fabrica nova del Gieſù con epitaffii belliſſimi in tutte le lingue, verſi de tutte ſorte, alludendo al martirio di queſti SS. Martiri vi erano poſti.

XII.

Decretum S. R. C. ſuper exceptione Capitulorum S. M. trans Tyberim, & S. Laurentii in Damaſo agenda ad S. Petrum die S. Marci.

Ex apographo authentico apud idem archivum.

Urbis.

V. ibidem ſ. 23. IN cauſa vertente inter Capitulum S. Petri ex una, & Capitula S. Mariæ trans Tyberim, & S. Laurentii in Damaſo ex altera partibus de, & ſuper receptione duorum Capitulorum proximè dictorum in die feſto S. Marci capitulariter accedentium in Proceſſione ſolita celebrari una cum toto Urbis Clero ad eccleſiam S. Petri.

Sa-

Sacra Rituum Congregatio die 15. Aprilis 1606. audita relatione Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. Cardinalis Farneſii, cui hæc cauſa ad referendum ab eadem Sacra Congregatione commiſſa fuerat, omnibus rationibus hinc inde deductis maturè perpenſis, & conſideratis, de voto omnium, & ſingulorum Illuſtriſſimor. & Reverendiſſimor. DD. Cardd. in Congregatione præſentium, nemine eorum penitus diſcrepante, Decretum per modum proviſionis aliàs in eadem cauſa ab eadem Congregatione factum ſub die 19. Aprilis 1603. tamquam Decretum hujuſmodi cauſæ deciſivum in perpetuum obſervandum eſſe cenſuit: videlicet, quod proximè dicta duo Capitula S. Mariæ transTyberim, & S.Laurentii in Damaſo, illorumque Canonici eccleſiam S. Petri ingredientes Capitulum S.Petri, illiuſque Canonicos, detecto capite, decenter ſalutare debeant: ac viciſſim Capitulum, & Canonici S. Petri prædicta duo Capitula S. Mariæ, & S. Laurentii, illorumque Canonicos, dum ingrediuntur, ſimiliter detecto capite, & aliquantulum ab eorum ſedibus aſſurgendo reſalutare, & humaniter, atque honorificè, prout eccleſiaſticos decet viros, recipere debeant.

Hoc etiam addito, quod dicti Canonici S. Mariæ, & S. Laurentii, tranſactis Canonicis S. Petri, debeant etiam, detecto capite, ſalutare Beneficiatos, & Clericos ejuſdem baſilicæ S. Petri: & ipſi Beneficiati, & Clerici teneantur omnino aſſurgere, & ſtantes, detecto capite, reſalutare ipſos Canonicos S. Mariæ, & S. Laurentii.

Et de hujus Congregationis Sac. Rituum ſententia, & opinione facta relatione SS. D. N. Paulo PP. V. in conſiſtorio ſecreto per nos infraſcriptum Cardinalem Comenſem, Sanctitas ſua ſententiam Congregationis approbavit, laudavit, & omnino, ac ad unguem exequi mandavit, partibuſque ſuper præmiſſis perpetuum ſilentium imponi juſſit, & impoſuit. Non obſtantibus quibuſcumque, ſub pœnis, & cenſuris arbitrio Sac. Congregationis imponendis.

In quorum fidem præſentes per infraſcriptum ejuſdem Congregationis Secretarium fieri fecimus, & manu noſtra, propria ſubſcriptione, noſtrique ſoliti ſigilli impreſſione muniri juſſimus. Dat. Romæ in ædibus noſtræ ſolitæ habitationis die 15. Aprilis 1606.

Loco ✝ Sigilli P. Epiſcopus Oſtienſis Card. Comenſis
I. P. Mucantius Secret. Congregat.

 XIII.

XIII.

Literæ Clementis PP. VIII. uſum Cappæ amplæ concedentis Clero S. M. TransTyberim.

Ex autographo apud idem archivum.

CLEMENS PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

V. Par. 2. ſect. 8. §. 13.

IN ſupremo militantis Eccleſiæ ſolio divina diſpoſitione locati eccleſiarum omnium præſertim antiquitate, ac dignitate inſignium, illarumque miniſtrorum decori, ac venuſtati, prout ex debito paſtoralis officii obligamur, libenter intendimus, ac benignum deſuper favorem, quantum cum Deo poſſumus, impertimur. Sane, cùm eccleſia B. Mariæ trans Tyberim, quæ primam ſuam originem a S.Calliſto Martyre, atque Pontifice deducit, qui in ipſo loco, in quo taberna emeritoria alendis veteranis, laboribuſque confectis militibus deſtinata, atque fabricata olim fuerat, inſignis miraculi memoria, qua olei fontem uberrimum Cæſaris Auguſti temporibus inde fluxiſſe acceperat, adductus illam condidit, ac in honorem Beatiſſimæ Virginis Mariæ conſecravit, quæ poſtea a Julio primo in ampliorem formam redacta, & a Gregorio tertio reſtaurata, ac Innocentio ſecundo renovata, & Innocentio tertio, diverſiſque aliis Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris pluribus donis, & ſpecialibus indulgentiarum theſauris aucta, & dotata fuit, ac noſtris temporibus per dilectum filium noſtrum Marcum ipſius eccleſiæ Presbyterum Cardinalem ab Altaemps nuncupatum maxima impenſa, & ſumptuoſo opere ornata, atque illuſtrata cernitur, ob illius antiquitatem, inſignitatem, ac devotiſſimam ipſius Deiparæ Virginis imaginem de Clementia nuncupatam, inibi exiſtentem, & quamplura Sanctorum corpora, & ſingulares Reliquiæ, quæ inibi aſſervantur, valde inſignis exiſtat, cujus dilecti filii Capitulum *campanella, & xinichio ab antiquo tempore utitur*, & in qua duodecim Canonicatus, & totidem præbendæ, ac alia Beneficia, & quamplures miniſtri fore noſcuntur, & ad quam pro miſſis, & aliis divinis officiis, quæ inibi quotidie decenter celebrantur, audiendis maxima Fidelium

lium confluit multitudo. Nos cupientes, ut dicta eccleſia ſuorum membrorum nobiliori, ac digniori veſtitu amicta, & circumdata varietate, illiuſque miniſtrorum convenientibus gradibus diſtincta, ſe longè pulchriorem, & magis decoram glorioſiſſimæ Dei Genitrici, cui, ut præfertur, eſt ſpecialiter dedicata, exhibeat, volenteſque votis prædicti Marci Cardinalis, qui erga dictam eccleſiam ſingularem gerit devotionis affectum, nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantis annuere, illiuſque intuitu, & contemplatione, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, eidem Capitulo, ac pro tempore exiſtentibus dictæ eccleſiæ Canonicis, Beneficiatis, & Clericis, ac eorum cuilibet, ut cappa, etiam cum pellibus armellinis, & rocheto, ac cotta & rocheto, pro qualitate temporum uti, necnon cappam, & rochetum hujuſmodi in choro dictæ eccleſiæ, quando divinis interſunt, ac proceſſionibus, omnibuſque aliis capitularibus actibus tam intra, quàm extra eccleſiam pro tempore faciendis, & in quibus cum cotta tantùm hactenus intereſſe conſueverunt, ad inſtar eccleſiarum S. Johannis Lateranenſis, Principis Apoſtolorum, & B. Mariæ majoris de Urbe, earumque Canonicorum, Beneficiatorum, & Clericorum, deferre, & geſtare, cujuſvis licentia minimè requiſita, liberè, & licitè valeant, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium perpetuò de ſpeciali gratia indulgemus; eiſque, & cuilibet eorum, & pro tempore exiſtentibus dictæ eccleſiæ Canonicis, Beneficiatis, & Clericis plenam, liberam, & omnimodam licentiam, poteſtatem, & auctoritatem, eiſdem etiam auctoritate, & tenore etiam perpetuò concedimus, & impartimur: Decernentes præſentes literas ſemper, ac perpetuò validas, & efficaces exiſtere, ac eidem Capitulo, & Canonicis perpetuò ſuffragari debere, nec eoſdem Capitulum, & Canonicos ſuper præmiſſis a quoquam etiam ſimile indultum habente, quovis prætextu moleſtari, aut inquietari poſſe, neque debere; ſicque, & non aliter per quoſcumque Judices, quavis authoritate fulgentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, irritum quoque & inane quicquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate ſcienter, aut ignoranter contigerit attentari, non obſtantibus quibuſvis Apoſtolicis, ac in pro-

provincialibus, ſynodalibus, generalibus Conciliis editis, generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ eccleſiæ juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, ac literis Apoſtolicis S. Johannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum, ac B. Mariæ majoris eccleſiis præfatis, earumque Capitulis, contra præmiſſa, aut aliàs quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus & ſingulis, illorumque tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXVII. Maii MDLXXXXII. Pontificatus noſtri anno primo.

M. Veſtrius Barbianus.

XIV.

Literæ Bonifacii PP. IX. ſibi reſervantis oblationes quarumdam eccleſiarum.

Ex regeſto literar. ejuſd. apud cit. archivum ſecretum Apoſtolico-vaticanum.

V. Par. 2. ſect. 9. §. 9.

BONIFACIUS &c. Dudum attendentes, quod propter guerrarum turbines, quæ multipliciter invaluerunt, Camera Apoſtolica erat pecuniis exhauſta pro defenſione ſtatus Eccleſiæ ſponſæ noſtræ, omniumque ſubditorum noſtrorum, volentes ſuper iis de ſalubri remedio providere, ex præmiſſis, & aliis conſiderationibus animum noſtrum moventibus dimidiam portionem omnium, & ſingularum oblationum, quæ a Chriſtifidelibus, & aliis quibuſcumque pia largitione in baſilicis S.Salvatoris & Lateranenſi, ac S.Mariæ majoris de Urbe, & S. Laurentii extra muros ejuſdem Urbis, ac in earum altaribus, & in locis pertinentiarum earumdem baſilicarum...... infra dictas baſilicas exiſterent, quomodolibet offerrentur, aut erogarentur, nobis, & Cameræ Apoſtolicæ, auctoritate Apoſtolica, tenore aliarum literarum noſtrarum uſque ad noſtrum beneplacitum reſervavimus, diſtrictiùs inhibentes omnibus & ſingulis, ad quos perceptio oblationum hujuſmodi quo-

quomodolibet pertinebat, quatenus ſub excommunicationis pœna, quam contrafacientes incurrere volumus ipſo facto, & a qua, niſi dumtaxat a Romano Pontifice, præter quam in mortis articulo, non poſſent abſolvi &c. prout in eiſdem literis pleniùs continetur. Nos igitur attendentes, quod quotidie expenſarum onera nos ſubire oportet, pro quorum ſupportatione hujuſmodi dimidia dictarum baſilicarum non ſufficit, ac volentes dictæ Cameræ de alicujus ſubventionis auxilio providere, reſervationem hujuſmodi ad dimidiam portionem omnium, & ſingularum oblationum, quæ in Sanctæ Mariæ in Tranſtiberim, & S. Mariæ rotundæ eccleſiis de Urbe quomodolibet offeruntur, aut erogantur, cum inhibitione, & decreto, ac non obſtantibus etiam aliis in dictis literis contentis, auctoritate Apoſtolica extendimus per præſentes; ipſæque eccleſiæ proinde ſub hujuſmodi reſervatione includantur, ac ſi in prædictis literis expreſſæ, & nominatæ ſpecialiter extitiſſent. Nulli ergo &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud S. Petrum quinto Kalendas Aprilis Pontificatus noſtri anno undecimo.

XV.

Laciniæ quarumdam Literarum Honorii PP. III.

Ex archivo S. M. transTyberim.

HONORIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Dilectis filiis S. Mariæ (1) majoris, & S. Mariæ in Aquiro de Urbe Archipresbyteris. Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

Dilecti filii Capitulum eccleſiæ S. Mariæ Tranſtiberim nobis conquerendo notificarunt, quòd mortuo nuper *J. Presbytero cappellæ S. Silveſtri* pertinentis ad ipſos, Paro- V. Par. 2. ſect. 10. §. 12. nota c.

(1) Quum duo hic indicati Archipresbyteri abſque ulla diſtinctione gradus nominentur, & incredibile ſit, Archipresbyterum S.M. in Aquiro fuiſſe Cardinalem, apparet, Archipresbyterum S.M. majoris tali nondum dignitate, aut ſaltem, quem Honorius interpellat, non reſulſiſſe. Quod qua ratione conciliari poſſit cum opinione de Archipresbyteris Cardd. antiquioribus, quos Paullus de Angelis conſtituere videtur apud præfatam Liberianam baſilicam lib. 3. cap. 3. pag. 30. & 31. ſolvant alii. Nos circa hoc latiùs in tractat. de Hierarchia &c.

rochiani ejuſdem cappellæ ad eam temerè accedentes libros; & res alias ibidem inventas exinde . . aſportaverunt. Ideoque diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus . . . ſi eſt ita, dictos Parochianos, ut omnia aſportata Clericis præfatæ S. Mariæ ad utilitatem ipſius cappellæ ſecundùm conſuetudinem cappellarum ejuſdem . . . monitione præmiſſa per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota . . Nonis Septemb. Pontificatus noſtri anno decimo.

XVI.

Indultum (1) deferendi cappam amplam a Nicolao PP. V. conceſſum Clero S. Petri.

Ex archivo baſilicæ Vaticanæ.

NICOLAUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

*V. iiſdem Par. ſect. §. nota ****

QUANTO præ cæteris ſacroſancta baſilica cœleſtis Regni Clavigeri, cui ſummus Opifex, orthodoxæ fundator Eccleſiæ, ſuperni, & terreni ſimul Imperii jura commiſit, divinæ gratiæ donis potioribus habundare dinoſcatur, ac Romanorum Pontificum ipſius Janitoris ætherei Succeſſorum privilegiis, & honorum titulis ſuper cunctas Orbis eccleſias decorata exiſtit, tanto equidem magis nos, qui, licèt inſufficientibus meritis in ſummi Pontificatus offitio ſumus ejuſdem Apoſtolorum Principis divina clementia Succeſſores, pro tantæ baſilicæ ſponſæ noſtræ, Sediſque præcipuæ, veneratione majori, illiuſque excellentia, & decore, ut cunctorum erga eam reverentia, & honor ampliùs creſcant, ac perſonæ in ipſa jugiter famulantes præſidiis, & honore congruentibus fulciantur, aciem noſtræ conſiderationis extendimus, & partes noſtri miniſterii interponimus efficaces. Cùm igitur novum non ſit, nec ab antiquæ conſuetudinis obſervantia alie-

(1) Tenor hujus Indulti, quia addendus neceſſariò collectioni, veluti conſectarium notulæ hìc ad oram memoratæ, debuiſſet poſtremo loco collocari; ſed ut Documentorum ſeries quoquomodo reſponderet diſtributioni Operis, huc illum apponere convenientius viſum eſt.

alienum, ut iis, quos Romanus Pontifex ex cauſa præ aliis duxerit honorandos, & benignitate confovet ampliori, inſignia honoris adaugeat, prærogativam quoque tribuat gratiæ plenioris. Hinc eſt, quod nos, qui dudum memoratam baſilicam, quam ſupra modum noſtrarum virium ſingulari, internaque veneratione, & devotione complectimur, ſtructuris mirificis, ornamentiſque, & bonis pluribus decorare, ac aliàs ſpiritualibus, & temporalibus donis, prout jamdudum cœpimus, coadjuvante Dño, multimodè extollere, ac magnificare decrevimus, cupientes in ea dudùm nominis cultum augeri, & eò devotiùs, atque frequentiùs inibi Deo laudes exſolvi, quo illius Canonici, Beneficiati, & Clerici majorem a Sede Apoſtolica præeminentem honorem, & gratiam fuerint conſecuti, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, hac perpetuò valitura Conſtitutione ſtatuimus, & ordinamus, quod omnes, & ſinguli ejuſdem baſilicæ Canonici, Beneficiati, Cappellani, & Clerici, præſentes pariter, & futuri, de cetero a vigilia omnium Sanctorum uſque ad ſabbatum majoris hebdomadæ, quando novum incipitur *alleluja*, tam in præfata baſilica, quàm extra eam capitulariter, ſingulariter, aut collegialiter incedentes, *Capis violatiis*, ſive pagonatii coloris, videlicet, Canonici cum caputiis de pantiis (2) griſiorum foderatis *ſupra roccbetta more Prælatorum*, Beneficiati verò, Cappellani, & Clerici capis coloris ſimilis, minùs tamen pretioſis, uſque ad talos conſutis, ante uno tantùm foramine, per quod manus, cùm opus fuerit, & non aliter, emittere poſſint, cum caputiis brevioribus de ſchirolis nigris foderatis; ita tamen, quod capas ipſas levare, ſed protentas tantùm deferre (3) temporibus conſuetis, aliàs juxta ordinationem fel. record. Nicolai PP. III. Prædeceſſoris noſtri ſuper hoc editum, utantur, nec aliquid contra præſentem ordinationem noſtram temerè (4) innovare, aut immutare ſub excommunicationis pœna quoquomodo præſumat. Adjicientes nihilominùs ordinationi, & ſtatuto prædictis, quod ipſi Canonici, qui ad regimen, & ornatum præfatæ baſilicæ aſ-

(2) Pro *armellinis* nuncupatis tunc temporis hiſce utebantur Prælati pellibus, quòd illæ rariores forent, ſeu cariores.

(3) Sic in apographo, quod exſcribere licuit. In autographo hìc veroſimiliter additur, *valeant*.

(4) Deeſt hìc, *quiſpiam*, aut ſimile verbulum.

Digitized by Google

ſumpti, infraſcriptis horis canonicis, videlicet matutinis, miſſis conventualibus, ſeu majoribus, & veſperis dumtaxat perſonaliter intereſſe, nec aliàs, niſi pro ſua devotione quiſque maluerit, teneantur. In ceteris verò Conſtitutiones, & ſtatuta prælibatæ baſilicæ volumus penitus immutata manere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti, ordinationis, adjectionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quarto, nonis Novembris, Pontus noſtri anno octavo.

XVII.

Literæ Eugenii PP. IV. ſuper unione nonnullarum eccleſiarum Urbis.

Ex autographo apud archivum S. Mariæ trans Tyberim.

EUGENIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Dilecto filio Abbati monaſterii S. Sebaſtiani extra muros Urbis ſal. & Apoſtol. ben.

V. Par. 3. ſect. 5. §. 9. nota d.

DESIDERANTES ſtatus eccleſiarum, & eccleſiaſticorum locorum omnium ſalubriter dirigi, & ad illa libenter ſummoperè intendimus, per quæ eccleſiæ, & loca illa ſpiritualiter, & temporaliter, auctore Dño, ſuſcipere valeant incrementa. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, Canonicorum, & Capituli eccleſiæ B. M. Tranſtyberim de Urbe petitio continebat, quod, cauſantibus diverſis calamitatibus, parochialis eccleſia S. Calixti etiam in Tranſtyberim Parochianorum ſolatio deſtituta, ac illa etiam *Cappella S. Johannis de Lombrico* ſimiliter in Tranſtyberim, ruinæ ſubjectæ adeo exiſtunt, quod cappella pro magna parte tecto careat, & parochialis eccleſia fructus, redditus, & proventus ad ejus reparationem, & conſervationem ſufficientes non habens illius Rector ultra duarum domorum

rum

rum infra limites Parochiæ ejuſdem eccleſiæ conſiſtentium Parochianorum curam gerere non teneatur antedictæ. Cùm autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi parochialis eccleſia, & cappella hujuſmodi cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis menſæ capitulari præfatæ eccleſiæ B. Mariæ incorporarentur, annecterentur & unirentur, ex hoc parochialis eccleſia, & cappella prædicta in ſuis ædificiis, & ſtructuris refici, & in ſuis juribus manuteneri poſſent, ac ipſa eccleſia B. Mariæ proſperiores in ſpiritualibus, & temporalibus ſucceſſus complecteretur, pro parte Prioris, Capituli, & Canonicorum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut parochialem eccleſiam, & cappellam hujuſmodi cum omnibus juribus, & pertinentiis ſupradictis menſæ præfatæ perpetuò annectere, incorporare, & unire de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de præmiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſuper præmiſſis, & eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi ea fore vera repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, parochialem eccleſiam, cujus viginti, & cappellam, quæ ſine (1) cura eſt, cujus quinque, antedictis cum omnibus juribus, & pertinentiis ſupradictis præfatæ menſæ, cujus ducentorum florenorum auri de Camera fructus, redditus, & proventus ſecundùm eorum extimationem valorem annuum, ut ipſi Prior, Canonici, & Capitulum aſſerunt, non excedunt, eadem authoritate (2) perpetuò incorpores, unias, & annectas, ita quod, cedentibus, vel decedentibus dilectis filiis parochialis eccleſiæ, & cappellæ prædictarum Rectoribus, parochialem eccleſiam, & cappellam hujuſmodi aliàs quomodolibet dimittentibus, liceat Priori, Canonicis, & Capitulo prædictis eccleſiæ, & cappellæ, juriumque, & pertinentiarum prædictorum corporalem poſſeſſionem auctoritate propria liberè apprehendere, illarumque fructus, & proven-

(1) Non ſic veroſimiliter ab initio. Erigendarum cappellarum unica, opinor, cauſſa, facilior cura fidelium ſpiritalis. V. notata ſub §. 12. ſect. 10. par. 3. Lucubrat.

(2) Factam fuiſſe unionem ex multis conſtat, potiſſimùm ex verbis bullæ Paulli V. eccleſiam S. Calliſti una cum palatio Cardinalis Titularis maximo baſilicæ matris damno concedentis Monachis Caſſinenſibus, de quo in cit. hiſtoria &c. Lege interim bullam apud collect. Margarini. to. 2. num 47.

tus in menſæ capitularis, & parochialis eccleſiæ, & cappellæ prædictarum uſum convertere, & perpetuò retinere, cujuſvis licentia ſuper hoc minimè requiſita. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquis ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales Apoſtolicæ Sedis, vel Legatorum literas impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel aliàs quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſſus habitos per eaſdem ad parochialem eccleſiam, & cappellam hujuſmodi non extendi, ſed nullum per hoc eis ad aſſecutionem aliorum beneficiorum præjudicium generari, & quibuſvis aliis privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit noſtris literis mentio ſpecialis. Volumus autem, quod Capitulum hujuſmodi Epiſcopalia jura ſolvere, & alia parochiali eccleſiæ, & cappellæ præfatæ incumbentia onera ſupportare integrè teneantur, quodque parochialis eccleſia, & cappella hujuſmodi debitis propterea non fraudetur obſequiis, & animarum cura in dicta parochiali eccleſia nullatenus negligatur, ſed per Presbiterum idoneum per eoſdem Capitulum ponendum, & pro eorum nutu amovendum diligenter exerceatur, & deſerviatur inibi laudabiliter in divinis. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Ferrariæ anno incarnat. Dominicæ milleſimo quadringenteſimo triceſimo octavo, quinto id. Junii, Pontus noſtri anno octavo.

Loco † plumbi

Ugolinus.
De Gregoriis.

Li-

Digitized by Google

XVIII.

Literæ Julii PP. II. Soldanum Urbis eligentis.

Ex archivo eccleſiæ S. Hieronymi de Charitate Urbis.

JULIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Dilecto filio Franciſco Confallonerio Clerico Mediolanen. Urbis Soldano familiari noſtro ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

SINCERA fervenſque (1) . . . quam ad nos & Romanam Eccleſiam gerere comprobaſti, necnon grata familiaritatis obſequia, quæ nobis hactenus impendiſti, & adhuc ſollicitis ſtudiis impendere non deſiſtis, non indignè merentur, ut te ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequamur. Hinc eſt, quod nos confidentes, quod ea, quæ tibi committimus, bene & laudabiliter exequeris, & quia & Cubicularius, & continuus Commenſalis noſter exiſtis, a quibuſvis excommunicationis, & ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendi harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, ac ex certa noſtra ſcientia, te ad officium *Soldanatus* almæ Urbis noſtræ ad vitam tuam ex nunc inchoand. cum ſalario, emolumentis, honoribus, oneribus, facultate, arbitrio, auctoritate, & poteſtate conſuetis, necnon exercendi juriſdictionem in Turri nona dictæ Urbis tam per te, quàm per tuum Locum-tenentem Juris peritum, inter perſonas eccleſiaſticas, & ſeculares in cauſis civilibus, criminalibus, & mixtis uſque ad ſummam vigintiquinque ducatorum ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii, ſola facti veritate inſpecta, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium facimus, conſtituimus, ac deputamus; tibique deputandi & eli-

V. Par. 3. ſect. 8. §. 2. nota e.

(1) Locus hiulcus exemplaris, quod mihi communicatum eſt. Autographon forteſſe per voculam: *devotio*: ſuppletur.

eligendi Capitaneum dictæ Turris, quem volueris, dummodo idoneus ſit, & fideliter dictum officium exercere promittat, cum facultate omnia, & ſingula maleficia reperta, ſiqua reperiuntur per dictum Capitaneum, per manus Notarii dictæ Curiæ exigendi uſque ad ſummam viginti quinque ducatorum, & illam deponendi ad inſtantiam Cameræ Apoſtolicæ penès aliquem mercatorem Romanam Curiam ſequentem ad effectum, quòd de illis pecuniis maleficiorum ſic depoſitis decem paghæ ſtipendiariis dicti Capitanei ſolvantur, & reſiduum ſit dictæ Cameræ, & aliæ quinque paghæ de introitibus dictæ Turris præſtentur, eiſdem auctoritate, & tenore licentiam ac poteſtatem concedimus . . . . Quocirca venerabili fratri Raphaeli Epiſcopo Albanenſi, Camerario noſtro, per Apoſtolica ſcripta motu ſimili mandamus, quatenus per ſe, vel alium, ſeu alios te ad dictum officium, ejuſque liberum exercitium cum juriſdictione, facultatibus, poteſtatibus, arbitrio, ſalario, emolumentis, honoribus, & oneribus prædictis recipiat, & admittat, ſeu recipi, & admitti, tibique de ſalario, & emolumentis univerſis hujuſmodi integrè reſponderi faciat, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, non obſtantibus conſtitutionibus, ordinationibus Apoſtolicis, ac tam Urbis, quam Officii hujus juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, ac conſuetudinibus, necnon quibuſvis literis, conceſſionibus, deputationibus, ſuppreſſionibus Officiorum in genere, vel in ſpecie etiam de dicto Officio, etiam in forma Brevis quibuſcumque perſonis cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, & conditionis exiſtentibus, de illo per nos nuper tempore aſſumptionis noſtræ ad ſummi Apoſtolatus apicem hactenus, vel Sedem Apoſtolicam etiam motu ſimili, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & ex quibuſvis urgentiſſimis & maximis cauſis, etiam intuitu, vel reſpectu quorumcumque S. R. E. Cardinalium quibuſvis perſonis, præſertim dilecto filio Cæſari de Beccadellis Clerico Bononienſi tam per fel.rec. Alexandrum VI. & Pium III. Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, quàm nos etiam motu, ſcientia, ac poteſtate, & auctoritate ſimilibus, etiam Regum, Reginarum, Principum, Ducum, & aliorum temporalium, etiam Prælatorum, & aliorum eccleſiaſticorum Dominorum, etiam ra-

ratione ſervitiorum nobis, etiam in conclavi, in quo, divina favente clementia, ad ſummi Apoſtolatus apicem aſſumpti fuimus, & dictæ Sedi etiam pro fide catholica impenſorum, vel univerſitatum ſtudiorum, jurium caſſorum, vel ablatorum, damnorum paſſorum remuneratione, ſeu pro ſedandis litibus, & ex quavis alia quantumcumque grandi & excogitabili conſideratione, & contemplatione, intuitibus, vel reſpectibus, ſub quibuſvis verborum formis, & expreſſionibus etiam cum quibuſcumque ...... derogatoriarum derogatoriis, aliiſque fortioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque decretis, forſan factis, ſeu inpoſterùm faciendis, ceteriſque contrariis quibuſcumque, quibus, etiamſi pro illarum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales id importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda foret, & in eis caveretur expreſſè, quod illis nonniſi ſub certis inibi expreſſis modis, & formis nullatenus derogari poſſit, tenores hujuſmodi præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat harum ſerie, motu, & ſcientia ſimili, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, illaſque ad hunc effectum omnino ſuſpendimus, ac effectum ſortiri, vel habere, & locum ſibi vendicare non poſſe, nec debere, &, quatenus opus ſit, revocamus, caſſamus, & annullamus, ac pro revocatis, caſſis, nulliuſque roboris, vel momenti haberi, ſicque per quoſcumque Judices tam eccleſiaſticos, quàm ſeculares in Romana Curia, vel extra, tam etiam præfatos Cardinales, ac etiam alios Cauſarum Palatii Auditores in quacumque inſtantia, ſive judicio judicari, ſententiari, & definiri debere, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis alia interpretandi, decidendi, ac ſententiandi facultate, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attemptari, decernimus, & declaramus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, creationis, conſtitutionis, deputationis, conceſſionis mandati, derogationis, ſuſpenſionis, revocationis, caſſationis, annullationis, decreti, & declarationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apo-

Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſeptimo Id. Aprilis Põtus noſtri anno quarto.

XIX.

Charta conceſſionis Hoſpitalis S. Agathæ in monte malo.

Ex membrana apud archivum S. M. trans Tyberim.

V. Par. 3. ſect. 9. §. 8. nota c.

IN nomine Dñi. Amen. Anno Domin. Incarnat. mill.ccxi. anno verò xiv. Põtus Dñi Innocentii III. PP. indict. xiii. menſis Madii die xv. Ego Guido Dei gratia Presb. (1) Card. venerandæ eccleſiæ Sctæ Mariæ tt. Calixti, & Peneſtrinenſis Epiſcopus una cum Clericis ipſius eccleſiæ D. V. Presbytero Pancratio, & Octaviano, & Presbitero Romano Andreæ, Rufino, Johanne Alibrandi, Gregorio, Guidone, Nicolao, & Gerardo pro ipſa noſtra eccleſia propria noſtra voluntate concedimus, ac tradimus tibi Paulo Egidii pro te, & Cornelio, & Paulo ſociis tuis, veſtriſque ſucceſſoribus Dei timorem habentibus, & honeſtam vitam facientibus id totum Hoſpitale S. Agathæ *de monte malo* ad dictam noſtram eccleſiam pertinens cum domibus, & terris, & omnibus poſſeſſionibus, quas ibi noſtra eccleſia habet, & cum omnibus, quæ ad ipſum hoſpitale nunc pertinent, & in antea pertinuerint, ad tenendum, & meliorandum, ab ſubſtentationem veſtram, & pauperum, & alimoniam perſonarum ibi hoſpitantium, ſubſcripto tenore reſervata nobis, noſtriſque ſucceſſoribus correptione omnium perſonarum, quæ ibi fuerint, ſi honeſtè ſe ibi non geſſerint, & res ac poſſeſſiones eccleſiæ, & hoſpitalis bene non tractaverint: & omnes veſtri ſucceſſores teneantur reddere nobis, noſtriſque ſucceſſoribus rationem de omnibus rebus dictæ eccleſiæ S. Agathæ, & dicti hoſpitalis, cùm fuerint a nobis requiſiti: & ſi bene eas non tractaverint, & honeſtam vitam ibi non fecerint, liceat tunc nobis, noſtriſque ſucceſſoribus eos inde depellere, ac corrigere ad noſtram voluntatem: & reſervamus nobis, noſtriſque ſucceſſoribus medietatem omnium oblationum d. eccleſiæ, & hoſpitalis omni

(1) Commendatarius tunc ſeu adminiſtrator, ſicuti conſtat ex aliis documentis, præſertim eo, quod dabimus hic num. extremo.

Digitized by Google

omni anno ante diem feſtum Paſchæ Reſurrectionis Dñi, & octo dies ante feſtum dedicationis eccleſiarum Beatorum Petri & Pauli, & octo dies ante feſtum Aſcenſionis Dñi, & omni anno pro incenſu (2) duas libras ceræ, & unam libram d.incenſi holivani in feſto S. Mariæ menſis Auguſti, & ſemper, cùm celebrare volueritis feſtivitatem S. Agathæ, invitabitis, & habebitis ibi Clericos noſtræ eccleſiæ, vel alios cum noſtra licentia, vel noſtrorum ſucceſſorum, ſi noſtri Clerici venire noluerint, & vos eligetis Presbiterum in dicta eccleſia, & nos inveſtiemus, quod teneatur nobis, noſtriſque ſucceſſoribus tale ſacramentum (*facere*) quale noſtri Cappellani faciunt. Et non liceat vobis veſtriſque ſucceſſoribus vendere, vel obligare, vel locare, aut in feudum dare, vel aliquo titulo alienare d. hoſpitale, & poſſeſſiones, quas nunc habet, & in antea habebit: Et, ſi vos, vel tu ſolus, ſi ſocii tui ibi eſſe noluerint, veſtrique ſucceſſores hæc omnia nobis, noſtriſque ſucceſſoribus obſervabitis, gratiam Dei habeatis. Alioquin ſtatim d. hoſpitale cum omni melioratione, & cum omnibus poſſeſſionibus præſentibus, & futuris ejuſdem hoſpitalis ad noſtram eccleſiam revertatur, & tantùm nobis, noſtriſque ſucceſſoribus liceat noſtra authoritate ibi intrare, & accipere, & aliis dare, quibus voluerimus. Nos autem pro nobis, noſtriſque ſucceſſoribus promittimus tibi, & dictis ſociis tuis, veſtriſque ſucceſſoribus hæc omnia rata habere, & de jure defendere ſub pœna II. unciarum boni auri. Et ego Paulus Egidii (3) pro me, & ſociis meis, noſtriſque ſucceſſoribus ſub eadem pœna promitto vobis, veſtriſque ſucceſſoribus hæc omnia obſervare, & adimplere, & contra non venire, &, ſoluta pœna, nihilominus hæc cartula firma permaneat, quam ſcribere rogatus Angelus Scrinarius ... Johannes de Petro ... teſtes .... Addo Johannis monachi teſtis.

Si † gnum

Et ego Angelus Sctæ Rom. Eccl.
Scriñ Dĩ grã complevi, & abſolvi.

(2) For. *cenſu*, ideſt *canone* &c. paris fermè conditionis illorum, qui nunc penduntur baſilicæ matri a ſuperſtitibus aliis ejuſdem cappellis.

(3) Quis hic Paullus cum ſociis, videbitur in cit. hiſtoria noſtra, ubi de eccleſia S. Agathæ, ejuſque hoſpitali varia rebus eccleſiaſticis Urbis illuſtrandis fortaſſe idonea.

XX.

Locatio Caſtri Ringiani.

Ex membrana apud cit. archivum S. M. trans Tyberim.

V. Appendice I. num. 16.

IN nomine Dñi. Anno quintodecimo Pontûs Dompni Paſcalis Secundi PP. indictione ſeptima, menſe Majo, die decima. Ego quidem Nicolaus Yconomus Sčte Marie Dñe ñre, que eſt Tranſtiberim, conſentiente Dompno Henrice Presbitero (1) Cardinale dicte venerab. eccleſie, & Petro Archipresbitero, & Presbitero Benedicto, & Nicolao Levita, & ceteris *fratribus* jam *nominate eccleſie* in preſentia Dñi Projudicis: hac die preſenti noſtra propria & ſpontanea bona voluntate in perpetuum locamus Petro, & Guido, & Cencio, veſtriſque heredibus legitimis maſculinis, & feminis; quandocumque verò erunt ſine legitimis filiis domus veſtra, vel veſtrorumque heredum remanſerint, in jam dicta abſque mora redeat eccleſia; ideſt Caſtrum noſtrum, quod nominatur Ringianum (2) poſitum in comitatu Caſtellano miliār tceſim̄ diſtans ab Urbe plus vel minus prope montem Siraptem cum plagis & appenditiis ſuis, cum concavis & foſſatis, cum montibus & collibus, terris, vineis, ſilvis culte vel inculte, cum paſcuis & pratis, & ſcorupetis, viis, & ſemitis, cum aquariis, & parangariis, cum fontibus, & rebotanis ſuis, cum pomis & arboribus ſuis fructiferis, & infructiferis diverſis generibus, & cum omnibus, quibus infra ſe, & ſuper ſe habet, cum omnibus caſalinis, criptis, & omnibus munitionibus ſuis, pro eo quod quinquaginta libras bonorum denariorum pro toto pretio nobis dediſtis: unde recollegimus theſaurum noſtre eccleſie, crucem, turribulum, pallium, calicem, que omnia obligata erant pro guerra Dñi Pape Paſcalis, & juſſu ejus in perpetuum locavimus, quia priùs in ſecunda generatione avus veſter dictum Caſtrum locatum fuit, & inſuper, tactis ſacroſanctis Evangeliis, juraſtis fidelitatem omnibus Ordinatis noſtre eccleſie; quando aliquis ve- ſtrum

(1) Quod ipſe viderim, meminit nuſquam hujus *Henrici* hiſtoria Cardinalium; unde per ejus nomen ſuppleri poterit.

(2) Nunc *Rignanum*, & antiquitus etiam *Arignanum*, de quo extat in prænunciato archivo alia inſignis membrana edenda in hiſtoria ſæpè cit. S. M. Tranſtyb. ubi circa ejus fortunam varia dicentur. Poſſidetur modò a familia Cæſia &c.

Digitized by Google

ſtrum deceſſerit omnibus filiis ejus infra quadrimeſtre tempore abſque appellatione, & jurent fidelitatem omnibus Ordinatis noſtre ecclesie contra omnes homines omni tempore exceptañ omnes Apoſtolicos. Quodſi non venerint, pars eorum ſine mora in noſtra redeat ecclesia. Et ſi filias veſtras extra Caſtrum maritaveritis, non ſit vobis licitum de proprietate dicti Caſtri dare, hoc eſt, de immobilibus, quodſi dederitis, pars illa, quam, vel quāl fuerit in noſtra redeat ecclesia. Et ſi aliquis de habitatoribus dicti Caſtri in judicio eccleſia noſtra ſentiens ſe gravatum a vobis, vel ab heredibus veſtris, aut ab aliis habitatoribus vocare voluerit, ac ſi Ceſarem appellaverit, in ſuo ſtatu permaneat, donec ante nos de cauſa ejus cognoſcatur, & etiam poſtquam appellaverit tempore & ſua in ſuo ſtatu permañ, uſque dum cauſa illius diffinitivam habeat ſententiam: & ſi aliquis veſtrum de poſſeſſione dicti Caſtri cauſare voluerit contra alium, non ſit ei licitum in aliena Curia eum agere, niſi in noſtra; quodſi fecerint, & ille, qui agit, & ille....... ſe defendet, uterque cadat a portionibus eorum. Si Dñus Cardinalis, vel aliquis de noſtra ecclesia in partibus illis venerit, vos una cum habitatoribus dicti Caſtri ſubſtentetis eos, ſicut juſtum eſt. Eccleſias verò omnes ad Clericos ordinandos eſſe volùmus, ſalvo tamen jure epiſcopali Civitenſis Petri Plebeni S. Abundii, que ad nos non ſpectat, ſed ad Epiſcopum Civitatis Caſtellane. Nulli pio loco, vel potenti perſone ſit vobis licitum in parte, vel totum alienare aliquo modo; quodſi in parte, vel totum alienare volueritis, priùs nobis in quod ſatis, & minùs, quàm ab alio juſto pretio per libras duodecim denar. denar. pp. nobis detis; quodſi emere noluerimus, detis nobis commuñ, & vendatis tali perſona, que nobis placeat, ſine malitia, & omnia jura noſtra nobis notificetis, & ſolvant penſionem quoque annuatim in Aſſumptione Ste Dei Genitricis, perſolvant in vigilia ejus ad horam veſpertinam duos certos cereos, ubi duodecim libre cere ſint, & quinque ſol. denar. pp. dabitis. Quod ſi non fuerit ita factum, niſi clarum impedimentum habueritis, aut etiam uſque ad inceptionem vigilie intra octavam duplam reſtituetis, & ſi infra octavam duplam publicè non reduxeritis, omnino totum Caſtrum in manibus noſtris, vel noſtrorum ſucceſſorum perveniat, & nos inde faciemus quidquid nobis placuerit abſque

omni contrarietate. Nos enim promittimus vobis defendere dictum Caſtrum ab omni homine, & in omni loco, ſi opus & neceſſe fuerit; quodſi non defenderimus, componamus vobis pro peñ decem libras auri optimi, & etiam nos ſuprafcripti receptores hujus Caſtri promittimus, ſi unquam nos, aut heredes noſtri conventionem hujus cartule aliquo modo venire temptaverimus, componamus pro peñ x. libras auri optimi, & ſoluta pena hec due cartule uno tenore depicte ſecundum conventionem ſuam maneant firme conſcripte per manus Gregorii Scrinarii in menſe, & indictione ss,

Signum ✝ manus Nicolai Yconomi rōg.	Ego Petrus Dei grã archipresb. ſubſcribo.
Gericus venersabiliComes teſtis.	Ego Benedictus Presbr manu mea ſubſcribo.
Gualfredus Dñi PP nepos teſtis.	
Gibertus Dñi PP nepos teſtis,	Ego NicolausLevita manu mea ſubſcribo.
Petrus Rubeus teſtis.	
Dñus Cynthius teſtis.	

Ego Gregorius Scriñ Sc̃te Rom̃ Ecclie complevi & abſolvi.

Et ego . . . . Dei grã Sc̃te Rom̃ Ecclie Scriñ ſicut inveni in inſtrõ ſcripto per manus q. Gregorii Scriñ ſic de verbo ad verbum . . . . exemplatus ſum.

Si ✝ gnum

XXI.

Excerptum hiſtoriæ poſtremæ dedicationis baſilicæ S. Mariæ trans Tyberim.

Ex codd. membranaceis paſſionali, & lectionario apud idem archivum.

V. *Ibidem.* Cum autem a morte præfati Pontificis (*Innocentii II., qui, ut antea hæc narravit hiſtoria, baſilicam S. Mariæ trans Tyberim denuo ædificaverat*) jam ferè quinquaginta quinque anni præteriiſſent, Innocentius PP. III. cathedram pontificalem accepit, qui, licèt juvenili ferè eſſet ætate, tamen, velut lucerna radians in domo Domini, omni pollere videbatur bonitate in rebus gerendis, diviniſque literis adeo exercitatus, ut tunc temporis vix ei ſimilis inveniretur; quod etiam libri ab eo compoſiti teſtantur. Is, cùm pacem Urbi Romanæ, ceteriſque Orbis chriſtiani provinciis reſtituiſſet, deliberationem ſuſcepit de terra ſancta ex manibus Infidelium liberanda, in qua Dñus noſter Jeſus Xptus naſci, mori, & ſepeliri dignatus eſt, quæ, noſtris exigentibus meritis, uſque ad hodiernum diem a per-

Digitized by Google

a perfidis Sarracenis poſſidetur. Sed quoniam arduum negocium ardua requirit conſilia, &, quod omnes tangit, ab omnibus debet comprobari, ideo prudentiſſimus Pontifex de terræ ſanctæ liberatione conſilia cum univerſa Chriſtianitate communicare volens octavo decimo Pontus ſui anno generale Concilium in Lateranenſi baſilica ad decimam ſeptimam Novembris diem congregavit, cui interfuerunt quadringenti duodecim Epiſcopi, aliique eccleſiarum Prælati, Clerici, & Magnates layci, quorum numerus iniri non potuit. Eo itaque tempore curam, & adminiſtrationem hujus venerandæ eccleſiæ (*S. M. trans Tyberim*) gerebat Reverendus Guido Epiſcopus Præneſtinus, qui de progenie bo. me. ſupranominati Innocentii II. deſcendens hanc eccleſiam ferè per triginta annos laudabiliter gubernavit, vir decorus (1) forma, ſtatura procerus, canitie venerabilis, patientia laudabilis, caſtitate, vitæque honeſtate præfulgidus. Huic ergo venerando Præſuli, ſicut ab eodem ſæpè (2) audivi, eccleſiæ hujus conſecrandæ divinitus revelatum eſt tempus ſub initium inchoandi Concilii. Nam, cùm quadam die ex more in ſuo reſideret palatio, dicebat, ſe quamdam vocem audiviſſe dicentem: nunc eſſe aptum tempus conſecrandi eccleſiam S. Mariæ. Quam vocem cùm audiſſet, quamvis a quo prolata eſſet, ignoraret, altiùs tamen animo impreſſit, & de conſecratione cogitationem ſuſcepit. Peractis igitur veſperis in vigilia Beati Calixti, cœpit cum *fratribus ſuis eccleſiæ S. Mariæ* diligentem de conſecratione habere tractatum. Cum quibus ſic eſt deliberatum, ut ſequenti die Dominico poſt feſtum B. Calixti totum Tranſtiberinum populum ante miſſarum ſolemnia faceret congregari, ibique, qualiter agendum eſſet, unanimes deliberarent. Omnibus itaque die Dominico convenientibus ſuam de conſecranda eccleſia cogitationem aperuit: cui cùm omnes applauſiſſent, ſtatuerunt, eodem die poſt Nonas ad Papam accedere, & pro venerandæ eccleſiæ Beatæ Mariæ Virginis conſecratione ſupplicare. Congregati itaque omnes Clerici, milites, pediteſque Papam maxima cum alacritate adierunt. Quo reſidente in loco ſpeculi, & eis benignam præſtante audien-

(1) Hæc verba exſcripſit Ughellius to. 1. Ital. in Epiſcopis Præneſtinis, ubi de *Guidone* hic memorato S. M. Tranſtyb. Commendatario juxta documentum 19.

(2) Nota, hujus hiſtoriæ authorem Synchronum fuiſſe Innocentii III. & Guidotti Cardinali familiarem.

dientiam, eloquentiſſimus vir Jacobus Joannis Craſſi petitionem de conſecranda eccleſia ornatè propoſuit, rogans obnixè, ut ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei, beatiſſimæque ejus Genitricis Mariæ Virginis honorem, ac populi Tranſtiberini conſolationem dignaretur munus conſecrationis dictæ eccleſiæ impendere. Quod audiens Sanctiſſimus Papa tale primò fertur dediſſe reſponſum: a Dño factum eſt iſtud, quod vos illius eccleſiæ conſecrationem petiſtis, & eſt mirabile in oculis noſtris; quia Innocèntius fecit corpus, & Innocentius immittet animam: illud innuere volens, quia ille eam renovavit, ego eam conſecrabo; atque ita precibus petentium alacriter annuit, & adjecit: Dignum eſt, ut ille locus ab omnibus honoretur, in quo Dñus ſignum olei tempore ſuæ nativitatis dignatus eſt demonſtrare, aliaque ſigna, quæ in hac claruerunt Urbe, breviter narrare ſtuduit. Quibus auditis, gaudens quilibet, & exultans reverſus eſt ad propria. Tandem rebus omnibus ad conſecrationem ſtudioſè, diligenterque præparatis, idem glorioſus Pontifex in magna populi, illuſtriumque virorum, qui ad Concilium ex univerſi Orbis chriſtiani partibus confluxerant, præſentia baſilicam hanc decimaquinta die menſis Novembris maxima cum ſolemnitate conſecravit. Cumque eam cenſu, & opulentis donis affeciſſet, de ſpiritualibus etiam Eccleſiæ theſauris, qui tunc per octo dies eamdem baſilicam devotè viſitaſſent, iis trium annorum indulgentiam, qui verò perpetuis futuris temporibus in anniverſario ejus dedicationis eam frequentarent, unum annum (3) de vera indulgentia conceſſit. Altare quoque majus, ſub quo Sanctorum Calixti, Cornelii, Julii, Calepodii, & Quirini corpora requieſcunt, conſecravit in honorem B. Mariæ Virginis Genitricis Dñi noſtri Jeſu Chriſti, qui vivit, & regnat &c.

(3) Oretenus hæc Indulgentia conceſſa fuit, quam tamen ſcripto communivit, addito etiam ſtationis honore, productaque liberalitate ad totum octiduum, Gregorius IX. ut ex literis alibi a me integrè producendis, & indicatis cum notitia conſecrationis hujuſce a V. Cl. Joſepho Catalano in comment. ad Pontif. Rom. to. 2. *de eccl. dedic.* tit. 2. p. 33. num. 6. 7. 8.

[library stamp]

EXPLICIUNT APPENDICES.

IN-

INDEX

Eorum, quæ, præter colligenda ex lectione Summæ Operi præmiſſæ, notabilia videntur.

A

ABbas S.Mariæ de Rivaldis. *V.* Angelus.
Abbas S. Paulli Vicarius PP. *Pag.* 347.
Abbas S. Sebaſtiani extra Urbem. 370.
Abbates PP. aſſiſtentes. 86.
Accubitum, accubitus. 203.
Aceti (Thomas) laudatus. 149.
Acolythi S. R. E. 61.
Actionarius. 360.
Addextratores, addextro. 220.
Adminiculator. 214.
Adoniæ liberalitas. 317.
Agni Dei a quibus formati. 61.
Aguliæ domus ad S. Petrum. 65.
Albanenſis Epiſcopi antiquum onus. 215.
Albanus (Hannibal) Card. 147.
Albaſpinæus. Ejus opinio non probata. 17.
Albertus Card. Legatus in Angliam. 6.
Alenconio (Johannes de) Comes Parthicen.. 342.
Alenconio (Petrus de) Comes. 342.
Alenconio (Philippus de) Card.. 346. 347.
Alexander Canonicus S. Petri. 314.
Alexander Magnus. 283.
Alexander PP. III. 6. 255. Sextus. 270. Septimus. 275.
Alexander Severus Imp. 319. 334.
Alibrandi (Joh.) Canonicus Sanctæ Mariæ Transſtyb. 376.
Aloyſia a Sabaudia Franciæ Regina. 171.
Altaemps (Marcus ab) Card. 364.
Altariſta S. Petri 43. 149. 338. &c.
Alternativa inter Clericos aliquot procedentes. 154. 159. 180.
Americus Diac. Card. & Cancellarius. 334.
Amula. 19.
Anaſtaſia Auguſta. 327.
Anathemata vibrata a Laicis. 336.
Anconitanus Epiſcopus. *V.* Guillelmus.
Angelus Abbas S. Mariæ de Rivaldis. 348.
Angelus Canonicus S. Laurentii in Damaſo. 314.
Angelus Card. de Florentia. 343.
Angelis (Paullus de) notatus. 128. & ſequ. 144. 367.
Anniballica familia. 65.
Antonellus (Nicolaus) Comes. 186.
Apocriſarius. *V.* Miſſus.
Aquenſis Epiſcopus. *V.* Petrus.
Arcadius Aug.. 321.
Arcarius. 213.
Arcioni (Jacobus) Canonicus S. Mariæ majoris. 138.
Ardennæ Archidiac. *V.* Uyaco.
Arignanum, Caſtrum. 378.
Arnulphus Rector, & Archipreſ. S.Ma-

Digitized by Google

S. Mariæ trans Tyberim. 334. 354.
Arnulphus Rex &c. 283.
Arſaces Rex Armenorum. 323.
Aſſuerus Rex Perſarum. 317.
Aſſumptionis Deiparæ octava. 200.
Aſſurgere aliquantulùm, honoris genus. 161.
Attalus Rex &c. 283.
Auditores R R. Cappellani PP. 62. Eorum aliqui. *V.* Egidii. Nardus.
Auguſtus (Octavius) Imp. 320.

B

Bacchi (Petrus) Romanus, Vicarius S. M. trans Tyberim. 347.
Bajuli Palatini. *V.* Vaſtararii.
Baldinus (Joh. Franc.) laudatus. 209.
Bandi, Banderenſis, Bandonarii, Banni &c. 221. 291.
Bandurius (Anſelmus) in aliquo non probatus. 330.
Baptiſti (Dominicus) Abbas laudatus. 149.
Baractis (Ant. de) Canonicus S. M. trans Tyberim. 313.
Barberini (Carolus, & Franciſcus junior) Cardd. 149. & ſequ.
Barolis (Guillelmus de) vir nobilis. 343.
Baronius Card. laudatus. 116. & alibi. In aliquo non probatus. 210.
Baſilica, Auguſtorum dona. 124.
Baſilica Lateranenſis. Varia ad illam pertinentia. 6. 85. 128. 154. 366. S. Laurentii ad Sancta Sanctorum. 75. 160. S. Laurentii extra muros. 366. S. Laurentii in Damaſo. 70. 85. 128. 180. 190. & ſeqq. 312. Liberiana. 85. 88. 126. 128. 138. & ſequ. 228. 313. 366. 367. S. M. trans Tyberim. 7. 8. 11. 55. 66. 70. 71. 85. 88. 127. 128. 136. 167. 168. 169. 180. 190. & ſeqq. 200. 205. 217. 230. 245. 277. 313. 334. 336. 354. 356. 359. 367. 370. 376. & ſeqq. Vaticana. 5. & ſeqq. 69. 85. 128. 181. 215. 277. 312. 366.
Baſilicarii, Clerici. 62.
Battellius (Joh. Chriſtoph.). 4. 290.
Beatrix Regina Siciliæ. 282.
Beauvillerius (Hyppolithus) Dux S. Aniani &c. 172.
Beccadeilis (Cæſar de). 374.
Belliſarius. 42.
Bencinus (Franc. Maria) in aliquo non probatus. 194. 197. 292.
Benedictus PP. XIII. Varia ad illum pertinentia. 8. 55. 85. & ſequ. 134. 150. 151. 152. 156. 159. 160. 169. 277.
Benedictus PP. XIV. hujus Operis promotor &c. 4.
Beneficium, beneficentia. 34. 330.
Beneficiati S. Mariæ majoris. 189. S. Petri. 49. & ſequ. 363.
Berengarius Rex &c. 283.
Berlendus (Franc.). Ejus opinio explicanda. 28. laudatus. 207.
Bizantius, Biſantæus, Biſancius &c. Moneta. 37. 171.
Blanchinus (Franc.) laudatus. 71. 120. alibique. Ejus conjectura non probata. 121. 222.
Blanchinus (Joſeph) paratam habet editionem mss. oper.
Ven.

Ven. Card. Thomaſii. 119. Laudatur 120.
Boccamatiis (Andreas de) Canonicus S. Laurentii in Damaſo. 313.
Bollandi, Bollandianorum, opinio non probata. 64. 268.
Bonifacius S. Epiſc. & M. 112.
Bonifacius PP. VIII. 256.
Bonifacius PP. IX. 175. 341. 345. 347.
Bonifilius Archipresbyter S. Mariæ trans Tyberim. 356.
Boſſuetus (Jacobus Benignus) Meld. Epiſcopus. 106. 108. 114.
Brancatius (Raynaldus) Diac. Card. Commendatarius S. Mariæ trans Tyberim. 350.
Buccabelle (Andreas) Can. S. Mariæ majoris. 138.
Bulgharorum Rex &c. 41.
Bullionius (Theodoſius) a Turre Card. 296.
Burgheſius Card. 150.
Burgheſia familia. 356.
Burius (Johannes) notatus. 270. 303.

C

Æpium, cepium. 253.
Cæſar (Julius) 320.
Cæſius (Barthol.) Theſaurarius C. A. 272.
Cæſia familia. 378.
Cajetani (Conſtantini) hallucinatio. 246.
Caligula Imp. 323.
Calliſtus S. PP. 364.
Calliſtus PP. II. 44. 45. 49. 68. 255.
Camerarius Canonicorum. 51.
Camerarius Cleri aſſiſtit Concil. Rom. 86.
Campanula, & tentorium in proceſſionibus. 127. & ſequ.
Cangius in aliquo non probatus. 9. 301.
Canonici eccleſiar. Urbis. Cantabant coram Papa &c. 54. 85. 86. 215. 249. 250. V. Baſilica. Eccleſia.
Canonizationes SS. ad S. Petrum. 114.
Cantharum. 84.
Cantores pontificii in Patriarchalibus. 59. Septem priores erant Subdiaconi R. E. 60.
Capita regionum. 91.
Capiteferreo familia de. 268.
Capitulum. 11.
Cappella. V. Eccleſiæ.
Cappellæ quænam. 185. V. Eccl.
Cappellæ Magiſter. V. Magiſter.
Cappellani. 62. 185. 220. 251. V. Auditores.
Cappellinus (Ant.) Can. S. Mariæ majoris. 316.
Caput, moneta. 37.
Caputii (Joh.) Can. S. Mariæ majoris. 138.
Carapello (Joh. de) Can. S. Mariæ majoris. 314.
Cardinales, fratres dicti a PP. 312.
Carnelevario Dominica de. 45. *Carnevale*. ibid.
Carolomannus Caroli Regis fil. 42.
Carolus Andegavenſis Rex &c. 282. Borbonius Rex &c. 171. 317. Calvus Imp. 44. 282. Magnus Imp. 41. 42. 113. 283. Quartus Imp. 173. 282. 285. Quintus Imp. 173. 188. Sextus Imp. 317.
Carpineo (Gaſpar de) Card. Vicarius laudatus. 316.

Digitized by Google

Caſimirus a Roma laudatus. 129.
Caſſina (Candidus) in aliquo non probatus. 202.
Cathedræ S. Petri feſtum. 56. 88. Romam devectæ memoria. 119. 120.
Cathedraticum. 210.
Catechumeni in miſſis per ſe eulogias non participabant. 28. ſunt eccleſiæ membra merito non numero. 29.
Caves (Sanctes de) Epiſc. Tyburtinus. 352.
Cellarii. 213.
Cencii Camerarii editus codex mancus. 247.
Cencius Urbis Præfectus. 337.
Cennius (Cajetanus) laudatus. 56. 71. 120.
Ceremoniale cappellæ pontificiæ. 146.
Charitates, paſtus. 197.
Chartarius (Carolus) notatus. 304.
Cherubim. 91.
Chiſius (Flavius) Card. 173.
Chlodovæus Rex Francor. 41.
Chracaſius (Lucas) notatus. 302.
Cicindelæ. 67.
Cintius Urbis Præfectus. 357.
Ciucciolus (Horatius) notatus. 69.
Civitatis Caſtellanæ juriſdictio. 357. 379.
Clamiſtarii. 67.
Claretum, vinum. 55.
Clariſſimus Comes. 359.
Claves Urbium ad Confeſs. S. Petri. 42.
Clauſa. 38.
Clemens PP. III. 75. 280. Quintus. 282. Septimus. 173. Octavus. 82. 148. Undecimus. 4. 80. 127. 147. 149. 191. 296.
Clerici ſub nomine pauperum. 26. 29. 112.
Clerici Urbis quinam? 88.
Cleri Urbis Conſiliarii, Procuratores, Syndici. 313.
Clitoria. 326.
Colloredo (Leander de) Card. 127.
Columna (Aſcanius) Card. 273.
Columneſia familia. 65.
Comitum familia. Ibid.
Commodus Imp. 319.
Concilium IV. Lateran. Oecumenicum. 380.
Condire quid. 37.
Confallonerius (Franciſcus) Soldanus Urbis. 373.
Confalonis Sodalitium. 180.
Confeſſio S. Petri. Varia ad eamdem geſta. 41. 42. 113. & ſeqq. Accepta pro eccleſia, & fide Romana. 114.
Conſervatores. 258. 350. 351.
Conſtantinus Ducas Imp. 291.
Conſtantinus Magnus Imp. 285. 288. 295.
Conſtantius Imp. 43. 318. 323.
Conſul & Dux. V. Leo. Steph.
Contradictarum Auditor. V. Egidii.
Coronatio Impp. Regum &c. V. eorum nomina.
Corpora SS. V. Reliqu.
Craſſi (Jacobus Johannis). 381.
Cozza (Fr. Laurentius) Card. 151.
Creſcentii Caſtellum. 264.
Creſcimbenius (Joh. Marius). 4. notatus. 163. 248. 301. 302.
Crux vexillum Chriſti. 127. ſtationalis. 130. &c.
Cuſtodes oblationum Vaticanar. quinam? 43. *noſtri* a Pontiff. appellati. Ibid.

Da-

Digitized by Google

D

DAvidis liberalitas. 317. Dedicationis altaris feſtum ad S. Petrum. 46.
Defenſores. 213.
Delongariſtis. 217.
Demetrius Græcorum Princeps. 317.
Denarius S. Petri. 41.
De tuis donis, formula. 47.
Dextrarii. 220.
Diaconi non pſallebant in eccleſiis. 9.
Diaconiæ vetus, ac novus uſus. 184. & ſeqq.
Dilungarius. 217.
Dimiſſa dona quæ? 196.
Dñusdedit Can. SS. Quirici, & Julittæ. 314.
Draconarii. 218.
Du-cange. *V.* Cangius.

E

ECcleſia. *V.* Baſilica. Cappella. Diaconia. Patriarchalis. Titulus.
Eccleſia Romana. *V.* Rom.
Eccleſiæ in Urbe quædam; ideſt, S. Calixti. 370. 371. S. Celſi. 310. Coſmæ & Damiani transTyb. 357. Donnæ Roſæ. 313. S. Dorotheæ, ſeu S. Sylveſtri. 169. 347. S. Hieronymi Illyricorum. 159. S. Johannis de Lombrico. 245. 370. S. Joh. de mica aurea. 169. S. Joh. de porta. 245. 370. S. Laurentii ad craticulam. 122. S. Marci. 88. 154. S. Mariæ ad MM. 154. 170. 367. S. Mariæ in Coſmedin. 159. S. Mariæ in turri. 50. 66. S. Mariæ Virgariorum. 59. S. Pellegrini. 52. SS. Sergii & Bacchi in Sebura. 347. S. Spiritus in Saxia. 153. *V.* Exemptio. S. Thomæ de Fraternitate. 314. S. Valentini. 123.
Eccleſiæ extra Urbem quædam; ideſt, S. Abundii. 379. S. Johannis in Montanianos S. Mariæ in Caſtello, S. Mariæ in Traſpadana, S. Marinæ in plano. 357.
Egidii (Joh.) literar. contradictar. Auditor. 343.
Ejecti quinam? 76.
Emeritum ſtipendium. 126. & ſequ.
Enthroniſmos. 287.
Enthroniſticon. 210.
Epiſcopi appellantur *fratres* a. PP. 312.
Epiſcopi Romani appellatio. *V.* Romani.
Epiſcopus Albanenſis, Tyburtinus. *V.* Alban. Tyburt.
Epiſcopus aſſiſtens. 75.
Equitatores. 250.
Ethelvulphus Rex Anglorum. 212. 281.
Eugenius III. PP. 255.
Eulogiæ Catechumenorum. *V.* Catechum.
Eulogiæ tranſmiſſæ loco Euchariſtiæ. 105.
Euſebia Græcis pro largitione. 288.
Euſebius Eunuchus Arianus. 43.
Exemptio Cleri S. Spiritus in Saxia a proceſſionibus generalib. 155.

F

FAlco, Falcus, Card. S. Mariæ transTyb. &c. 357.
Fanon. 19.

Ferula ordinantium proceſſiones. 82.
Feſtum Primatus S. Petri. 119. 120.
Fiaſchettus (Joh.Bapt.)laudatus. 36.
Filanthropia Græcis pro donativo. 370.
Filotimia Græcis pro largitione. 288.
Flabellorum uſus pontificius. 91.
Flamininus (Quinctius) Conſul. 320.
Fonſeca (Ant.) Epiſcopus Æſinus S.Laurentii in Damaſo Canonicus, &hiſtoricus &c. 191.
Fons olei, fundens oleum. 334. 356. 364.
Fontaninus (Juſtus) Archiep. Ancyræ non probatus in aliquo. 186.
Formicina (Urſula) Abbatiſſa S. Coſmatis trans Tyb. 357.
Foſſatum quid. 319.
Franciſcus Card. S. Clementis Camerarius ſub Eugenio IV. 349.
Fridericus Imp. 283.
Fulco Comes Andegaven. 225.
Fulradus Abbas. 42.

G

GAlganis (Laurentius Leonardi de) Can. S. Mariæ majoris. 138.
Gallienus Imp. 318. 319.
Gamberuccius (Joh. Bapt.) laudatus. Ejus obitus, ſepultura, bibliotheca. 80. 150. 151. 227.
Gazophylacium. 25.
Georgius (Dominicus) laudatus. 19.
Geſualdus Card. laudatus. 272.
Ghettus. 268.
Gibertus Paſchalis II. nepos. 380.
Giraldus Comes Aurelian. 43.
Græcum, vinum. 203.
Grancolaſius (Joh.) notatus. 128.
Gregorius S. I. PP. 26. 122. Tertius. 27. Septimus. 23. 113. 267.
Gregorius PP. IV. 8. Nonus. 98. 382. Undecimus. 256. & ſeqq. Decimus tertius. 268. 362.
Gordas Rex Hunnorum. 323.
Govendorp (Godefridus) Can. Niemburgenſis. 348.
Guadagni (Fr. Joh. Ant.) Card. Vicarius. 154.
Guallagiis (Petrus de) Canon. S. Petri. 314.
Gualfridus Paſchalis II. nepos. 380.
Guarda la cianca Italor. effatum. 219.
Guericus venerabilis Comes. 380.
Guido Epiſc. Præneſt. Commendatarius S. Mariæ trans Tyb. 376. 381.
Guillelmus Epiſcop. Anconit. 343.

H

HAbitus Canonicor. S. Petri. 188.
Habitus ornatus. 190.
Hadrianus Imp. 320.
Hadrianus PP. I. 42. Secundus. 44. Quartus. 68.
Hebdomadarii Cardd. 71. 219.
Hecates Idolum 322.
Heliogabalus Imp. 319.
Henricus Junior Rex Anglorum. 289.
Henricus Luxemburg. Imp. 173. 282.
Henricus V. Imp. 283.
Henricus Rex &c. exauthoratus. 113.

Henri-

Henricus Card. S. Mariæ Transtyb. 378.
Hervorſt (Hugo de) Protonot. Apoſtol. & Præpoſitus Vannen. 343.
Hoffmanni opinio non probata. 9.
Holſtenii (Lucæ) opinio non probata. 71.
Honor pro donativo. 330.
Honorius PP. III. 60.
Hoſpitii Dñus. *V.* Magiſter.
Humilis, ſubſcriptio. 360.

I

JAcobus Johannis Archipresb. SS. Sergii & Bacchi de Sebura. 347.
Januarius menſis. 327.
Imagines Sanctorum in proceſſionib. 82.
Imago B. Mariæ de Clementia. 364.
Imperatores offerebant extra ſepta altaris. 24. In Canonicos adſciti. *V.* Principes.
Innocentius PP. II. 88. 364. 380. 382. Tertius. 40. 364. 380. & ſeqq. Quartus. 36. Sextus. 282. Decimus. 274. Decimustertius. 230. 277.
Inſignes Urbis eccleſiæ. 85. 86. *V.* Baſil. S. Laurentii in Damaſo, & S. Mariæ Tranſtyb.
Johannes Abbas S. Paulli PP. Vicarius. 313.
Judæorum onus in Coronationibus Pontiff. 245.
Julianus Imp. 322.
Julius S. PP. 364.
Juſtinianus Imp. 323.
Juſtinus II. Imp. 324. 328.

K

KAlendæ Januarii. *V.* Januarius.

L

LAderchius (Jacobus) notatus. 304.
Laicis vetitum ingredi Presbyterium, & offerre intra cancellos altaris. 8. 23.
Lambertinis (Proſper de) *Vide*. Benedictus PP. XIV.
Lanceæ in proceſſionibus papalibus quænam. 90. & ſequ.
Lance ſpezzate. 217.
Largitiones pontificiæ aliquot recentioris moris, aut formæ. 265.
Laudes, acclamationes. 216.
Lavina. 254.
Leo Conſul & Dux. 360.
Leodienſis Sigillifer, Canonicus, Præpoſitus. 343.
Leo Imp. 318. Argiropulus. 321. Philoſophus. 322.
Leo S. PP. III. 113. 122. Quartus. 123. 283.
Leo PP. X. 82.
Leo primus Miſſus, & Apocriſarius S. Sedis. 359.
Levita pro Diacono. 378. 380.
Liberius PP. 43.
Litania minor. 115.
Litania Romana quænam. 115.
Lobia, lobium, lovia. 90.
Lonigo (Michaelis) relatio corrigenda. 70.
Lotharius Rex &c. 283.
Lucenſis ſolidus. 37.
Ludovicus XV. Francorum Rex. 172. 317.
Ludovicus Pius Imp. 41. 42.

Digitized by Google

Ludovicus Rex &c. 283.
Luna (Petrus de). 281.

M

Mabillonius in aliquo non probatus. 301.
Macrus notatus. 262. 301.
Magiſter Cerem. PP. Ejus cura de Palliis. 340.
Magiſter Cappellæ pontificiæ. 58. Sacri Hoſpitii. 65.
Majorentes. 217.
Malachini, melechini &c. moneta. 218.
Mallius, ſeu Manlius (Petrus). 44.
Mandoſia familia &c. 159.
Mandoſius (Julius) laudatus. 361.
Manſionarius. 204.
Mantus papalis. 287.
Manus, donum. 264. & ſequ.
Mappula, Mappularii. 64.
Marabotini, moneta. 218.
Marangonius (Joh.) laudatus. 86. 310.
Marcellus S. Centurio. 325.
Marcianus Imp. 318.
Marcus S. interpres Petri. 123.
Mareſcalli Pontificii. 64.
Mareſcallus Curiæ. 268.
Marigonis (Magiſter Ant. Georgii) Medicus Romanus. 348.
Marrocinus (Thomas) Canonicus S. Mariæ trans Tyberim. 349.
Mauricius Imp. 116. 328.
Meratus (Cajetanus Maria). 19. 116.
Merolana. 228.
Michael III. Imp. 41. Balbus, Curopalates. 289.
Milvius pons. 123.
Miniſteria, quænam? 50.
Miſſa matutinalis. 52.
Miſſus, & Apocriſarius S. Sedis. V. Leo primus.
Mitrati. 86.
Mixtum. 253.
Molendino (Henricus de) Clericus Bremenſis. 347.
Monachi S. Mauri. Eorum opinio non probata. 13. 116.
Monaſterium. V. Eccl.
Monaſterium S. M. & Cornelii. 359. de Rivaldis. V. Magiſter Cappellæ.
Monetæ. 209. 259. V. ad ſingularum nomen.
Monetarum nuncupatio a locis. 37. 64.
Mons malus, gaudii. 254. 283.
Monte (Britius de) Canonicus S. Petri. 166. Petrus Epiſcopus Brixien. 227.
Mucantius (Joh. Paullus) in aliquo non probatus. 301.
Mucolio (Pſeudo-Card. de). 281.

N

Naccus, nactus. 252.
Nardus (Petrus) Magiſter, Cappellanus, & Auditor ſacri Palatii. 349.
Naſſa, naſſaria. 335.
Navalium Præfectus. 217.
Nero Imp. 323.
Nicephorus Patriarcha CPolit. 289. Phocas Imp. 288.
Nicolaus PP. III. 6.
Norcia (Dominicus Ant) Canonicus S. Laurentii in Damaſo. 290.
Noriſius Card.. 123.
Novella Juſtiniani explicatur. 210.
Novitas perturbat. 159.
Nyvellenſis (Canonicus Bernardus). 243.

Obe-

Digitized by Google

O

Obedientialis quinam. 51.
Oblata, oblatio, oblatum, ſynonima. 19.
Obſequia ſua, quid. 195. 210.
Occurſus facti Epiſcopis &c. 236. 254.
Occurſus, honoris genus. 283.
Offerentium nomina. 22.
Offertorium, offerenda. 21.
Orarii Ordinatorum ad S. Petrum. 113.
Ordinationes Clericor. Romanor. aliquando ad Lateranum. 33.
Organorum uſus coram Papa. 230.
Orgiſus Dativus Judex. 357.
Oſanna Dominica. 225.
Oſſuvi Rex Anglorum. 41.
Oſtiarii pontificii. 63.
Othobonus (Petrus) Card. 150. Legatus PP. a Latere. 289.

P

Pachyſis, pactyſis, vinum. 203.
Palmarum Dominica. V. Oſanna.
Palmæ a PP. diſtributæ. 61.
Paparoni (Philippus) Canonicus S. Mariæ majoris. 138.
Papebrokii (Danielis) errores aliquot. 88. 297.
Papiliones. 127.
Papienſes denarii. 37.
Paracellarii. 213.
Paradiſus, atrium. 38.
Parochi aſſiſtunt Concilio Romano. 86.
Paſchalis PP. II. 378. 380.
Paſchalium gaudiorum portio Neophyti. 229.
Patriarchales. Cantores, apud eaſdem. 59. quæ propriè, & impropriè dictæ. 184. earum vetus ac novum officium; & prærogativæ. a 184. ad 190. V. Baſil. Eccl. & Princ.
Pauli (Sebaſtianus) laudatus. 310.
Paullus PP. II. 283. Tertius. 286. Quintus. 133. 150. 151. 275. 371.
Paulutius (Fabritius) Card. Vicarius. 156.
Pauperes. V. Clerici.
Pelagius (Alverus) notatur. 69.
Pelagus in flumine quid. 335. 355.
Pepulus Cardinalis. 148.
Perdimedalla (Paullus) Canonicus S. Mariæ majoris. 138.
Perrimezzius (Joſ. Maria) Archiepiſc. Boſtrenſis &c. 11.
Petronius (Hieronymus) Canonicus S. Petri. 316.
Petrus S. Vexillifer, ac Ductor. 112. Ejus poteſtas, primatus &c. V. Primatus. Ejus Cathedra. V. Cathedra, Feſtum. Ejus humilitas. 133. Statua prodigiis inſignis. 149.
Petrus Archipresbyter S. Mariæ Tranſtyberim. 361. 378.
Petrus Aquenſis Epiſcopus. 343.
Petrus Urbis Præfectus. 267. & 333.
Pharus, rete. 78.
Philanthropia. V. Filanthropia.
Philippus Auguſtus Rex Francorum. 283.
Philippus ex Canonicis Bononienſibus PP. Scutifer, & Soldanus. 238.
Philotimia. V. Filotimia.
Piper, donum &c. 222. 232. 245.
Pippinus Rex Francorum. 42.
Piſces diſtributi inter Clericos. 71. 72.

Pi-

Piſtori (Paridanus) Scriptor Apoſtolicus. 348.
Pius S. PP. I. 29. Quintus. 310.
Pons Antonini. 335.
Porticanus. 49.
Portuenſis diœceſis. 357.
Præfectorum Urbis congregatio. 315.
Præfectus Urbis. Ejus juriſdictio in civitate Leonina. 48. 49. Locus in equitationibus pontificiis. 219. & ſequ.
Presbyter pro quovis Clerico. 125. & ſequ.
Presbyteri ſedebant in presbyterio. 7. non cantabant in choro. 9.
Primates Eccleſiæ. 202.
Primatus S. Petri feſtum. 119. 120.
Primicerius, Primiclerus. 20. 31. 213. 231. Scholæ Cantorum. 58.
Principes laici Canonici eccleſiarum. 188.
Priores collegiorum. 217.
Pro redemptione animæ &c. formula chriſtiani teſtamenti. 334. 354.
Proceſſiones variæ. 127. 129. 144. 154. 159. 165. 183. 187. V. Litan. Ritus.
Procopia Auguſta. 327.
Procovia, procoma, vinum. 203.
Proviſinus, moneta. 64.
Punctatores Canonicor. 51.
Pyrrhus Patriarcha CPolit. 281.

Q

Quirini S. E. & M. corpus ad S. Mariam Tranſtyberim. 88. V. Reliquiæ.
Quadraginta SS. MM. 321.

R

Raphael Card. Albanen. Camerarius Julii II. 374.
Raſponus Card. in aliquo non probatus. 220. 303.
Reccommendati. V. Confalon.
Regnum, ſeu thiara. 56.
Reliquiæ in proceſſionibus. 82. Expoſitæ. ibid. SS. Abundii, & Abundantii. 159. Agathæ, Georgii. 92. Agnetis, Emerentianæ. 151. Calixti, Cornelii, Julii, Calepodii, & Quirini. 88. 382.
Rennes (Joh. de) Canon. Leodien. 343.
Rete quid in eccl. 78.
Ribaldi quinam. 224.
Richardus Rex Angliæ. 271.
Ritus varii. 5. 6. 38. 55. 80. 82. 85. 92. 115. 155. 173. 216. 225. 229.
Rocca (Angelus) in aliquo non probatus. 166.
Rodulpho (Maria, Johannes, Baro de) Nobiles Romani. 354.
Rodulphus Ord. Eremit. minor Pœnitentiarius. 349.
Roga, rogalia. 330. 331.
Romanæ Eccleſiæ laus. 2. Cura pro alimonia fidelium abſentium. 16.
Romani Epiſcopi denominatio ſingularis. 218.
Romani Pontiff. ordinati ad Sanctum Petrum. 113. Coronati. 114. Pallium accipiunt: profeſſionem Fidei emittunt. ibid.
Romanus Canonicus S. Petri. 44.
Rondoninus (Philippus) notatus. 78. 248. 301. 303.
Roſa aurea. 224.

Ro-

Digitized by Google

Rota porphyretica. 84.
Ruſticuccius Card. 273.

S

SAbbathum Scrutiniorum. 213. 224.
Sabella familia. 65.
Saccellarius, ſaccus. 213. 228.
Sacco. 79.
Sal Catechumenis datum. 29.
Salarium. 47. 126.
Salma, ſarcima, ſauma. 79.
Salomon. 317.
Sanctus (Petrus) Canonicus Sanctæ Mariæ Tranſtyberim. 313.
Sandialiarii. 44.
Sangari. 217.
Saraceni. Moneta. 218.
Saxonum Princeps. 42.
Scaramanga. 323.
Schola. 57. baſilicæ, baſilicaria. 34. 62. Cantorum. V. Cantores. Crucis. 63. &c.
Schrattempach (Wolfgangus de) Card. 236.
Scriniarii. 213.
Scyphus. 19.
Secundicerius. 213.
Selleri (Fr.Gregorius) Card. 151.
Senatores. V. Conſervatores.
Senatorium. 19.
Senatus Romani monetæ. 36.
Sententiales quinam. 48.
Sereniſſimi denominatio. 337.
Sergius II. PP. 208.
Servi Dei, fervientes Deo, denominati Epiſcopi, & Clerici. 133. 354. 359.
Servientes S. Petro. 49.
Servi S. Petri denominatio Romani Pontificis. 133. & ſequ.
Severus Imp. 320.
Sfondratus (Paullus) Card. 151.
Sfortia Card. 273.
Sigillifer Leodien. V. Vyaco.
Sixtus PP. IV. 181.
Soldanus Curiæ. 238. 268.
Solidi aurei. 209. V. Rocca.
Sophia Auguſta. 328.
Scrutinia in Sabbathis. V. Sabbathum.
Stephaneſia familia. 65.
Stephanus Card. S. Marci Urbani VI. Vicarius &c. 313.
Stephanus Conſul. 260.
Stephanus PP. IV. 70. & ſequ.
Stercoraria ſedes. 249. 270.
Sticha quid. 252.
Stimulati quinam. 217.
Stipendium emeritum. V. Emeritum.
Subcintorium. 80.
Subdiaconi R. E. 60. Eorum cura de palliis. 337.
Suem occidendi uſus in natali Domini. 151.
Suffraganeus eccl. Lateran. ſeu Vicarii PP. 157.
Sylveſter S. Papa. 288.
Sylveſtri S. eccl. V. Eccl. S. Dorotheæ.
Synibaldis (Falco de) Theſaurarius PP. &c. 239.

T

TAberna emeritoria. 364.
Tengnagel (Theodorus) Clericus Trajectinus. 347.
Tentorium. 127.
Theodebertus Card. Legatus in Angliam. 6.
Theodorus S. Miles, & Patronus, ac Defenſor Romanor. 91. 92.
Theodorus PP. 281.
Theodoſii arcus Romæ. 84.
Theodoſius Imp. 321.

Digitized by Google

Theophilus Michaelis Balbi fil. 289.
Theophylactus Michaelis Curopal. fil. 327.
Theſaurarius PP. *V.* Saccellarius.
Thomaſius Ven. Card. laudatus. 2. 119. Ejus mss. opuſcula edenda. ibid.
Thomaſſinus (Ludov.) notatus. 16.
Thomæ S. Cantuarienſis cædes &c. 6.
Tineoſis (Angelus de) Canonicus baſilicæ Lateran. 314.
Tituli. Eorum uſus vetus, ac novus, prærogativæ &c. 184. & ſeqq.
Trajanus Imp. 319.
Traſpadinæ eccleſiæ S. Mariæ denominatio. 153.
Tributa Sedi Apoſtolicæ præſtita. 42.
Triclinia Vaticana. 65.
Truchſes (Otho) Card. 168.
Tzanga. *V.* Zanga.
Turonenſis groſſus. 37. &c.
Turrecremata (Joh. de) Card. S. Mariæ Tranſtyberim. 168. 353.
Turris Serpeteri, campi, ubinam. 267.
Turrigii (Joh.) errores. 64. 89. 92. 240. 248.

V

Vaini (Hieronymus) Cantalupi Princeps. 172.
Valens Imp. 318. Ejus dona. 20.
Valentinianus Imp. 318.
Valerianus Imp. 318.
Valeſiorum regia familia. 342.
Valeſius (Carolus) in aliquo non probatus. 301.
Valeſius (Franciſcus) laudatus. 247. Ejus Opus. Ibid.
Vannenſis Præpoſitus. *V.* Hervorſt.
Vaſtarii, Vaſtararii. 63.
Vaticanus Clerus laudatus. *V.* Baſilica.
Veglones, & Vegloniſſæ. 172.
Veggii (Mapheii) locus emendandus. 90.
Venerabilis Comes. 380.
Veſtes donandi Clericis &c. uſus antiquus, ac recens. 57.
Veſtiarium. 56.
Veſtiarii Præfectus. 329.
Vexilla collegiorum Clericor. aliquot Urbis. 127.
Vexillum Cleri Romani. 159.
Ughelliani documenti locus emendatus. 66.
Via papalis antiquior. 263.
Vicarii eccleſiarum Urbis. 153.
Vicarii perpetui eccleſiar. Urbis. 159.
Vicarii Petri humilis denominatio Romani Pontif. 183.
Vicarius Archipresbyteri S. Petri. 149. 337.
Vicarius PP. in temporalib. 74. In ſpiritualibus olim non Cardinalis. 154. 314.
Vicedominus quinam. 202.
Vicesgerens. 157.
Vigiliarum nomen. 55.
Vignolius (Joh.) in aliquo non probatus. 194. 195. 214.
Urbanus PP. III. 191. Quintus. 256. Octavus. 275.
Urſina familia. 65.
Waldorp (Euthgerus de) Leodienſis Beneficiatus. 347.
Vyaco (Philippus de) Archidiac. Ardennæ, & Sigillifer Leodien. 343.

Xini-

Digitized by Google

X

X Inichium, 364.

Y

Y Pateja, ypattia Græcis quæ-nam, 125.

Yconomus S, Mariæ Tranſtyb. 378. 380.

Z

Z Anga, 219.
Zehore (Joh.) de Rhemis Scriptor Apoſtolicus, 347.
Zinichum, V. Sinnich. Xinich.

LAUS DEO

ADJI.

Digitized by Google

ADJICIENDA

Variis *Corrigendis*, ante Præmonitionem Lucubrationi præpoſitam (promptioris emendationis cauſſa) annotatis pag. XXVI., pauca, quæ per nuperam Amanuenſis, Typographive inconſiderantiam Appendicis III. ſeu meliùs Documentorum inibi congeſtorum vitiarunt lectionem aliàs multis antiquioribus ſcatentem defectibus, ac mendis, nec ab iis purgatam, ut monumenta illa tenerent Eruditi, qualia haberentur in chartis ab Authore conſultis.

Pag 350. *lin.* 7. *in Docum.* V. ſatutarem *legatur* ſalutarem
Pag. 357. *lin.* 9. *in Docum.* IX. ecclefie *legatur* chartule
Pag. 379. *lin.* 2. *in Docum.* XX. appellatione, & jurent *legatur* appellatione veniant, & jurent
Pag. 380. *lin.* 13. *in eod. Docum.* venerſabili *legatur* venerabilis

Pag. 334. *lin.* 5. *Documenti* II. *poſt* redemptione *colloca numerum* (2) *oſcitanter ad lin.* 7. *translatum*.

ERRATA

In *Addendis aliis*, & *Corrigendis* ſequentibus detecta ita corriguntur.

Pagina	*linea*	*habetur*	*legatur*
2	31	*lib.* 6.	*lin.* 6.
8	26	*lin.* 5.	*lin.* 3.
10	24	XXII. *adde*	XXII. *poſt* Jubilei *adde*
12	9	Saulnierium.	Saulnierium
——	41	num. 24.	num. LXXIV.
13	33	*Crucem*	*Crucis*
——	34	XXVII.	XXVIII.

Ex ead. pag. 13. *deleantur tertia*, & *quarta linea*.

Alia, ſiquæ ſint, ex his etiam expunget Lector Authorem adjuvans gravi jam a pluribus annis ophthalmia laborantem; adeoque vel ſuis per ſe recenſendis ſcriptionibus parum idoneum.

ADDEN-

ADDENDA ALIA , ET CORRIGENDA

In DISCEPTATIONE EPISTOLARI de Ritu variandi chorale indumentum in ſollemnitate paſchali &c.

Edita anno MDCCXXXII. *typis Bernabò*.

MONITUM.

CONSTITUERAM , ea omnia , quæ poſt vulgatam DISCEPTATIONEM EPISTOLAREM *de Ritu variandi chorale indumentum* &c. vel detexiſſem occulta mihi pridem,vel excogitaſſem noviter,vel fortuitò accidiſſent ſive confirmandis , ſive corrigendis dictis accommoda , adjectis quotquot e regione 1. paginæ adjicienda & corrigenda prædixeram, ipſi inſerere opuſculo iterùm, mutata paullisper forma, imprimendo in COLLECTIONE *Scriptorum Ritualium* , quam poſt ultimam paginam SUPPLEMENTI *diſſertationi de Ritu oſtenſionis ſacrar. reliquiar.* promiſeram . Sed , quum id nonniſi poſt aliquot annos ſim, Deo dante , exequuturus, quæcumque paravi hactenus ad illud argumentum magis elucidandum utile e ſchedis excerpo , lubenſque , oblata nunc opportunitate , produco ; ſic tamen diſpoſita , ut habeat citra grave curarum ſuarum diſpendium , quo eamdem diſceptationem,primigenia ſervata forma , auctiorem correctioremque recudere poſſit , quiſquis futuris temporibus (ſi fortè promiſſis ipſe defuero) propoſitam *Collectionem* exornaverit . Lectio ipſa mox dicendorum docebit , quàm commode expleri res valeat . In iis perſpicuè notantur , quæ in textu epiſtolæ , aut ſub illo addenda: quæ delenda , vel emendanda . Vigilantiam operamque Editoris poſtulabunt unicè nova agenda capitulorum , ſeu numerorum recenſio , iiſdemque conformandæ , ſiquæ reperiantur per Opuſculum diſperſæ , illorum allegationes . Quod etiam modici laboris erit . Siquidem tria tantum nunc adduntur capitula , ut pandent , quæ ſequuntur .

Pagina 18. *linea* 29. *num.* XV. *poſt* renovationem morum *adde*

ſeu *regenerationem novi hominis* , ut Auguſtini (ſerm. de *verbis Domini in monte* l. 1.) voce loquar .

Pag. 27. *lin.* 30. *num.* XXVI. *poſt* aptiùs *leges* Sect. II. §. 1. Prologi

Ibid.

Ibid. lin. 31. *poſt* Presbyterii *adde*
hiſtoriam Sozomeni lib. IX. cap. II.

Pag. 30. *lin.* 9. *num.* XXX. *poſt* de ſacrificio *adde*
Ceterùm nunc etiam Romæ in epulo ſollemni poſt Mandatum quotannis dando feria V. in cœna Domini, cui Romanus ipſe Pontifex miniſtrare ſolet, treſdecim peregrini pauperes Presbyteri, quibus præbetur, convivantur amicti veſtimentis albis. Horumce epuli, & veſtimentorum meminimus Par. III. Lucubrat. de *Presbyterio* ſect. VIII. §. 1. nota *a*.

Pag. 42. *lin.* 24. *num.* XLII. *poſt* &c. *adde*
necnon Rhemigius Antiſſiodorenſis Monachus in tractatu de Dedicatione eccleſiæ apud Martenium to. III. de ritib. eccl. lib. II. cap. XIII. p. 311. dum ait: Alleluja, *vox eſt exultationis.... Hinc mos increbuit, ut per dies afflictionis, qui ſunt quadrageſimæ, ante Paſcha* alleluja *non cantetur, quia dies ſunt luctus, & pœnitentiæ. Reſurrectione autem Domini peracta, ſine intermiſſione cantetur.*

Pag. 46. *lin.* 33. *num.* XLVI. *poſt* commentarii *adde*
Nec mirandum, ſi ad Sabbatum Pentecoſten præcedens, qui loti non fuiſſent in Paſchatis initio, lavandi remitterentur, baptiſmi illius diei celebratione verè non ad ſollemnitatem adventus Spiritus Sancti magis, quàm ad Chriſti reſurrectionem pertinente, quod inſinuat magnus Leo (epiſt. XLII.) aptiſſimè vocans Paſcha, & Pentecoſten *feſtivitates connexas ſibimet, atque cognatas*: & diu ante illum Tertullianus cap. 19. libri de baptiſmo ſcribens: *Diem baptiſmo ſollemniorem Paſcha praſtat.... Exinde Pentecoſte ordinandis lavacris ampliſſimum ſpatium eſt: quo & Domini Reſurrectio in Diſcipulos frequentata eſt, & gratia Spiritus Sancti dedicata, & ſpes adventus Domini ſuboſtenſa.*

Pag. 49. *lib.* 6. *num* LI. *poſt* videntur: *adde*
S. Hieronymus ait ad cap. I. in Ezechielem, quod Chriſtus naſcens *abſconditus eſt, & non apparuit.*

Ibid. lin. 7. *eod. num. poſt* ſollemniter *adde*
(aliàs apud Græcos non diſtincta quondam a feſtivitate natalis Dominici, ut contendit Pater Sebaſtianus Paulus par. I. diſſertationis de ritu Neritinæ eccl. exorcizandi aquam in Epiphania cap. IV. pag. 17. & ſeqq.) tantùm

Pag. 50. *lin.* 11. *num.* LII. *poſt* Canones *adde*
quorum loca aliqua ſparſim ſupra data ſunt, non ambiguè

Pag. 58.

Pag. 58. *poſt lineam* 5. *ante numerum* (*ol.* LXI *nunc*) LXII.

LXI. Par uſus apud Iberos. *Item ſtatuimus, quod Archiepiſcopi, aut Epiſcopi, aut alii Prælati, & Canonici Cathedralium, vel Collegiatarum ſecularium & regularium infra eccleſias ſuas, vel clauſtra ad divina officia & proceſſiones a feſto omnium Sanctorum uſque ad Sabbatum Paſchæ deferant cappas nigras, exceptis diebus, quibus cappis ſericis ſolent uti. Alioquin in choro ſuperiori ſeu majori non ſedeant, nec in proceſſionibus inter cappatos incedant, ſed eos præcedere teneantur.* Ita decretum in Concilio Tarracone habito per Johannem Patriarcham Alexandrinum illius eccleſiæ Adminiſtratorem an. 1329. V. acta Concilii ad num. LXXVII. to. XV. collect. Venetæ col. 383. Necnon Hiſpaniæ.

Pag. 60. *lin.* 28. *num.* (*ol.* LXIII. *nunc*) LXIV. *poſt* baſilicarum *appone* ac ſub calce paginæ notam ſeq., ſervato ſimilium notarum more.*

* Si, ut poſtea factum, ante publicationem hujus opuſculi conceſſum mihi fuiſſet exemplar diplomatis indulti deferendi cappam amplam Capitulo & Clero Vaticano tributi Nicolai V. beneficentia, quod numero LXIX. paucis enarratur, tum argumentum hocce, tum alia inferiùs tractata validiùs, & confidentiùs urgere potuiſſem. Ecce enim legenti diploma occurrerunt ſequentia, quæ non approbatum, innovatum, præſcriptumque Ritum noſtrum declarant tantùm, ſed & compulſos cenſurarum eccleſiaſticarum metu ad eumdem perpetuò obſervandum Clericos tali privilegio decoratos. *Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium hac perpetuò valitura Conſtitutione ſtatuimus, & ordinamus, quod omnes, & ſinguli ejuſdem baſilicæ Canonici, Beneficiati, Cappellani, & Clerici præſentes pariter, & futuri de cetero a vigilia omnium Sanctorum uſque ad Sabbathum majoris hebdomadæ, quando novum incipitur* alleluja, *tam in præfata baſilica, quàm extra eam capitulariter, ſingulariter, aut collegialiter incedentes, capis violatiis, ſive pagonatii coloris, videlicet Canonici cum caputiis de pantiis griſiorum ſoderatis ſupra Rocchettum more Prælatorum, Beneficiati verò Cappellani, & Clerici capis coloris ſimilis, minùs tamen pretioſis, uſque ad talos conſutis ante uno tantùm foramine, per quod manus, cùm opus fuerit, & non aliter emittere poſſint, cum caputiis brevioribus de ſchirolis nigris foderatis, ita tamen, quod capas ipſas levare, ſed protenſas tantùm deferre temporibus conſuetis, aliàs juxta ordinationem fel. re-*

cord. Nicolai Papæ III. prædeceſſoris noſtri ſuper hoc editam utantur, nec aliquid contra præſentem ordinationem noſtram temerè (quiſpiam) *innovare, aut immutare ſub excommunicationis pœna quoquomodo præſumat*. Hæc Nicolaus V. ſecundùm communicatum mihi ecgraphon, quod integrum trado in append. III. ad tractationem de *presbyterio* docum. XVI.

Pag. 65. *lin.* 27. *num.* (*ol.* LXVII. *nunc*) LXVIII. *poſt* Thierſius *adde*

Eximiè quoque Theophilus Raynaudus, *Philo* (inquit) *l. in Flavium de ſacris ritibus conſtanter retinendis etiamſi minimi videantur, admonuit*: quia ſicut in ædificiis, exempto uno cæmento, reliqua, licèt firma, videantur, laxata ſidunt paulatim in vacuum. Vide ejus Heteroclita ſpiritualia P. II. ſect. V. puncto IV. pag. 528. col. I. to. XVI. operum edit. Lugdun. anno 1665.

Pag. 75. *lin.* 28. & 29. *num.* (*ol.* LXXV. *nunc*) LXXVI. *poſt* explanatione *leges inpoſterùm*.

Par. II. ſect. V. §. 2. & 5.

Pag. 76. *lin.* 7. *eod. num. poſt* Ciampinum &c. *deletis verbis*, documento V. relato *adde*, & *lege*

in annalibus Moiſſiacenſibus ad annum 801. to. III. Scriptor. Francor. Andreæ Ducheſnii pag. 143., documentis VIII. & X. relatis

Ibid. lin. 20. *eod. num. poſt* 889. *adde*

(præeunte Leonis IV. exemplo, an. 884. in eidem attributa homilia de *cura paſtorali* hoc ipſum diſertè inhibentis)

Pag. 82. *lin.* 7. *num.* (*ol.* LXXXII. *nunc*) LXXXIII. *poſt* teſtibus *adde* tum praxi, tum papalium privilegiorum phraſibus, præcipuè,

Pag. 83. *lin.* 11. *num* (*ol.* LXXXIII. *nunc*) LXXXIV. *poſt* pluribus *leges inpoſterùm*

Sect. I. §. 11. & ſeqq. Prologi

Pag. 84. *lin.* 8. & 9. *eod. num. ea verba* cum propria cruce, & papilione *legito poſthac*

cum propria cruce ſine papilione. *Sic enim verè habetur in autographo iterum per me conſulto, ex quo dubitavi de vitiata (Exſcriptoris, aut Typographi incuria quis divinabit?) illius loci lectione.*

Ibid. lin. 30. *num.* (*ol.* LXXXIV. *nunc*) LXXXV. *poſt* locorum *pone* * *inde hæc nota ſub calce paginæ*.

* Ob hanc, aliaſque ſequentibus pares rationes Canonici, & Cle-

Digitized by Google

& Clerus baſilicæ S. Mariæ transTyberim ſimili ritu , habituque decori manè diei 9. Martii eccleſiam SS. Quadraginta MM.intra Parœciæ fines poſitam & veterem tam inſignis Tituli filiam ſeu cappellam feſtum eorumdem MM. celebraturi adire ſolent ab anno 1736. quo poſt diuturnum litigium priſtinum in eamdem juriſdictionis exercitium recuperarunt. Quæ fuſiùs in hiſtoria baſilicæ narrabuntur.

Pag. 85. lin. 20. eod. num. poſt XIII. *ſigna* * * *& ſub calce paginæ annota*

* * Hoc ipſum obſervatum in delatione cadaveris Clementis PP. XII. die 8. Febr. an. 1740.

Ead. pag. lin. 31. eod. num. poſt voces ſiquidem hoc *appone* * * * *& ſub calce paginæ, quæ hìc nectimus, nota*

* * * Demonſtrat, ſtabilitque, quæ hìc dicimus, quod accidit in funere Petri Card. Othoboni Sac. Collegii Decani, S. R. E. Vice-cancellarii , Commendatarii inſignis baſilicæ S. Laurentii in Damaſo, necnon Patriarchalis Lateranenſis Archipresbyteri, celebrato apud d. baſilicam Damaſi poſtridie Kal. Martii an. 1740. vacante Sede , recluſiſque Cardd. in conclavi. Exequiali ſollemni miſſæ per Illuſtriſs. Criſpum tamquam unum ex Aſſiſtentib. Epiſcopis pontificio ſolio , miniſtrantibus ſibi papalis Cappellæ Clericis , & Cantoribus, remque totam moderantibus Magiſtris Ceremoniarum Sedis Apoſtolicæ duobus , cantatæ , annexæque Abſolutioni factæ ſub Cruce, quæ cappellaris in conclavi detentæ loco eſſet , præter Capitulum S. Laurentii, ex hujus aſſenſu prærequiſito , ac benigniter conceſſo adſtitit pari cum eodem honore nobiliſſimum Capitulum laudatæ Patriarchalis, & ſpeciatim cum cappis. Num verò jure ſuo, ſive ex vi propriæ dignitatis? Herclè non ita. Sed ex vi indulti trium Cardinalium capitum ordinum, videl. Corradini, Petræ, Rezzonici, qui ſupplicationi die 29. Februarii porrectæ per Apoſtolicos Ceremoniarios, præcognita voluntate Canonicorum S. Laurentii, & attento defectu (hic autem allegabatur a pleriſque Lateranenſibus) ſuperpelliciorum, reſcripſerunt: *Conſentientibus Canonicis S. Laurentii, pro hac vice tantùm, & dummodo non tranſeat in exemplum, licere Canonicis S. Johannis in Laterano in caſu, de quo agitur, uti cappis.* Hæc cum tota ſerie actionis fusè notata legi in ſchedis & diariis V. Cl. Joh. Baptiſtæ Lizzani alterius ex magiſtris ſupra indicatis.

Pag.87.

Pag. 87. *lin.* 2. *num.* (*ol.* LXXXV. *nunc*) LXXXVI. *poſt* indulto *pone* * *& ſub calce paginæ nota, quæ ſequuntur.*

* Anno 1735. die 23. Januarii occaſione aſſociationis cadaveris fœminæ piiſſimæ Mariæ Clementinæ magnæ Britanniæ Reginæ a baſilica XII. Apoſtolorum pompa maxima tranſlati ad Vaticanam, rogante, ac ſuadente R.P.D. Ignatio Reali Rom. Curiæ Prælato, altero tunc pontificiis ceremoniis Præfecto, & d. baſilicæ S. Petri Canonico, ejuſdem Capitulum, & Clerus a Clemente PP. XII. indultum impetrarunt oretenus huic ſimile, quod notorium eſt, & conſtat ex monumentis publica authoritate impreſſis. *Succedevano . . . . il Reverendiſſimo Capitolo, e Clero* (di S. Pietro) *tutti con cappa per ſpecial grazia accordata da Noſtro Signore, atteſa la ſtagione, ed ora, con diſtinzione al grado dovuto, e tutti con candele acceſe &c.* inquiunt diurna rerum urbanarum ordinaria, typis Chracaſii vulgari ſolita, ad paginam 9. diurni ſignati num. 2729. quo deſcribitur diligentiſſimè aſſociantis Cleri obſequialis pompa.

Eadem pag. poſt ea omnia, quæ continentur numero (*ol.* LXXXV. *nunc*) LXXXVI. *legas*

An verè neceſſarium indultū illud?

LXXXVII. Gnarus ſum equidem, extitiſſe tunc temporis, qui putarint, eam indulti petitionem viſam iri ſuperfluam lecturis diploma conceſſionis habitus æqualis adhibito a Canonicis, & Clero Patriarchalium præfatæ baſilicæ Canonicis & Clero factæ a Clemente PP. VIII. ut e ſeqq. numeris clariùs. Habetur namque in diplòmate, quod ii cappam geſtare poſſint, & rochetum *liberè ac licitè, cujuſvis licentia minimè requiſita, in choro dictæ eccleſiæ, quandocumque divinis interſunt, ac proceſſionibus, aliiſque Capitularibus actibus tam intra, quàm extra eccleſiam pro tempore faciendis, & in quibus cum cotta tantùm hactenus intereſſe conſueverunt.* Quæ ſanè ratio dicendi (ut affirmabant) declaratio concedentis eſt ejuſmodi geſtationem nullis limitibus circumſcriptam. Verùm non illi ſapienter. Si Pontifex tam latè patere voluiſſet munus ſuum, ſaltem ampliori uſus fuiſſet formula, puta, ei ſimili, quam utplurimùm adhibere ſolet in gratiam Canonicorum Cathedralium, aliarumve * inſignium eccleſiarum extra Urbem, cujus exemplar

* Clemente XII. Eccleſiæ catholicæ præſidente, in civitate Melitenſi ad eam partem, quæ *Valletta* nuncupatur, conſtituta eſt inſignis collegiata eccleſia. In literis Apoſtolicis explicatè conceditur Canonicis ejuſdem, *ut .. cappam magnam ...* *tam*

Digitized by Google

plar attulimus num. LXXXIII. Neque credibile videtur per æquivocam formulam privilegium ſupremi Romani Cleri, ideſt Cardinalium, ceterorumque Ordinum palatini Sacelli, communicari a Pontifice voluiſſe inferioribus Clericis jus nullum habentibus, niſi intra limites propriarum eccleſiarum, iiſque annexorum. Et verè formula illa æquivoca eſt; quippe quæ non incommodè explicari valet de omnibus quidem *actibus*, *proceſſionibus &c.* ſed exequendis congruè; nimirum, per ea loca, in quibus juriſdictionis cujuſpiam gaudeant honore. Quam certè ** explicationem reputandam eſſe germanam, legum quarumcumque fidelis interpres praxis expreſſa cit. num. LXXXIII. & ſequenti luculentiſſimè manifeſtat.

Pag. 88. *lin.* 24. *&* 25. *inter* 420. *&* Quod, *ſublatis aliis, hæc appone*

& Claudius Fleurius lib. XXXIV. hiſt. eccl. num. XIII. ex canone Concilii II. Turonenſis celebrati anno *566*.

Pag. 91. *lin.* 14. *num.* (*ol.* XC. *nunc*) XCII. *poſt* opus *appone* * *&, quæ ſequuntur, nota in calce paginæ.*

* Ideſt, hiſtoria S. Mariæ transTyberim. Ea tamen legi poterunt etiam in append. III. ad tractationem *de presbyterio* num. XIII.

Ead. pag. 91. *poſt ea omnia, quæ habentur d. num.* (*ol.* XC. *nunc*) XCII. *colloca impoſterùm ſequentia.*

XCIII. Superiùs dicta (potiſſimùm mox datas explicationes) lautè confirmat formula, qua juxta teſtimonium Pyrrhi Corradi, inter noviſſimos ætatis noſtræ Juriſconſultos celebriores numerandi, rogari ſcio Romanos Pontifices a poſtulantibus indultum deferendi toties ſupramemoratam cappam am-

Roborantur, & declarantur dicta ex formula petitionis indulti cappæ magnæ in Rom. Curia uſitata.

---

tam in parochiali eccleſia S. Pauli Apoſtoli (hic titulus Collegiatæ) *quàm extra eam, & tam in proceſſionibus, quàm aliis actibus, & functionibus quibuſcumque publicis, & privatis, etiam extra dictum oppidum* (Valletta) *& in dictà* (Melitenſi) *diœceſi &c.* deferre, eaque uti valeant.

** Eadem explicatio debetur verbis privilegii ejuſmodi primùm conceſſi Capitulo S. Petri per Nicolaum V., quæ ſub num. LXIII. notata ſunt. Eadem & verbis paris indulti conceſſi Canonicis & Clero S. Mariæ in Coſmedin aun. 1725. re ipſa, ſeu facto data eſt; iis videlicet verbis, quibus Benedictus XIII. ſtatuit, *ut cappas violaceas cum pellibus armellinis, & roccbettum tam in eorum collegiata eccleſia, eiuſque choro, & Capitulo, quàm extra eam in proceſſionibus, aliiſque functionibus, & actibus publicis quibuſcumque geſtare, illiſque uti liberè, & licitè poſſint.* Reliquum hujus indulti dabimus in opere de Hierarchia Cleri Urbis &c.

Digitized by Google

amplam, & rocchettum. Audi Clericos Firmanæ eccleſiæ ſic Pontificem alloquentes: *Cùm eccleſia &c. Supplicant igitur humiliter S. Veſtræ tam Capitulum, & Canonici, quàm devoti quoque S. V. oratores prædictæ eccleſiæ Beneficiati præbendati nuncupati, quod de cetero perpetuis futuris temporibus in dicta eorum eccleſia, necnon in choro, & Capitulo tempore hyemali; videlicet a die feſtivitatis omnium Sanctorum uſque ad Sabbatum ſanctum cappis violaceis cum caputiis intus, quoad Canonicos, & Dignitates obtinentes, armellinis, quo verò ad Beneficiatos doſſis pellibus ornatis, ac rocchettis, quæ, quoad eoſdem Beneficiatos, manicis .... careant: æſtate verò, & reliquo anni tempore, quoad Canonicos, & Dignitates obtinentes, hujuſmodi cottis, & rocchettis; quo vero ad Beneficiatos, cottis tantùm, ac aliàs ad inſtar Canonicorum Sacroſ. Lauretanæ eccleſiæ, ac baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, uti, eaque deferre liberè, & licitè poſſint, ac valeant.* Hactenus formula, quam ſi vis integrè percurrere, adeas librum II. praxis beneficiariæ laudati Corradi cap. XIV. num. 22. p. 120. edit. an. *1699.* Et ecce declaratum ex idiomate Romanæ Curiæ, hyemale tempus verè eſſe intelligendum in iis, de quibus agimus, totum, quod elabitur a feſto omnium Sanctorum ad Paſcha; æſtivum, quod ſpatium reliqui anni complet, ab hac ſollemnitate deducto initio.

Pag. 93. in nota lin. 9. poſt verbum afferimus *leges poſthac* Sect. 1. §. 4. Prologi

Pag. 99. lin. 5. num. (*ol.* XCVIII. *nunc*) CI. *poſt voc.* Ceremoniale *lege inpoſterùm*

compoſitum juſſu Innocentii VIII. & non ſine additionibus, ſeu interpolationibus

Pag. 100. lin. 21. poſt in Concilio Lateranenſi *appone* * & *ſub calce paginæ ſcribe*

* Videlicet in Congregatione quadam præſynodali, decernente Leone X. qui & rem confirmavit *conſiſtorialiter*, ut ajunt. Audiatur Ceremoniarius ejuſdem Pontificis ita loquens in Diariis, quorum excerptum, quale mihi V. Cl. Gerardus Suris, Clericus Gerundenſis ad veteres perſcrutandos Romanos ritus, novoſque annotandos ſumptu Sereniſſimi Luſitaniæ Regis Romæ detentus, anno *1739.* communicavit deſcriptum ſumma fide (licet omiſſo Authoris nomine, quem ego fuiſſe crederem Paridem Craſſi) de codice Vaticano, ſuaſque il-

illatum in chartas. *Die Dominica de Paſſione, ſecunda menſis Aprilis, anno* 1514. *SS. D. N. Pontifex, cùm ſederet in throno præſens miſſa papali, dixit mihi; qualiter in Congregatione proximè præterita, in qua fuerant omnes Cardinales, decretum fuit, quod de cetero futuris temporibus mutatio Capparum fieret in die Paſchatis reſurrectionis, & non in die Pentecoſte, prout nunc fiebat. Unde, quia iſtud Decretum etiam conſiſtorialiter confirmare volebat, ſic ſuadentibus Dominis Cardinalibus, mandavit, quod inveſtigarem, quando iſta mutatio Capparum introducta fuerit, & quare potiùs in Pentecoſte, quàm in Reſurrectione, facta fuerit, & quod propter id ſuper hoc reſponderem in Conſiſtorio proximè futuro. Itaque hodie in præſente Conſiſtorio retuli SS. D. N. Pontifici conſiſtorialiter cum viginti quinque Rm̃is DD. Cardd. ſedenti, hoc modo, videlicet: Joannem Papam XXIII. Capparum hujuſmodi mutationem legimus in feſto Paſchatis reſurrectionis fieri ſolitum, de qua re mentionem facit Antonius in chronicis. Verùm ſub ipſo Johanne Papa translatum ad veſperas vigiliæ Aſcenſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod utique* * *ſervare dicuntur; ſiquidem ab audientia cauſarum Rotæ eadem die abſtinent, ut ſcilicet Cappas mutare poſſint, cùm tamen non mutent, ſed cum aliis omnibus in die Pentecoſtes mutant. Deinde per Urbanum Papam V. ipſarum Capparum mutatio prorogata fuit ad vigiliam Pentecoſtes propter frigora, quæ fortè tunc acriora vigebant in Galliis, ubi Curia reſidebat. Itaque noſtro tempore hac ceſſante cauſa, qui mitiori cœlo fruimur, quàm illic, poſſet commodè Capparum mutatio reduci ad feſtum Reſurrectionis, ſicut erat priùs, &, ſicut audio, in locis multis ferè omnibus fieri, atque ſervari. Quibus per me enarratis SS. D. N. Papa quæſivit, ubi talia legiſſem: reſpondi, in annalibus antiquorum Magiſtrorum Ceremoniarum, & tunc idem S.D.N. remiſit me extra Conſiſtorium, ut deſuper liberiùs vota inquirere poſſet. Demum mihi introvocari juſſo impoſuit, ut mutationem Capparum perpetuis futuris temporibus ſervari facerem in die Paſchatis Reſurrectionis, quia ſic eſſet conſiſtorialiter decretum, ut omnibus intimarem, ut ſic fieret, & ſervaretur, quod illico partim feci, partimque faciam.*

* For. hic legit autographum, S. Palatii *Auditores*.

ADDENDA ALIA

Diſſertationi de Ritu oſtenſionis Sacrar. Reliquiar.

SIVE

AUCTARIUM

Supplementi *vulgati poſt Diſceptationem de Ritu variandi &c.*

MONITUM.

ANno MDCCXXXII. Supplementum edidi Diſſertationi de Ritu oſtenſionis Sacrar. Reliquiar. in calce Diſceptationis Epiſtolaris de Ritu variandi chorale indumentum in ſollemnitate Paſchali &c. modò & ipſum ſupplere volo ſupplementum : ideſt addenda alia ſuggero Diſſertationi prænunciatæ, ea methodo, ut illa pars editi Supplementi videri queant. Lector minimè dormitans facillimè deprehendet, quamcumque aliam methodum valde incommodam ingratamque futuram fuiſſe curaturis fortaſſe aliquando novam Diſſertationis editionem, quorum potiſſimè gratia, & *Supplementum* illud vulgatum eſt, & nunc *Auctarium* hocce ejuſdem vulgatur.

Ad pag. 5. Supplem. linea 29. poſt vocem *Novarini* adde & eruditam de codice S. Evangelii tractationem Cl. Joſephi Catalani viri de re rituali (maximè poſt editum egregium in Romanum Pontificale commentarium) meritiſſimi.

Ad pag. 6. Supplem. ſub linea 23. hæc interſere:

Pag. 23. *lin.* 27. *num.* (*ol.* XIII. *nunc*) XV. *poſt* aſpectu *adde* vacua tamen abuſu quopiam, ſive illaudabili ſpectantium fine, quem unicè improbari a S. Gregorio Magno in celebri epiſtola ad Conſtantiam Auguſtam ſcitiſſimè commonet, probatque in ſuis Heteroclitis Theophilus Raynaudus.

Raynaud. Heter. Spiritual. par. 1. ſect. 3. punct. 8. num. 18. & 19. p. 314. to. 15. oper. edit. Lugdun. an. 1665.

Ad pag. 7. Supplem. ſub lin. 21. hæc interſere:

Pag. 34. *lin.* 27. *num.* (*ol.* XIX. *nunc*) XXII. *adde* Aliàs uſitatam fuiſſe productionem Veronicæ in gratiam peregrinorum, luculenter ſignificant Petrarchæ verſiculi:

Petrarca Rime, Sonetto XIV.

Moveſi il vecchiarel canuto, e bianco
Dal dolce loco, ov' ha ſua età fornita,
E dalla famigliuola sbigottita,
Che vede il caro padre venir manco.

Indi

Indi trahendo poi l'antico fianco
Per l'eſtreme giornate di ſua vita,
Quanto più può col buon voler s'aita
Rotto dagli anni, e dal camino ſtanco.
Viene a Roma ſeguendo il deſio
Per mirar la ſembianza di colui,
Che ancor la sù nel ciel vedere ſpera.

Ad pag. 8. Supplem. ſub lin. 12. hæc interſere:

Pag. 39. lin. 19. num. (*ol.* XXI. *nunc*) XXIV. *poſt.* S. Cruce. *adde*

Quod tamen attinet CPolim, duabus etiam præcedentibus diebus oſtendi ſolitam fuiſſe ibi ſeculo VIII. Dñi Crucem monet Fleurius in hiſtoria a Scriptore illius ætatis inſtructus. *A CPole* (ſic hiſtoricus) *on gardoit la vraje Croix, & on la* MONTROIT *ſollemnellement les trois jours de la ſemaine ſainte.* *Fleurii hiſt. lib. 41. num. 10.*

Ad eamdem pag. 8. Supplem. ſub lin. 26. hæc interſere:

Pag. 40. *lin.* 24. *num.* (*ol.* XXI. *nunc*) XXIV. *poſt* aſcenſionis *adde*:

Velitris quotannis profertur apud Cathedralem aſſervata multitudo Reliquiarum in feſtivitatibus SS. Pontiani, & Clementis Romanor. Pontificum, quos ea Civitas tamquam Patronos veneratur.

Ad pag. 10. Supplem. ſub lin. 9. hæc interſere:

Pag. 43. *lin.* 8. *eod. num. poſt* Tillemontii *adde*

Fuit etiam Evagrius oculatus teſtis habitæ apud Apameam eodem ſeculo VI. inſolitæ Ligni Crucis oſtenſionis, de qua infra, maximè num. LXXV.

Ad pag. 11. Supplem. lin. 9. poſt voc. *Tyberim* adde

Singulis, inquam, his horis in hac baſilica; neque enim ante meridiem ea peragitur actio in aliis eccleſiis. Præcipuum eſt momentum oſtenſionibus Veliternenſibus (de quibus n. XXIV.) aſſignatum. Aguntur ſcilicet inter miſſarum ſollemnia poſt decantatum Evangelium, & antequam præcinatur ſymbolum; quod mihi narravit, qui ſæpè iis occaſionibus aut adſtanti, aut celebranti Card. Franciſco Barberino inſerviit, eruditus Abbas Johannes Baptiſta Lizzanus Liberianæ tunc baſilicæ, poſtea Sedis Apoſtolicæ ceremoniarum Magiſter. Oſtenſio agebatur

Lin. 26. *poſt* Venetiis *adde*

promuntur lipſana.

Ad pag. 12. Supplem. ſub linea 5. hæc interſere :

Pag. 54. *lin. penult. num.* (*ol.* XXVII. *nunc*) XXXI. poſt Lateranenſi *adde*

Ambonem conſcendiſſe, qui caput oſtendit S. Simperti Epiſcopi Auguſtani an. MCCCCXCI. tradit Anonymus, cujus locum feret numerus LXXIV.

Pag. 55. *lin.* 14. *eod. num.* (*ol.* XXVII. *nunc*) XXXI. *poſt* citandus *adde*

præter citandum pariter inferiùs Petrum Saulnierium.

Ad eamd. pag. Supplem. ſub lin. 14. hæc *interſere* :

Pag. 56. *lin. ult. eod. num.* (*ol.* XXVII. *nunc*) XXXI. *poſt* relinquo *adde*

Quod non eget divinatione, Thomas Epiſcopus Apameæ oſtendit aliquando vivificæ Crucis partem *elatis ſurſum manibus univerſam ſacram ædem circumiens*, ſicut habet allegandus (numero LXXV.) locus Evagrii.

Ad eamd. pag. 12. Supplementi ſub lin. 19. hæc interſere :

Pag. 64. *lin.* 11. *num.* (*ol.* XXXIII. *nunc*) XXXVII. *poſt* Paſcha *pone* * *inde in calce paginæ*, *quæ ſequuntur* :

* Grancolaſius (ne memorem alios, præcipuè Fleurium lib. 11. hiſtor. num. XXXII.) in commentario ad Breviarium Romanum *Paſcha* hìc indicatum interpretatur feriam VI. majoris hebdomadis. *C'eſt une ancienne pratique d'adorer la Croix le vendredi ſaint. S. Paulin dit, que celà ſe faiſoit tous les ans a Jeruſalem* : Epiſcopus Urbis hujus quotannis, quum Paſcha Domini agitur, adorandam populo proponit; neque præter hanc diem, qua Crucis ipſius myſterium celebratur, ipſa Crux profertur : *c'etoit ſans doute le vendredi ſaint*, dies, qua Crucis myſterium celebratur. Hæc ille haud minùs fidenter, quàm falsò. Myſterium Crucis toto paſchali tempore celebratur. Ex quo factum, ut Eccleſia, omiſſis ſuffragiis Sanctorum, ſollius agendam præſcripſerit Crucis commemorationem. Aliàs locus S. Sophronii num. 24. prolatus diſertiſſimè pandit, *Paſcha* textus Pauliniani diem alteram fuiſſe tantæ ſollemnitatis.

Ad pag. 13. Supplem. ſub. lin. 5. hæc interſere :

Pag. 77. *lin.* 10. *num.* (*ol.* XXXVIII. *nunc*) XLII. *poſt* recenſuimus *adde* :

necnon hiſtoriæ translationis reliquiarum memorati ſuperiùs S. Simperti biennio poſt celebratæ, ut clarum erit excurrentibus num. 24.

Lin. 12.

Digitized by Google

Lin. 12. *poſt* inventionis , *adde* :
mutationis conditorii ,

Lin. 23. *poſt* trans Tyberim *adde* :
Romæ , & extra Urbem in eccleſia cathedrali Veliternenſi .

Ad pag. 14. Supplem. lin. 7. poſt *rocchettum* adde
Quo plane modo R. P. D. Joſephus Saporito Archiepiſcopus Anazarbi pro Emo Card. Belluga Titulari Vicarius S. Mariæ trans Tyberim antemeridianam egit oſtenſionem in eadem baſilica anno MDCCXXXVIII. die octava Paſchæ .

Ad pag. 16. Supplem. lin. 27. poſt *debeant* adde
Forſan antea ordo iſte neutiquam idem erat , aut accuratè ſatis non explebatur . De quo ſaltem dubitandi præbet anſam loquendi modus , quem adhibet Saulnierius deſcribens oſtenſiones quotannis , certiſque diebus fieri conſuetas puellis piæ domus S. Spiritus in Saxia baſilicam Vaticanam viſitantibus . *Ad S. Petri in ſublimi* PODIO MONSTRANTUR *adoranda Chriſti paſſi pignora ;* VULTUS *Veronicæ linteolo expreſſus* , LANCEÆ *cuſpis* , *&* CRUX *auro* , *chryſtalloque incluſa* , ait ille in opuſc. de Capite Sacri Ordinis S. Spiritus diù ante pontificatum Urbani VIII. typis conſignato . *Saulnier cap. 11. argum. 10. §. 8. num. 7. pag. 190.*

Ad pag. 18. Supplem. lin. 20. poſt *lipſanon receptaculum* adde
Aliud exemplum offeret deſcribenda inferiùs oſtenſio capitis S. Simperti

Ad eamd. pag. 18. Supplem. ſub lin. 26. hæc interſere:

Pag. 102. *lin.* 18. *num.* (*ol.* LVII. *nunc*) LXII. *poſt* Cretenſis *adde*
Hiſtoricus promendus num. LXXIV. ſatis indicat per miniſterium *Chonradi* inter Monachos *Prædiciſtæ* non minùs oſtenſam fuiſſe Auguſtæ Vindelicorum partem corporis B. Simperti , quàm promulgatum , quænam eſſet . Expende locum cit. num.

Ad pag. 21. Supplem. lin. 10. poſt *Crucem* adde
Velitris ad oſtenſiones, quas memoravimus num. XXIV. & XXVII. Cardinalis Epiſcopus ſedet cum altaris Miniſtris , ac reliquo Clero paratus in pontificalibus, ſive celebret, ſive ſollemni ritu adſtet miſſæ , & ante ſe circumductas e pegmate Reliquias ſalutat , non depoſita mitra , quam ſolùm dimittit veneraturus , genibus flexis , S. Crucis fruſtulum , a quo per oſtendentis manum juxta morem benedicitur .

Ad

Ad eamd. pag. 21. Supplem. ſub linea 24. hæc interſere:

Pag. 112. *lin.* 24. *num.* (*ol.* LXIV. *nunc*) LXX. *poſt* oſculetur *adde*
Ita factum innuit Evagrius in oſtenſione Apameenſi, de qua (ut monitum pluries) num. LXXV.

Pag. 113. *lin. ult. eod. num.* (*ol.* LXIV. *nunc*) LXX. *poſt* Patricii *adde*
Oſculatio Reliquiarum poſt earumdem exhibitionem cum aliis nonnullis affinibus uſibus illuſtratur, purgaturque egregiè ab idea anomaliæ pietatis per Theophilum Raynaudum eo Heterocliton loco, quo pleroſque ex abuſibus a nobis improbatos vellicat, exagitatque more ſuo.

V. cit. par. 1. Heterocl. Spirit. ſect. 3. punc. 8. num. 18. 19. pag. 314. &c.

Pag. 116. *lin.* 1. *num.* (*ol.* LXVI. *nunc*) LXXII. *poſt* vulneratique *adde*
Concurſum *vix creditu* dignum, qui factus eſt Auguſtæ, quum Reliquiæ promerentur S. Simperti, enarrabit locus Anonymi hiſtorici deſcribendus num. LXXIV.

Ad pag. 23. Supplem. lin. 24. poſt *opuſculum* adde
Quibus nihilominùs ſpeciatim hìc adjungimus, quod anno MDCCXXXIX. die IV. Aprilis, octava Paſchatis, adoleſcentes optimi Carolus Walliæ Princeps, & Henricus Dux Eboracenſis Jacobi magnæ Britanniæ Regis, & Clementinæ Reginæ parentum pietatem æmulati, nedum ex odæo ad cornu Evangelii ſito adſtiterunt generali poſtremæ oſtenſioni Reliquiarum apud baſilicam S. Mariæ trans Tyberim, ad eaſdem propiùs inſpectandas, venerandaſque ipſum aſcenderunt ſacri theſauri conditorium.

Ad eamd. pag. 23. Supplem. ſub lin. 26. ante ea verba, *quàm commota fuerint* appone ſequentia.
ante ævum Pii II. ita peregrinorum adſtantium productioni ejuſdem ſacræ Domini figuræ pios motus exprimebat Hetruſcorum Poetarum apex:

Dante Alighieri, Paradiſo, canto XXXI. pag. 557. edit. Neap. an. 1716.

Qual è colui, che forſe di Croatia
Viene a veder la Veronica noſtra,
Che per l'antica fama non ſi ſatia;
Mà dice nel penſier fin che ſi MOSTRA
Signor mio Gesù Chriſto, Dio verace,
Or fù sì fatta la ſembianza voſtra?

Ad eamdem pag. 23. Supplem. lin. ult. poſt *numero* LVIII. adde
De oſtenſione capitis S. Antiſtitis Simperti acta (ut eſt alibi mo-

monitum) an. MCCCCXCI. die S. Andreæ apud Auguſtam, quum ſecundò transferretur ſacrum ejus corpus, hæc habet rei noſtræ probandæ, aliiſque ſuperiùs expoſitis profutura Anonymi Sanct-Uldericani hiſtoria vulgata a Bernardo Pezio: *His expletis* (nempe proceſſione ad ſarcophagum uſque cum cantu, ſtrepitu campanarum, variiſque precibus) *Dominus Abbas noſter intravit mauſolæum S. Simperti una cum* &c. *& ibidem, congruis* ORATIONIBUS, *ac reverentiis factis ad ſericos panniculos, Dominus Abbas hujus loci cœpit Sancti Patroni noſtri caput, videlicet Simperti, exiens de ſepulchro, ſubſequentibus aliis magna cum devotione, & cuidam Patri de Conventu tunc temporis Prædiciſtæ Chonrado Morlin injunxit in virtute S. obedientiæ, ut aſcenderet* AMBONEM, *& S. Simperti caput cunctis utriuſque ſexus hominibus ibidem intereſſentibus in propatulo* OSTENDERET. *Qui declamator verbi Dei in hoc paruit ſui Superioris præceptis omni reverentia, qua decuit, humilitate, devotione, ac reverentia locum aſcendens eminentiorem quodammodo* COSTERNATUS, *ac* TREMEBUNDUS *Caput S. Simperti populo oſtenſurus, ac omni ſocio* PROMULGANDA *expedivit. O quantus* JUBILUS *cordium ibidem manifeſtatus eſt omnium intereſſentium! Deus novit. Ego tamen, teſtor Deum, vidi tunc plurimorum hominum* LACHRIMAS *ex tripudio cordium effuſas, & tali die talis hominum* CONCURSUS *fuit propter videre Reliquias S. Simperti, ut vix ſtat creditu.* *To. 2. anecdotor. Pezii par. 3. pag. 349.*

Ad pag. 24. Supplem. ante lineam 1. nota ſequentia

Pag. 122. *lin.* 10. *num.* (*ol.* LXIX. *nunc*) LXXV. *poſt* deſcripſimus *adde*

Nec minùs celebre, quod Evagrius a ſe viſum refert in oſtenſione Crucis Apameenſi. Tene hîc integram ejuſce eventus hiſtoriam. *Cùm Urbem Antiochiam ſubverſam eſſe* (a Perſis anno Chriſti DXLII.) *didiciſſent Apameenſes, poſtularunt ſuppliciter a Thoma* (Epiſcopo)... *ut ſalutare ac vivificum Lignum Crucis præter conſuetum morem* PROFERRET, *atque* OMNIUM OCULIS EXPONERET; *ut unicam hanc mortalium ſalutem poſtremò cernere, ac* DEOSCULARI *ipſis liceret.... Annuit eorum precibus Thomas, & vivificum Lignum deprompſit, indictis certis diebus, quibus proponeretur, ut omnes finitimi eò confluere.... poſſent. Eò igitur parentes mei... ſe contulerunt, me quoque.... deducentes. Itaque, quo tempore venerandam Crucem adorare, ac deoſculari meruimus, Thomas,* ELATIS SURSUM *Evagr. lib. 4. hiſtor. cap. 26.*

MA-

MANIBUS, *univerſam ſanctam* ÆDEM CIRCUMIENS OSTENDIT, *ſicut in ſolemnibus adorationum diebus fieri conſueverat. Progrodientem verò Thomam ſequebatur ingens flamma; adeo ut totus ille locus, in quo conſiſtens* (ἔνθα παρεςὼς) *Thomas venerandam Crucem* OSTENDEBAT, CONFLAGRARE *videretur. Neque hoc ſemel, atque iterùm, ſed ſæpius factum eſt* &c.

Ad eamd. pag. 24. Supplem. ſub lin. 21. hæc adde ante verba *Nec multos*

Florav. de antiquis RR. Pontiff. denariis &c. pag. 131. tab. 2. inter monetas Paulli II.

Ad hæc: nulli non exploratum (docente V. Cl. Benedicto Floravante) etiam in monetis pontificiis inſpici quandoque eamdem Sanctam faciem a pia illa fœmina exhibitam.

CORRIGENDA

In citato Supplemento.

Ad pag. 9. lin. ultima dele *τὸ peramplè*

Ad pag. 10. leges poſthac ad oram lineæ primæ *Par.* III. *ſect.* IV. *§.* 2. *& notis.*

ROMÆ, A.D. MDCCXLI.
EX TYPOGRAPHIA BERNABÒ, ET LAZZARINI,
AD FONTEM TRIVII.

7 451

Digitized by Google

Digitized by Google